WiMBP
Opole
807 st.

30 Listo-
pada 824
wycerona
Ptaszek

Nr 1879. 40 E 7.
D-400/69-2b.Sp.

7



CASIMIRI ZAWADZKI,
Caſtellani Culmenſis, Guber-
natoris Lipinenſis,

HISTORIA ARCANA,

Seu

ANNALIUM POLONICORUM
Libri VII.
Reductæ primum
&
Poſt Piaſti tempora
vere liberi voti
Liberæ Electionis, centuria-
tis Regni Comitiis
In Electorali campo celebratæ.

COSMOPOLI
1699.

INgentia Electionis bona, sed brevis ævi; nascentis & senescentis Orbis videre Imperia, Sarmatica Respublica usu didicit & experta est. Felix suffragiis Piasteanis temporibus, quando publica morum innocentia modicam adhuc aut rudem Ambitionem pariter ac metum inconstantis Populi favoris ex Electi ingenio proscripsisset. Nam bonis moribus, nullo cultu nec vano simulationis apparatu comptæ, sed solidæ nudæq; Virtutes, obviæ eligentibus assequebantur: Ut optimum quemq; Electio inveniret. Deterrimus quoq; Principum Popielus infami, sed digno moribus suis fato, simul publica externo ac civili bello aucta calamitas satis monstraverat, post funesta Principum vitia, & effusam in malas artes regnandi libidinem, proximum esse ac flagrans Populorum in Regnante Probitatis Virtutisque desiderium. Monuerant & ante acta tempora, non frustra Majores post extinctam Lechi stirpem, quamvis cum gravi status Conversione, ad Palatinos Imperium transtulisse: quod inter plures & Virtute æquales arduum esset eligere, donec reclusus regnandi licentiâ promptus deterioribus animus & arcana vitia docuêre; faciliùs posse tollerari sæva quamvis unius flagitia, dum uno tenore fluentia commodius declinantur: quàm pernicioſas

multorum ipsa novitate ac diversitate, eoque adversus remedia implacabiles evitari libidines. Hinc rursum amore virtutis & odio scelerum, pulsâ virili Stirpe Craci, castos Vandæ mores dotasse Imperio, neq; pudori fuit fortibus Sarmatis non ingloriis Fœminæ parere Sceptris; quæ non suspectis Virtutibus fulcirentur, & assumptis semel curis virilibus spreta fœminarum vitia, nullum sui metum in bonâ Principe facerent. Nullus posthæc apud Sarmatas, nisi Virtuti honor, & submota velut ex oculis Regiæ dignitatis Majestas à Gregorio VII. summo rerum humanarum Capite, ob Boleslai Audacis atrocem sævitiam efferamq; libidinem, securiorem fecit repressâ cupidine Modestiam. Vladislaus quoq; Hermannus & Imperatorum nobilissimus Boleslaus Kryvousti diviso inter Filios Principatu, & reducta velut ad mediocritatem ipsius Imperii fortuna, non tam sollicitam fecêre Ambitionem, quæ sicut immodicorum nimis cupida est, ita vili asperæ sortis voto facilè hebetatur. Per ducentos quoq; & quatuordecim annos, sine Regali honore actum Principatus Regimen, nullum ambitui locum reliquisse videbatur, donec potentiam Przemislai, & illustri morum dignitate meritum Diadema boni Principis Caput, Marchiones Brandenburgici suspicientes: primi flagrantem malis cupidinibus animum innocenti funere & funesto scelere, expleverunt. Ita accitam velut improspero honore Ambitionem, Venceslaus Bohemiæ Rex, avido regnandi ingenio & introductâ in Regnum arte signandi metalla, pecuniæque usu hucusq; pauperem egenamq; subsidii, opibus auxit: ac bellando cum Vladislao Lokietko pro Dominatione, exemplo quoque firmavit, nullum posthæc Interregnum, nisi atrox Paci publicæ fuit. Nam licet Casimiro Magno concessâ destinandi successoris libertate, adversis Electionis Respublica

blica consuluisse videretur; graviorem tamen sævioremque pacem experta est; quàm si bello & interno sanguine bonum Principem meruisset. Ita post bis senos Ludovici Regiminis annos, Sarmatia inter Sigismundi Marchionis Brandeburgici & Ziemoviti Ducis Masoviæ ambitum infida, utriusque armis & vecordi Civium discordiâ ad exitium fatigabatur. Alberti quoq; Regis Virtuti magis quàm fortunæ probati Principis Electio, non sine damno publicæ quietis & proximè fatorum invidiam peracta est. Dum cæcus ambitus inter suffultam jure Naturæ Alberti probitatem, & minoris Fratris popularem digladiatur favorem. Henricus etiam Valesius profusâ largitione & vulgatâ Genti suæ arte Populorum favores mercandi magnitudine præmiorum, non judicio Reipublicæ; pellexit ad se potiùs imperiũ, quàm meruit. Stephano, ingentis animi Principi, nisi amica fata, felicitatis suffragia vimque suam adjecissent: tam propè Patria fuit ab excidio, quàm postea à despotico Imperio. Sigismundus Sveciæ Princeps insitâ penitùs Polonis Jagellonicæ Domus Religione, pacationem invenit Electionem: si fata, quam in publicum concesserant felicitatem, privatæ Sortis damno: dum tres pro una auferunt Coronas, non corrupissent. Tranquilla omnium fortunatissimo Regi Vladislao IV. contigit Electio, sed tanto decori præcox Fratris cupiditas, & nimiæ ipsius spes multùm detraxêre, quasi magnum Principem esse non liceret, sine voto Dominationis. Nec Casimirus sorte Electionis Fratre inferior, nisi quòd iterum de Regno, fatone an suo ingenio, fraternâ æmulatione exercitus, tanto olim conatu Sceptrum ambiret, quod fastiditus projiceret. Exhorruit ad insolitum Exemplum Sarmatia, & suam primùm prostituta Respublica introspexit fortunam: cùm per Abdicationem non libertati ejus, sed funeri servitioque

prospectum esset. Neq; mollius interpretari tantum facinus Populus voluit, cùm vividaPrincipis senectus non modò curas non respueret, sed etiam voluptates admitteret : & civilibus discordiis pertinax Principis labor, sufficturum adhuc bellis externis corporis animique robur satis monstraverat: Si perindè hostium odium, quàm nostri tædium, fuisset. Igitur cùm boni mœrerent, mali ex flagitio proditæ Patriæ lætarentur, Senatus Auctoritas obnoxiis Potentiorum externæ factioni consiliis huc illuc distraheretur: multis Illustrium venali judicio reputantibus, quasi libertatis voto satisfieri posset: Vocasse quemcunque Principem ad Imperium, non optimum elegisse. Equestris Ordo, cui maxima Libertatis cura, ambiguus consilii, sed magis pavidus eventûs, cùm ad se solum sive ex turbata Republica omne belli onus; sive ex malè composita Pacis adversa & graviora ipso bello mala pertinere adverteret : Ultrò pericula occupare statuit. Ergo ex Universis Regni Provinciis ad arma itum, & in ipso Electorali Campo, fixêre sedem mavortia signa: ut ex validis fortium Virorum pectoribus, honestis pro Republica consiliis robur esset. Magnatum etiam numerosæ copiæ & instructa ad speciem terroremque arma, cupidinem sui æmulationemque apud Nobilitatem excitavêre : quæ cùm semper validiorum factiones & ingenia suspiceret, tum potissimùm ad reprimendos conatus arma movere necesse habuit, adeo non semper Causæ turbarum arma, sæpiùs, si judicium modumq; adhibeas, armis turbæ vitantur. Deliberatum itaque de faciendo Principe inter acinaces, prævaluitque vi fatorum cunctis artibus in animis Populorum illud Hieronymi Magni Doctoris Ecclesiæ consilium: *Principatum in Populos non sanguini, sed vitæ deferendum esse.* Unde post ingens tædium temporum, & gravem inter publica continuaque malaPacem, beatissimum illud exortum est in bonorum Civium pectoribus *Votum*, neque aliundè prosperum peti augurium, nisi é solâ liberæ Electionis mente. Quod enim majus publica Fortuna bonum Electioni adstruere potest: quam ut fundamentalibus Regni Legibus adstrictus Princeps, auspicatò ineat prima Imperii spatia : & si non suo ingenio, at certè publicam Regni Incolumitatem ac Libertatem, Legum auxilio Legibus placidè obnoxius reddat faciatque beatam.

Electio

ELectio DEO Auspice præscriptum Confœderationis generalis secuta Anno Domini 1669. Secunda Mensis Maji inchoata est ab Ordinibus Regni. Marszalcus Equestris ordinis magno negotio vix tertio Idus Maji electus est, acerrimè dissidentibus inter se Lithvanis & pluralitatem eligendi Directoris turbantibus ac remorantibus, Causa inter eos dissidii animorum, Campiductoralis Clava à Joanne Casimiro Rege Michaeli Radziwillio collata Procancellario M. Ducatus Lithvaniæ contra conatum & vota Paceanæ Domus. Hinc impellentibus partium Ducibus continua in Equestri Rota partizantium certamina, & notiora, quam ut tegi possent odia; hinc æmulante invidiam fastu, superbi anteambulones, principales aulæ apparatus, numerosa Satellitia, florem robusti dixisses exercitus. Lubomirscio Varsaviam venienti obviæ Senatorum & equitum turmæ, quæq; Palatino Cracovienſi pompam adstruebant, incomparabili judicio Illustrissimi Sobiescii supremi Ducis Reipublicæ exercituum, XII. Millium probè armatorum numerum excedebant, parem infesto cuivis prælio manum. Adeo ea tempestate ambitus & in summà Reipublicæ paupertate privatorum Civium inopia in pudendum luxum exarserat. Vincentibus nihilominus suffragiis, seu ita ordinantibus fatis Felix Potocius Subdapifer Regni in Marschalcum electus est. Integra posthac Septimana inter concertationes de Juramento à cæteris equitibus præstando elapsa est, tandemque tertio Calendas Maji, quæ in diem Saturni inciderat, post redditam Senatoribus, seu ut vulgò appellant, Senioribus Fratribus ab Equestri Ordine ore

Dire-

ctoris sui salutationem reliqui Senatores & equites qui in Convocatione Regni Juramentum non fecerant, præstiterunt coram Deputatis ad id tam ex Senatorio Ordine à Reverendissimo Archiepiscopo Gnesnensi, quam ex Equestri Ordine à Marschalco assignatis.

Quarto Calendas Imago Augustissimæ Virginis, quæ ante portam Cathedralis templi Varsavienſis affixa erat flevisse perhibetur, multi videndo, edito in vulgus miraculo, fidem addidere.

Quinto Calendas Equestris Ordo ivit cum Marschalco, ut patrio ritu vocant Poloni, in Szopam, ad excipienda ab Illustrissimis Senatoribus Senatus consulta, in quorum redditione nihil singulare fuerat, præter literas, quæ à Magnis Turcarum, Magnis Dominis Moscorum, & à Magno Tartarorum Chano, quatuor fere horarum spatio eorumq; Ministris legebantur. In ædificatione pro Senatu subitariæ structuræ, ad arcenda Cœli incommoda jam dictæ vulgari cognomine Szopæ ab Urbe aut vicinis Varsaviæ ædibus quadrante ferè milliaris sepositæ, volitasse continuò per duas Septimanas nivea Columba perhibetur, multorum qui aspexerant testimoniis & dictæ Structuræ mane & vesperi insedisse, nulloq; operariorum strepitu, clamore hominum, bombardarum sine noxa explosione à loco deterreri potuisse, donec opus perficeretur, abhinc amplius non comparuisse. Nec vana ea species placidæ alitis fuit, auspicatum augurium subsecuta Felix Electio, mitem magis invenit Dominum quàm Severum; nimirum Spiritus Sancti Electio per amoris suffragium & Clementiæ agitur.

Sexto

Sexto calendas floridi Mensis Deputati magno motu ad generalia Regni Judicia Capturalia, impedientibus ac miscentibus sese mutuò Lithvanis, ab Equestri Ordine quatuor ex singulis gentibus, nimirum Magna Minoriq; Polonia & M. Ducatu Litvaniæ electi sunt. Deputati ad eadem Judicia à Reverendissimo Archiepiscopo tres Senatores Castellani, eadem die supremus Senator Castellanus Cracovienſis Varszicius, cum Castellano Varsavienſi, in Szopa coram Archiepiscopo cæterisque Senatoribus infestis sese utrinque verbis impetierunt, nec ferente Varszicio iram, scipione quem dextera tenebat Oborscio plagas intentasse, illum ad capulum manum retulisse, ac vix à Senatoribus cohibitos esse, quin in certamen erumperent. Intentata utrinque actione in Generalibus Regni Judiciis Capturalibus judicati sunt, finitaque lis inter ipsos adverso Castellano Varsavienſi Decreto, magnâ controversiâ magnoque animorum motu hæc Deputatio steterat, impedientibus plurimis, insistendo novissimæ Legi, Electionem Deputatorum per Palatinatus, cæteri, idque plures veteribus institutis standum, atque ne authoritas Marschalci violaretur censebant, miroque conatu pervicere. Quatuor deinde dies absumpti sunt otio aut nullo negotio: Censentibus aliis concedendam esse audientiam Oratoribus externorum Principum; aliis cum id ex præsenti Reipublicæ usu & commoditate minimè videretur, cum hac ratione tractandarum exorbitantiarum tempus extrahi posset & earum medela in irritum revolui: Aliis prolixè nitentibus, ut exorbitantiæ non per Deputatos, sed in medio Equestris Rotæ tractarentur: Utrumque usu sterile fuit. Egregiâ voce

 in

in publicum, idem expreſſit Zaremba Judex Sendomirienſis. *Electionem Principis, non ſublatis exorbitantiis, auctoramentum ſervitutis appellans.* Tum de Caſſatione Caſimiriani in Lubomirſcium Decreti, de abuſu Juris Majeſtatis à Sigismundo I., Stephano Bathoreo, Caſimiro Abdicante, ac reſtrictione ejus prolixè diſſeruit. Valuitque vox ad conſenſum publicum, Deputatique ſunt undecimo calendas à Marſchalco Equeſtri bini ex Palatinatibus, ſinguli ex ſingulis diſtrictibus vulgò Terris nominatis.

Vigeſima Octava Maji miſtus Equeſtris Ordo Senatui, lectus à Marſchalco conceptus Caſſationis in Lubomirſcium lati Decreti, requiſitus Reverendiſſimus Archiepiſcopus, ut ex Senatu quoque deputaret. Conqueſtus injuriam ſuam Zamoiski & rejectus. Mox Vexillifer Sendomirienſis Vir alioquin egregius & ipſa canitie conſpicuus; ſed nimio rerum ſtudio, libertati non profuturo, Reipublicæ noxio, mala reipublicæ bono loco á fatis poſita, rurſum ſuſcitans (quibus rumoribus, quomodo fatum ſuum, nec ſine dedecore, provocaverit, in tempore memorabo) impetrata voce Condæanarum Partium ſtudia reviviſcere dixit, factionem matureſcere aſſeruit, cum tamen Legibus Confæderationis ejus incapacitas ad Coronam & inhabilitas ad Electionem declarata ſit. Tum Oborſcius Caſtellanus Varſavienſis in contrarium nitens; libertatem ſibi nullà lege ademptam eſſe dixit nominandi, quem voluerit ex candidatis, ingenti animorum concitationi materiam ſubminiſtravit. Subitoque velut contagione univerſi correpti, furere, alii minari, multi ad capulum referre manum, omnes infeſtis clamoribus

moribus diſceſſum Marſchalci urgebant, atque ad conſuetum ſuis conſultationibus locum evocarunt. Tum acriter de executione in Oborſcium extendenda detonarunt, alii cenſebant Judicium in eum inſtituendum eſſe. Interim Vexillifer Sendomir: arreptâ voce diſſeruit: non jam rumores de Condæanis partibus valeſcere, ſed ipſos Senatores palam & impudenter agnoſcere & fateri Partium ſtudium. Tum Nicolaus Pękoslavius produxit literas anonymas, ſibi miniſterio famuli ſui amici titulo redditas. Studione boni publici ea epiſtola compoſita, an odio partium ad invidiam apud Populum conciliandam confiƈta fuerit; in incerto eſt, quà monebatur 25. Maji ſecreti Conſilii apud Primatem Regni cum 12. Senatoribus habiti, eadem conciliabula apud ſupremum Regni Theſaurarium inſtitui, hiſque fomentis Galliæ ambitionem ali, factionem valeſcere. Coſacorum Tartarorumq; Phalanges à Neoburgo Principe conductas, ad expedienda vota armari: Regem Sveciæ & fiduciarium Reipublicæ Ducem Pruſſiæ Regem elegiſſe; à Principibus ac plurimis Senatoribus Poloniæ Principem in receſſu conclavium ſecreto, inſciâ nobilitate creatum eſſe. Deliberatum ſuper ea re ab Equeſtri Ordine, miſſique Oratores, Nicolaus Penkoslavius, Alexander Krzycki Succamerarius Caliſſenſis, Joannes Pieniązek Capit: Oſviecimenſis, qui expoſtularent ab Illuſtriſſimis Senatoribus, verane eſſent quæ conſtanti fama vulgarentur? ſimulque Oborſcio pœnam legibus Confæderationis deſcriptam denunciarent. Reſponſum à Reverendiſſimo Primate, vana eſſe quæ jactarentur, ſibi conſcientiam Deumque pro

 tuenda

tuenda innocentia ſufficere: Epiſcopus Cracovienſis, quantum ad anonymum ſcriptum, quod ad Penkoslavium communicatione Caſtellani Leopolienſis pervenerat, reddita ſibi duo exemplaria reſpondit: unum à Caſtellano Leopolienſi Maximiliano Fredrone, in quo Electionem Piaſti rationibus tuebatur, alterum memoria ſe non tenere, à quo in manus ſuas irrepſiſſet: cumque Caſtellanus Leopolienſis reſtitutionem conceptus ſui per famulum requiſiviſſet, caſu ambo exemplaria reddidiſſe. Verum id, an falſum occultante ac præumbrante Epiſcopo peſſimi facinoris Miniſtros, ex qualitate cujusque ingenii & affectus integrum deliberationi relinquo. Huc tamen magis inclinat Judicium in excuſationem facinoris, vilem ſumptam eſſe obtentui rationem. Cum incredibile ſit rem tam magni momenti levi aut ignoto auctore proditam, penitus memoriam effugiſſe. Caſtellanus Varſavienſis infelicitati ſuæ tribuendum eſſe conſtanter aſſeruit, quod obrutus clamore, efferre quæ ſentiret, non potuiſſet, ſe Condæum & Neoburgum in eadem Claſſe incapacitatis ad Coronam Regni Poloniæ demonſtrare voluiſſe, & nunc ſe ingenuè Condæo hoſtem profiteri, & ſi quid deliquiſſet in Rempublicam, deprecari. Hac declaratione accepta reverſi ad Rotam Oratores, viſi ſunt leniviſſe publicum odium & quies animorum tantisper reddita eſt.

Sequenti die ad Inſtantiam Deputatorum ex Equeſtri Rota ad Senatum aſſignati ſunt à Reverendiſſimo Archiepiſcopo 12. Senatores quaterni ex ſingulis gentibus, additis Regni Officialibus & ſigilli Cuſtodibus, ſpernente Eque-

Equeſtri Ordine priorem Deputationem, utpote antiquis inſtitutis contrariam, quod omnes Palatini ad conciliandas Exorbitantias deputati fuiſſent. Solutaque ſeſſio ejus diei à Marſchalco, præfixo tempore tractandarum Exorbitantiarum in arce Varſavienſi hora ſeptima poſt ortum Solis; Conventionis verò ad Rotæ conſilium hora ſecunda poſtmeridiana aſſignata eſt.

Pridie Calendas Junii Deputati ad exorbitantias in Senatorio conclavi ſeſſionem ſuam inhoârunt. Sed ob defectum ſcipionis vocum Diſpenſatoris, inter expectationem conſumpto tempore nulloque concluſo negotio dilapſi ſunt. Melior fortuna quamvis inter diſſonas ſententias equeſtris Rotæ affuiſſe viſa eſt. Concluſum enim eſt, ut Camenecii Podoliæ, Breſtenſis fortalitii tum & Arcis Cracovienſis fortificationi & juſto alendo Præſidio ſumptibus publicis proſpiceretur.

Secundo nonas Junii tractatum in Arce â Deputatis ad Exorbitantias, qua ratione in tanta temporis anguſtia compendiosè expediri poſſent. Suppeditatus modus ab Illuſtriſſimo Procancellario, ut ab earum medela & tractatione inciperetur ſalubre totius Reipublicæ negotium, quæ ad Juramentum Principis eligendi directè pertinerent. Eadem die Conſilium Prutenicum juxta veteres Provinciæ mores à Reverendiſſimo Epiſcopo Varmienſi Præſide perpetuo Terrarum Pruſſiæ coactum eſt; definitumq; inter nos, ut ex inſtructione ea tantum puncta in Catalogū transferrentur maximaque exorbitantiarū inconvenientia eſſent, quæ maximè ſtatum Reipublicæ & Provinciæ afficerent. Sero poſt meridiem confluentibus ad Rotā Equitibus, Mar-

Marſchalcus abſentiam ſuam, cauſata adverſa valetudine, per Clientem excuſavit, paucisq; verbis dixit fore & id gratum acceptumq;, quod ſcipionem inſigne Directoris, tantiſper Capitaneo Spiſſienſi committeret, qui conſulto prius Equeſtri Ordine an ſuſcipere deberet, poſtquam univerſorum voces accepiſſet ſe libenter conſentire in eum, recepto in manus ſcipione ad ſedem Marſchalci perrexit, ſtatimque petiit ab Equeſtri Ordine, ut Nuncio Summi Pontificis audientia præberi poſſet. Conſultatum ſuper ea re, & aſſenſum, dandam eſſe audientiam Legato Summi Pontificis ad Rempublicam à Sede Apoſtolica deſtinato. Dilatumq; tempus in horam ſecundam poſtmeridianam ſequentis diei. Nil eâ die actum dictumque in Rotâ, præter interpellationem Marſchalci, ut ad invitandos Illuſtriſſimos Senatores in medium ſui more antiquo mitteret; Deputati interim ſex Internuncii, qui ad excipiendum irent Nuncium Apoſtolicum, tum Archiepiſcopus Gnesnenſis cum univerſo Senatu Rotam ingreſſus, conſedereque Senatores, quiſque in loco Palatinatus ſui; ſex Palatini, duo Epiſcopi ire in occurſum juſſi Legato Apoſtolico, armata ſatellitia Dominorum utrinque ſtetere pro vallo, expanſis Vexillis, concinentibus tubis, ſonantibus tympanis ſpeciem magni Exercitus repræſentabant; cum à Szopà ad pomeria uſque urbis armati ſtarent, 58. vexilla erant, quæ duodecim millia armatorum ſuperaſſe traduntur. Centum viginti Rhedæ anteibant, Equitum Nobilium, ſeu ut vulgò vocant Cavalcatæ, currum Legati anteequitantium ingens numerus, Regalis magnificentiæ pompam adſtruebat.

Rotam

Rotam ingreſſo univerſa Reſpublica debitam exhibuit reverentiam, Archiepiſcopus Gneſnenſis, à ſuo Curuli emenſis duobus paſſibus, amicè ſalutatum inter ſe & Epiſcopum Cracovienſem loco cohoneſtavit, tùm lectæ à Summo Pontifice per Referendarium Regni ſpiritualem ad Senatum literæ, reddita & Marſchalco Equeſtri ſcriptâ ad Equeſtrem Ordinem Epiſtola, quam Marſchalcus ſedens intecto capite ob reverentiam ſedis Apoſtolicæ legit: contenta harum literarum nihil amplius in ſe habuerant, quàm vota unionis animorum, & ut Principem eligerent concordibus ſuffragiis orthodoxæ Religionis verum hæredem, quod ut feliciter cedat Orbi Chriſtiano, Apoſtolicam ſe liberaliter conferre benedictionem. Expeditis literis orationem habuit ad Rempublicam, reſponſum ab Illuſtriſſimo Sereniſſimæ Reipublicæ Primate, tandem & à Marſchalco Latino Idiomate breviter & ſuccinctè. Finitis Orationibus Legatus eadem via armatis undique ſepta in urbem, hora fermè nona, Sole ſub Horizontem properante reverſus eſt.

Ipſis nonis Junii ægrè ordo & methodus tractandarum Exorbitantiarum inter Deputatos ſtetit. Ut imprimis de illis tractaretur, quæ generalium ſtatus Reipublicæ Exorbitantiarum naturam & nomen haberent, quæve potiſſimum ad formandum Principem conducerent. Tum demum ſuccederent exorbitantiæ per ordinem cujusque Palatinatus. Lectusque conceptus à Succamerario Poſnanienſi, quo præcavebatur in poſterum Abdicationi Regum Poloniæ, utque id ſingulariter Juramento Principum inſereretur. Hac occaſione invitati Pruteni poſtulabant,

ut punctum de Indigenatus Juribus ſervandis etiam Juramento Regio inſereretur! grandem in ſe Reipublicæ commotionem concitârunt, ſubminiſtrante materiam indignationi Regnicolarum & contentionibus Rota juramenti, quæ præſcripta præſidiario Provinciæ militi Laudo publico, omiſſo & neglecto Reipublicæ titulo (quod an ſervato in uſum futuri conſilio, arte magis & ingenio, quam debito more & innoxia ſimplicitate actum ſit? in ambiguo erudita in felicitatem Reipublicæ fata reliquere) ſolis Statibus Terrarum Pruſſiæ ad obligandum alligabat. Infeſtis ea tempeſtate magnæ notæ Civibus Juri Indigenatus, cujus aſſequendi per gratiam fraternam modus, quibus naturæ beneficio non contigiſſet, in unius tum favore rerum Pruthenarum Potentis & ob ſummam egeſtatem ac prodigentiam in factiones præcipitis Civis conſtitutus eſſe videbatur.

Secundo Idus Junii Director Rotæ Equeſtris, cum nonnullis punctis in quæ conſenſerat Ordo Equeſtris Senatum ingreſſus eſt, paucis præfatis verbis, petiit, ut ea in quæ Rota Equeſtris conſenſerat, Judicio Senatus firmarentur. Tum demum recenſuit, obnixè petere Equeſtrem Ordinem, excluſionem Condæi, ne inter Candidatos haberetur, Camenecii Podoliæ, Lubowliæ, Cracoviæ bellicam proviſionem, Cæſaris Nuncio præbendam Audientiam, cæteraque puncta Equeſtri ſibi præſcripta conſenſu. Clamore interim univerſorum urgeri cæpit Illuſtriſſimus Regni Primas, ut declarationem faceret excluſionis Condæi. Magna ea die rubori & confuſioni propior facies Senatus fuit, inſignes per honeſtum & amorem

rem Patriæ, aut notabili dedecore afflictâ fide & conſcientiâ ſententiæ fuêre. Reverendiſſimus Archiepiſcopus reſpondit, ſi poſtularetur ut Senatus univerſi nomine ſententiam proferret, præſtare id ſe non poſſe aſſeveravit, niſi conſulto prius Senatu: ſi ut à privato vox exigeretur, ſe libenter paratum eſſe in eum conſentire, qui publica omnium concordia electus fuerit. Tum obrutus omnium vocibus quod non ſatisfaceret deſiderio publico ejusmodi declaratione: ſecuti Archiepiſcopum Epiſcopus Varmienſis, Palatinus Kijoviæ Potocius, Palatinus Culmenſis Gninſcius, Palatinus Pomeraniæ Bakovius, Magnus Regni Mareſchalcus, indignationi propior, ſe quidem inquit aſſueviſſe publico cedere conſenſui, ſed ſi ad cæteros excludendos Candidatos, ab Equeſtri Rota pari ferocitate urgeretur, libenter ſeſe à Senatu abſentaturum, & munia officii ſui malle relinquere, quam eam pati ſervitutem, ut quæ juberetur, exequi cogeretur. Cancellarius M. Ducatus Lithvaniæ Pac, perplexo ſenſu, vacillante oratione excluſionem innuit, cæteros imitatus, qui nec Reipublicæ ſatisfecerunt, nec ſuam conſcientiam ſatis tutati ſunt. At optimi Senatorum, inter quos Princeps Czartorienſis, Epiſcopus Cujavienſis, inſignis voce & amore Patriæ, divinam dixit eſſe voluntatem & ſingularem Dei vocationem: ut Princeps Condæus excludatur, cum hoc negotium non ſolum tanto ardore bonorum Civium, ſed etiam mira concordia urgeatur. Itaque omnium uniformibus ſententiis incapacitatis ad Regnum Poloniæ damnatus eſt. Accidit inter Senatorum vota, ut ex impatientia ſive commiſeratione ruen-

tis jam Condæi, consurgerent custodes ejus fortunæ, qui ad Archiepiscopum progressi, quærebant consilio occasioni locum, quomodo Senatorum sententiæ differri in sequentem diem aut disturbari possent, sed ingenti clamore erumpentibus inter crebras voces contumeliis, continuisque acclamationibus ad suas sedes compulsi sunt. Tum reddita Senatoribus dicendi quies finitisque sententiis, impetrata voce Dembicius Vexillifer Sendomirienſis, reductam in Civium pectora fraternam confidentiam congratulatus Reipublicæ, à Reverendissimo Primate petiit, ut reali declaratione Exclusionis Condæi Populorum desideriis satisfaceret. Qui arrepta voce inter pudorem & indignationem anxius, plus se, quam peteretur, dixisse & Reipublicæ donasse, quod se nobili cuique consveto & Jure debito privaret suffragio, dum illud ad ullius ex Candidatis Electionem proferre nollet, nisi in quem universa Respublica constanti concordiâ consensisset. Ea quoque oratione quamvis flagranti popularitate & in speciem favorabili, non est visus Civium animis satisfeciſſe, rursumque à Carvicio Subjudice Novæ Civitatis exagitatus, tandem nihil ad illata respondens, à Piaseczinscio Capitaneo Braclavienſi interpellatus est: ut misereretur populorum turbæ, illius solummodo declarationem præstolantis, cum tot Episcopos dignitate & sanctitate pares dignum esset, si non præire exemplo, saltem imitari. Tum urgentibus omnium acclamationibus flexus, quasi vicissitudinem rerum humanarum irrideret, serenâ facie inter strepitus vocum clarâ voce pronunciavit: & ego jam excludo; vitato nomine Condæi, cujus cum studi-

um

um relinquere coactus fuisset, charitatem tam subito nondum deponere potuerat. Condæanarum partium & potentem & secretò firmatam consiliorum factionem, dispositione fatorum & urgentibus causis secundis concidisse. An hos per superbiam in levi posuisse Equestris Ordinis potentiam, quorum extenuata factionibus eviluisse authoritas credebatur: unde nec in Rota Equestri impediviſſe exclusionis Condæanæ consensum, nec Mareschalcum sollicitasse, ut hanc materiam transmitteret, difficultaret, aut saltem postremo loco inter cætera puncta locaret, quo Senatoribus honestus prætextus hujus transmittendæ, de aliis materiis dicendi facultas fieret. An falso fiducia ingenii sui eo ductos, ut quoscunque modos & rationes contra se initos, nullo rei suæ discrimine eludere possent; an nimium propriis viribus & externæ potentiæ creduli, nunquam tam facile id eventurum crederent, quod evenit.

Actum deinde de Legato Invictissimi Christianorum Cæsaris excipiendo, commissaque Deputatio Senatorum ad excipiendum Legatum Reverendissimo Primati, qui conqueſtus in eum, quod jam monitus ex consilio Senatus, alias ad Rempublicam literas à Cæsare non procurasset, in quibus titulus sereniſſimæ Reipublicæ præscriberetur, cum tam vilibus titulis Reipublicæ Majestas dehonestaretur: addiditque consilium, ut literæ ab eo â Republica non acciperentur, sed oretenus mandata ad Rempublicam Principis sui proferret, ac inposterum curaret, ut à Cæsareâ Majestate conve-

 nien-

nientes Reipublicæ Polonæ tituli darentur, ac literis præscriberentur, destinataque in sequentem diem ejus exceptio.

Tertio itaque Idus Junii honorificentissimè â Republica exceptus est, magni Exercitus faciem repræsentantibus Magnatum Poloniæ copiis, cum fere 88. vexillis via ornata esset ad Rotam venienti. Senatores more consveto in Rota Equestri consedere, Legatus Cæsareæ Majestatis introductus, tam per Equestris quam & Senatorii Ordinis Seculares tantummodo (quia Spirituales, non nisi sedi Apostolicæ eam præstare solent venerationem) Deputatos, exhibita Reipublicæ reverentia, intermedius Regni Marschalco & Equestris Rotæ Directori consedit. Literas à Cæsareâ Majestate ad Rempublicam non debit, monitus privatim ab Illustrissimo Primate, non fore Reipublicæ gratas, quod in literarum inscriptione, debita non cohonestata esset Respublica honoris prærogativa. Pauca præfatus verba instructionem legit, non denegato Serenissimæ Reipublicæ, Reverendissimis, Excellentissimis, Illustrissimis Senatoribus titulo. Vota ad Rempublicam Polonam Cæsaris erant pro concordia eligendi Regis, amicitiæ cum Austriaca Domo semper communis Regno Poloniæ recommendatio: Postremò instantia pro Philippo Wilhelmo Palatino Rheni Principe Neoburgico ad Rempublicam, laudes ejusque à constantia fidei Orthodoxæ, maturitate ætatis, pari vigore corporis & mentis Regimini afferebantur. Responsum â Reverendissimo Archiepiscopo: Excellentissime Domine Extraordinarie Legate â Sacrâ Cæsarea Majestate &c. tum

& à Marschalco Equestris Ordinis stylo Laconico: Finita Legatione, eadem via armatis strepente hora decima post occasum Solis in urbem reversus est.

Quarto Idus Junii destinata dies Audientiæ Legato Regis Galliæ, ob adversam ejus valetudinem, ut Residens ejus Oborscius Capitaneus Livensis vulgavit in Rota Equestri, seu confectus mœrore erat, sive ut indignationem Reipublicæ ostentaret? an ut, instante Pentecostis solennitate, festivo die grandiori pompa, confluentibus undiq; pro actu suffragiorum Magnatum copiis, ad Rotam Equestrem velut in triumphum duceretur, dum spei indulget aut rursum eadem ingenii mobilitate ludibria metuit, irrita fuit. Totumque fere tempus ejus diei in objectionibus loci standi mutuisq; concertationibus consumptum fuisset, nullo effectu: nisi Zaremba Judex Sendomirienſis multa egregiè locutus, moderationem affectibus finemq; consiliis attulisset. *Antiquo Majorum usu & prudentia receptum dictitans, ut quoties ejusmodi materiæ Reipublicæ considerabiliora exasperarent negotia, per Deputatos ex Rota & Mareschalcum excusso processu, an observatis omnibus Juris gradibus ac terminis condemnatio stetisset? validitas ejus arcendi â loco standi definita per Mareschalcum declararetur. Si infamia aut bannitio perpetua alicui ex Generalibus Judiciis Regni Capturalibus aut Palatinatuum Particularibus obvenisset, non aliter locum standi aut suffragium eligendi Regis recuperare poterat, nisi per treugas Decretum in iisdem judiciis suspensionis causæ ad judicia Regni Tribunalitia procurasset. Nam sub tempus Interregnorum condemnationes in contumaciam obtentas â loco standi minimè arcere; si ex personali decretæ fuerint, semper & ubique valere.* Postremo addidit,

ut festi dies Lunæ & Martis audientiis Legatorum destinarentur, in eamque itum sententiam, idque propter vitandum Reipublicæ negotiorum confusionem, ob confluentes jam undique communis motus copias & Generalem Equestris ordinis confluxum, qui moræ impatiens, Ordinem tractandorum Reipublicæ negotiorum turbaturus præsumebatur; ita tamen expediendas censuit Legationes, ne publicorum consiliorum tractarentur materiæ, quominus quidquam Christianæ pietati derogaretur.

Dies, quo linguis igneis in Apostolorum pectora illapsus Paraclitus mortalium pietate celebratur, in Christiana transactus devotione: nox celebri urbis Varsaviæ incendio clara fuit, tertia ferè parte urbis incendio absumpta aut à prædonibus direpta. Nihil in eo miserabili urbis casu omissum scelerum: Vrbs velut belli impetu capta furore facinorosorum diripiebatur; tota urbe prælia & acies defendentium aut invadentium alienas fortunas: admotæ pluribus in locis à nefariis ardentes faces domibus, ut cuncta prædâ & incendio absumerentur: spectantibus tam atrocia facinora præcipuis magnatum, nec prohibentibus, quasi Trojæ favillas aut Romæ incendium cum Nerone illuderent spectarentque, donec sævitia flammæ, Platea pistorum & à cerevisia appellata, probè muratæ & instructæ ædes variis Dominorum Equitumque Splendoribus, penitùs consumptæ, corruerent. Crebra ea tempestate incendia præcipuas Regni urbes afflixere. Gedani quarta Junii, quæ in diem Martis inciderat, atrox incendium, à condita urbe nunquam accidisse compertum, è Dominicanorum ædibus erumpens,

pens, per diei noctisque spatium continuò urbem vastavit, juvante Septemtrione, versus veterem civitatem, donec, absumptis sexaginta sumptuosis Domibus, totidemq; muratis ædibus, latæ plateæ vacuo spatio & Raduni Fluvii aquis cohiberetur. Non confecto ante multis diebus tempore, Camenecii Turris Portaq; Arcis ictu fulminis disjecta est. Arserat & Cracovia, prandiumque à Præfecto urbis Casimiro Regi Sveciæ instructum, velumque Varsaviæ atque Cimorium, cæteraque prodigia, manifesta potius ira Numinis in rem Polonam, quam monitu in obstinatos, post continuata scelera evenêre.

Sexto Idus Junii destinatum tempus Audientiæ Legato Galliarum irritum fuit: respondente Legato, se jam amplius nullis indigere Reipublicæ Polonæ favoribus. Sequenti die sperabatur Legatio Legati Sveciæ; sed cum literis ad Reverendissimum Regni Procancellarium datis scripsisset, sese nulli in Orbe Principum loco in expedienda Legatione cessurum fuisse, quod ad præsens intermitteret, nondum se omnia requisita à suo clementissimo Rege habere causavit atque excusavit. Datumque spatium audientiæ Principis Brandenburgici Legato Overbecio, qui nimis serò diei veniens, nec tam frequentibus satellitum turmis, nec tam copioso Senatu & Equestri ordine, pluribus jam dilapsis exceptus est. Commendato Reipublicæ favoribus Duce Neoburgico Comite Palatino Rheni, transacta Legatione discessit.

Septimo Idus Junii insignis pluribus externorum Principum Legationibus dies, propter maturiorem ad Rotam conventum, omne tractandarum Exorbitantiarum

extraxit tempus. Quatuor enim Legati continuò perorarûnt, magnificentiâ promiſſorum, ſpecioſo amicitiæ ambitu, inſigni Reipublicæ reverentiâ Majeſtatem augentes decorantesque. Ac imprimis Neoburgi Principis Legatus ſolito exceptus decore, literas per Referendarium Regni (ut moris eſt) ad Rempublicam dedit; convenientiſſimo Reipublicæ præſcripto titulo, tum & Reverendiſſimo Primati. Deinde Oratione habitâ Principem ſuum Reipublicæ jam votis omnium Chriſtianorum Principum commendatum, & judicio Vladislai IV. Regis Poloniæ Polonis notum & inſignem, commendavit, magnificis promiſſis favorem concilians, niſi fidem promiſſorum nimia magnitudo corrumperet. Accepto Reſponſo à Reverendiſſimo Primate & Marſchalco Equeſtris Ordinis, vacuæ Rotæ pomœrium pedibus emenſus, Archiepiſcopum ac Illuſtriſſimum Senatum ſalutavit, tum & ab Archiepiſcopo vix quatuor paſſus à ſedili progreſſo reſalutatus, ad rhedam eſt reductus, & in urbem reverſus. Interim, dum Lotharingiæ Principis Legatus expectatur, permiſſum eſt Legatis Ducis Curlandiæ & Semigalliæ Legationis ſuæ negotium expedire. Sedes eis locusque Legationis expediendæ aſſignatus non inter Mareſchalcos, ut aliis externorum Principum Legatis, ſed in latere dextro, Palatinatuum Pruſſiæ is locus erat. Qui, ſupplicibus datis ad Rempublicam literis, Pudkamer in oratione ſua nonnullas injurias conqueſtus eſt, fidemque promiſſorum Principi ſuo exolvi à Republica petiit. Reſponſum ab Illuſtriſſimo Primate generoſis Dominis Legatis Ducis, curaturam Rempublicam expeditis negotiis

tiis magis Rempublicam afficientibus, ut juſtiſſimis deſideriis Illuſtriſſimi Ducis ſatisfaciat. Subiit faciem Reipublicæ & Legatus M. Tartarorum Chan, cui à latere dextro proſtratum erat tapete in terra, ut eorum eſt gentilis conſuetudinis. Verum ille, abſentiam Regis cauſatus, ſellam petiit. Datum eſt illi ſedile tapeti contectum; tum barbarus ingreſſus Rotam; verſato in hanc & illam partem inepto corpore, ad Marſchalcum Regni facie, poſteriori parte verſus Senatum conſedit. Tum per interpretem Rempublicam à Principe ſuo amicè ſalutavit. Pactorum Podhajecenſium & amicitiæ cum Republica perennitatem Principem ſuum animitus vovere, illamque à Republica expetere. Tum Illuſtriſſimus Archiepiſcopus per Interpretem quæri juſſit ex eo, quomodo Illuſtriſſimus Chan Soltan Galga & Nuradin Sultan valeret; reſpondit: Optimè illos valere. Demum punctatim Legato Tartarorum ad reliqua per interpretem dicere præcepit: Cupere Rempublicam pridemque voviſſe ſibi cum M. Tartarorum Chan & univerſa eorum gente (illi hoc vocabulo Krym vocant) amicitiæ perennitatem, utque ab ipſis conſtanter ſervetur, obnixè rogare & adhortari. Tum ſurgens è ſella tecto capite, velut ſtipes, ducente eum interprete, ab Archiepiſcopum progreſſus, literas à Principe ſuo reddidit, rurſumque ad Marſchalcum Rotæ Equeſtris deductus redditis literis in ſella conſedit, pluraque ſe mandata habere ad Rempublicam declaravit. Reſponſum eſt illi à Reverendiſſimo Archiepiſcopo & Marſchalco, conceſſuram illi tempus Rempublicam expediendæ Legationis cum voluerit, modò prius interpretis

pretis opera commentæ Literæ à Republica legi poſſint. Jam Legati Lotharingiæ Principis ſubierant faciem Electoralis Campi, cum, ne quid temporis inter otium abiret, invitatus eſt Referendarius Regni Spiritualis ad legendas literas ad Rempublicam à Magno Rege Brittanniæ ſcriptas; officioſæ erant, & ad eligendum Principem Neoburgum invitabant. Inter cæteros titulos ſuos Rex Angliæ inſcripſerat & illum Epiſtolæ, Fidei Defenſor; quaſi fides ſine operibus eſſet, veræque gloriæ decus ambitione conſtare poſſet. Vix plenè lectis literis, aderant Legati Principis Lotharingiæ: illis obviam egreſſi Mareſchalci humaniter ſalutatos in Rotam Equeſtrem introduxerunt, mediaque inter ſe ſubſellia conceſſerunt. Nondum Legationis exordium erat, & jam favor cæli aderat. Moleſtum imbribus, aut fædum nubibus cœlum in eam ſubito ſerenitatem effulſit, ut non ſine omine propitii Numinis (quamvis ſub alienis auſpiciis) palam deprehenderetur. Coarctata repente Rota, motis in dextro latere ſedibus, coalituræ in unum Reipublicæ ſignum. Literæ ad ſenatum per Referendarium Regni ſpiritualem lectæ: ad Equeſtrem Ordinem per Marſchalcum Rotæ, plenæ humanitatis & obſervantiæ totius Reipublicæ. Id tamen Archiepiſcopo diſplicere viſum eſt, quod in tituli præſcriptione nulla ſui mentio, ut à cæteris facta eſſet, ac velut per injuriam, dignitas ejus imminueretur. Expeditis literis, illuſtri facundia Demoſthenem aut Tullium ore ferens, inſigniter pro Principe ſuo Abbas ſatagebat. Nihil omiſſum ab eo in ea Oratione, quod aut dignitatem ſereniſſimæ Domus Principis ſui non attolleret, aut

aut inclitæ Reipublicæ Polonæ honori non tribueretur, aut ad plebis conciliandum favorem non valeret. In promiſſis nihil modicum aut nimium, quod aut ſperni tanquam vile donum à Republica poſſet, aut fidem fallere, ob præſtandi incapacitatem. Vario motu animorum ea accepta Legatio, plusque valuit in pectoribus Nobilitatis, ad favorem una Lotharingiæ Principis Oratio, quam immenſa Neoburgici Principis promiſſa. Datum reſponſum à Reverendiſſimo Archiepiſcopo Illuſtriſſimo Legato ſereniſſimi Principis Lotharingiæ, Polonos Regem electuros, quem ipſis fata cælumque deſtinaverint. Expedito reſponſo Marſchalci Equeſtris Ordinis, conſurrexerunt ſedibus ſuis Legati Lotharingiæ Principis, ſalutatoque comiter Primate ac univerſo Senatu, multisque Illuſtrium Equitum, in urbem magno applauſu, ac ſpecioſo ante equitantium turmarum comitatu, ac ſequentium cohortium ſatellitio revecti ſunt.

Decima tertia Junii intermiſſum opus Exorbitantiarum, ceſſatum ab omnibus conſiliis, cum omnia in tumultum evaleſcerent, terrore cuncta, velut in capta ab hoſtibus Urbe, replerentur, plerisque ſuppellectiles ſuas, & quicquid pretioſi ad manum erat, in templa, muratos fornices, aut locorum abdita recondentibus, confluentibus undique copiis Equeſtribus expeditione bellica evocatæ Nobilitatis, in Rota non alias ſpectata toto tempore comitiorum ingens multitudo: pro vallo Rotæ Cracovienſis & Sendomirienſis Palatinatus ſpectata ſigna. In ipsâ Rotâ voces perorantium aut vociferantium ſtrepebant nullo diſcrimine minæ aut ſeditioni proximæ vo-

ces

ces audiebantur. Expediti nihilominus Legati à Mareſchalco Rotæ ad Senatum, qui invitarent Archiepiſcopum cum Senatu, ut ad illos deſcendere dignarentur, eorumque conſenſum ſuper prolongatione exquirerent, cum ultima dies inſtaret Comitiorum. Convocatis ad ſuam ſedem Senatoribus ac dimiſſis, reſponſum ab Illuſtriſſimo Primate, conſentire Senatum ſuper prolongatione, & ſe libenter iturum ad Rotam, ſi ita cæteris Senatoribus videretur. Cum hac declaratione abiit unus Legatorum ad Rotam, cæteri manſerunt in Senatu ſedentes, donec Collega reverteretur; qui reverſus, exhibita Senatui reverentia, gratiſſimè ſuſceptam retulit declarationem ab Equeſtri Ordine Illuſtriſſimi Senatus; ſed cum non ſolum ſuper prolongatione, verum etiam de modo ac de termino prolongationis Equeſtris Ordo cum Senatu inire conſilium velit, obnixè eorum rogare præſentiam, quorum authoritate fulciretur. Tum ſubito conſurrexere Senatores Rotamque ingreſſi ſunt. Actum de prolongatione per declarationes Palatinatuum, concedentibus aliis per diem Veneris & Saturni, aliis etiam per dies Lunæ & Martis, nec ultra aſſeverantibus pati poſſe prolongationem.

Finitis declarationibus, Dapifer Regni manifeſtavit ſe non concedere, ut exorbitantiæ per Deputatos in Arce Regali tractarentur; voluiſſe Fratres ſuos, quorum nunc declarationem faceret, ut in Rotâ expedirentur: nec officere conſenſum publicum, ut in Arce tractarentur, cum ceſſante complexione Comitiorum & transacto jam eorum tempore, ut prolongationem pro libitu, ita media quoque

quoque tractandorum negotiorum concedi. Tandem, multorum conſenſui cedens, id quoque ſe donare publicæ concordiæ protulit, dum modo Magnifici Deputati eadem die conſultorum in Arce, Equeſtri Ordini redderent rationem. Tum Illuſtriſſimus Primas, excuſatâ morâ Legati Regis Sueciæ, ob defectum ſplendoris nondum ei ſuppeditati à Sereniſſimo Rege Sueciæ, ut condignè comparere poſſet in facie Reipublicæ, tempus ei ad expediendam Legationem aſſignari petiit in diem Solis poſt meridiem, acceptoque conſenſu Seſſionem ſolvit Rotæ. Poſtero die tractabantur in Arce Exorbitantiæ, ſed adventu Piaſzeczinſcii, qui Deputatos ad Rotam à Marſchalco invitabat, ſic volente Equeſtri Ordine, ſoluta extunc à Deputatis Seſſio eſt. In Rota objectionibus loci ſtandi, lectione ſupplicum libellorum tempus extrahebatur, cum ob defectum præſentiæ Senatorum nihil in gravioribus negotiis concludi poſſet. Archiepiſcopus per delegatum ſuum abſentiam ſuam excuſavit ob gravem ſibi valetudinem. Locus interim Internunciis Terrarum Pruſſiæ, quem continuò à Marſchalco exigebant, inter Palatinatus Plocenſ. & Lancicienſ. aſſignatus eſt, cum veteri ſede à Sendomirienſis Nobilitatis multitudine pridie loco moti eſſent. Interventu Procancellarii Regni cæterorumque Senatorum, graviores quoque materiæ agitari cæperuut. Tum requiſitus Succamerarius Caliſienſis, ut conceptus modificatarum Exorbitantiarum legeret, multaque puncta aſſenſu publico comprobata ſunt; reliquorum lectio in ſequentem diem deſtinata, Seſſioque ejus diei ſoluta eſt à Marſchalco Equeſtri, Exorbitantiarum

tantiarum moderationem aliis rursum per Deputatos permittentibus, aliis improbantibus.

Sequenti die in Arce actum de Exorbitantiis, tractatisque nonnullis materiis & probè expensis, descensum ad Rotam Equestrem ubi in præsentia Senatorum, ad occasum ferè Solis, summo motu tractatæ Præsidii Camenecensis aliarumque arcium in confinio Reipublicæ existentium fortificationes earumque securitatis rationes. Sub occasum vergente jam Sole conceptus Exorbitantiarum, requirente Senatu, lectus est à Succamerario Calisiensi, nonnullas materias approbantium aut improbantium vario assensu, finita ejus diei & soluta per Procancellarium M. D. Lith. ut moris patrii est, Sessio; nam ubi Senatum misceri Equestri Ordini venerit, omne Regimen ac potestas ab Illustrissimo Primate, directio vocum à Marschalcis Regni vel Sigilli Custodibus utriusque Gentis dispensatur. Declaratio nihilominus Nobilitatis Palatinatus Cracovienſis solutionem sessionis prævenit, qua serio postulabant, ut præmonerentur Illustrissimi Senatores à Marschalco Regni, qui Patrisfamilias officium in Republica gereret, ut omnes die Lunæ præsentes interesse vellent consiliis: cum id non ex dignitate Equestris sit Ordinis, quod tam pauci Senatorum eorum adessent Consessui, cum de summis Reipubl. tractatur negotiis. Die Dominico, orto jam Hespero, Legatus Regis Sveciæ aliorum more exceptus est, redditis literis, commendato brevi ac levi Svada Comite Palatino Rheni, acceptoque à reverendissimo Archiepiscopo Rotæque Marschalco responso, in urbem maturo jam vespere reversus est.

Eadem

Eadem nocte Reverendissimus Archiepiscopus ex residentia, Stawki dicta, transtulit se cum omni suppellectili in Arcem. Cum ortu Solis percrebuit transitus fama, omnisque Civitas ac populus terrorem induit, armata Republica, bello quondam hostili vix usurpatæ tum per munimenta urbis dispositæ stetêre excubiæ. Consilium manè in Rota inchoatum est, & ob paucitatem Senatorum ad horam secundam postmeridianam limitatum, stantibus in circuitu valli instructissimis Equitum catervis. Numerosis jam in Rota Senatoribus, ac ferè universis præsentibus, præter Archiepiscopum, ursere nonnulli, quibus cura protrahendorum Comitiorum & eludendorum Equestris militiæ armorum conatus fuerat, ut, juxta Leges Confœderationis, reliquæ Exorbitantiæ, quæ ad formandum Principem pertinerent, communi consilio expedirentur. Ea vox spreta à populo & rejecta, asserente, vilia hæc & minimè proficua esse Reipubl. consilia, quorum jam tempus effugerat.

Ergo versi ad rumores, quibus tum maximè publica miscebantur negotia, requisivere literas ad ProCancellarium Regni à Principe Neoburgico scriptas. Econtra impatientia Partis, aut pari arte contendentibus, vulgata fama de literis à Principe Lotharingo ad quendam Senatorem scriptis. Deputati tres ex Equestri Ordine ad Archiepiscopum, qui eas expostularent nomine Reipublicæ. Interim Succamerario Lancicienſi ab Illustrissimo ProCancellario reddita epistola Neoburgi Principis, lectaque ab eodem sonora voce; redierunt & Nuntii ad Archiepiscopum missi, ac epistolam Lotharingi Principis

Marſchalco Rotæ attulerunt; ille, moto aliquantiſper in medium Rotæ ſubſellio legere parabat, cum ſævis acclamationibus obrutus, prohibentibus aliis lectionem, aliis minis deterrentibus, deſiſtere ab incepto coactus fuit. Illo grandi clamore excitæ, quæ in proximo ſtabant, cohortes, velut grando turbine motus inſiluére vallo, ſignaque prope ipſis illata munimentis: exploſæ aliquot bombardæ. Impatiens talium Princeps Czartorienſis Reverendiſſimus Epiſcopus Kujavienſis, impetrata à Marſchalco Regni voce (nam ambo tum ordini libertatis vocum præſidebant) arguebat confuſionem conſiliorum, improbabat modum ſub armis conſulendi, inerepabat temeritatem per exonerationes bombardarum publicam ſecuritatem violantium, requirebat authoritatem à Marſchalco Regni, utpote Patreſamilias Actuum publicorum ac totius Reipublicæ, ejusmodi confuſionem coercendi. Progreſſus ille ad Portam Magnæ Poloniæ viſu & aſpectu venerabilis, admonebat adſtantes cohortes modeſtiæ, ſed infeſtis vocibus exceptus, erumpentibus palam atrocibus indiciis magnæ confuſionis, regreſſus eſt. Hæc, & his non procul aliena loquente adhuc Epiſcopo; quidam Diſſidentium è Palatinatu Rauenſi temulentâ voce effutire auſus eſt: in vos Sacerdotes hæc arma parari & explodi. Altum hac voce Epiſcopo impoſitum ſilentium; ille omnium obrutus clamoribus, aliis increpantibus nefariam vocem, requirentibus aliis perſonam; ut tam impio auſu violata boni Civis authoritas Reipublicæ judicio vindicari poſſet. Sed poſtquam vulgata fama, inquiri in Civem pro libera voce ſubito.

Velut

Velut de ſumma libertatis ageretur, accenſus ira miles ſtrictioribus vallo incubuit ordinibus, &, ut terrore quoque impleret animos, exoneratis in uno puncto temporis aliquot millibus ſclopetorum, ingenti fragore detonuit. Miles cohortium, quæ portarum aditus ſepſerant, exemplo aliarum ductus, paria auſus eſt, exploſaque in circuitum valli ſclopeta; ſuſurrantibus per Rotæ ſpatia ſtridentibusque globis tanto fragore & terrore, ut Senatus ſelectusque Eques ſedibus ſuis prorumperet; multi ſuſpenſis cervicibus ad terram corpora reclinarent, plures metu anxii huc illuc diſcurrerent, nonnulli, gravius periculum ſuſpicantes ac verentes, ad portas ruerent. Epiſcopus Plocenſis, Gembiccius, Palatinus Lancicienſis, Leſzcynius, Palatinus Inowroclavienſis, Zegocius, Caſtellanus Poſnanienſis, Grimaltovius, Caſtellanus Brzezinenſis, Skrzynſcius, dum ad portas ruunt, vario dedecore & turpibus excepti contumeliis, brevioribus ſclopetis in pectora eorum directis, cum ſumma ignominia rejecti ſunt. Bini in vallo occiſi, tertius per manum globo trajectus ſine periculo vitæ. Extra munimenta idem caſus temeritatis aliquot involvit homines. Merito ea tempeſtate obſeſſum dixiſſes Senatum, ac univerſam Rempublicam viribus ſuis manibusque concidere potuiſſe, niſi atrox periculum & proximum jam exitium fortuna Reipublicæ à Civium cervicibus avertiſſet. Hortantibus Marſchalcis, multisque ſuadentibus Civium, ægrè Senatus compoſitus eſt, ſuisque ſedibus redditi univerſi. Marſchalco Equeſtris Ordinis invitante ad Rotam de mane in ſequentem diem, improſpera ejus diei ſeſſio ſoluta

 eſt.

est. Quinque tantum sententiæ, consumpta notabili parte temporis, idque inter horribilem strepitum vix expediri potuerunt. Illuxerat dies decima octava Junii, cum indictum à Reverendissimo Primate consilium in Arce, ad quod universus Senatus invitabatur. Propositum à Reverendissimo Archiepiscopo, tristi præmissa querela super atroci periculo Senatus, quomodo securitati publicæ provideri posset, & an esset modus coercendæ nobilitatis, ut quieta Reipublicæ pateretur consilia; simul retulit, suasu suo supremum Marschalcum Regni misisse ad singulos Palatinatus Nuntios suos cum literis super eo negotio, sed statim responsum à nonnullis adstantium, nobilitatem accipere literas ab Illustrissimo Marschalco Regni noluisse: quippe quæ non egeret alieno consilio monituque, ubi de authoritate & salute Reipublicæ ageretur: amplexuros se nihilominus libenter modum progressus Palatinatus Sendomirienſis, ut Reipublicæ consiliis, quo quietius expediri possent, per Deputatos solum è medio sui interessent. Postremo è re id Reipublicæ esse jurejurando asseruit, ut modus aliquis aut ordo eligendorum Principum in futurum posteritati præscriberetur: fuisse jam olim dictitans id consilium in Majorum nostrorum pectoribus. Plures eam vocem secutæ sententiæ, seditioni quam consilio propiores. Putabant ea tempestate secretioris sapientiæ viri deesse consilium Senatui, nisi egregia Castellani Leopolienſis & Illustrissimi Episcopi Cuiavienſis voce restaurata opinio, consultum publicæ famæ fuisset. Præmisso enim dolore præsentium, *non in difficili positam esse rationem sedandi motus, & fortiter*

fortiter se præsumere, acturos pœnitentiam Fratres, ubi adverterint, quantum, inconsulta temeritate in se ipsos injurii, Rempublicam offendissent. At eligendi Regis negotium supremam Reipublicæ difficultatem hic saltum hic nodum Gordium esse, utinam maturo consilio, non gladio rescindendum. Porrò in tanta animorum diffidentia & accensis nimio studio partibus, desperare se prorsus de prospero Electionis fine: nisi extraordinario modo eligendi Principem Reipublicæ integritati consulatur. Præmisso scilicet jejunio, & celebri cultu divinæ Majestatis per omnes aras Templaque, ut Numen cœleste supplicibus deprecationibus tandem Patriæ nostræ placaretnr. Postera die scriberentur nomina duorum Candidatorum per duas schedulas, iisque sacro calici insertis, quarum alterutra à Triennali puero eximeretur; prolata, cujus nomen præferret, ille Electore Deo, Judice fato Rex Polonis regnaret. Hac ratione omnes factiones, ambitus, fradulentas inter se concertationes, odia demum & invidiam vitari externorum Principum. Huic consilio qui contradiceret, hunc impietatem deserere nolle, factiosum & jam hostem Reipublicæ esse, perduellionem palam & manifestè profiteri. Idem se sentire Reverendissimus Episcopus Cuiavienſis declaravit egregia moderatione decorem afferens suæ sententiæ, consilio publico utilitatem: *Immerito Polonos immori Candidatorum suorum amori, & illorum causa civilia ad dissidia, enses, sanguinem necesque ruere, cum necdum electi nobis protectionem, neque nos illis, ut jam nostris Dominis, obedientiam præstare teneamur. Se illi judicio integræ mentis potius insistere, nec quidquam in proferendo erubescere, indignum esse proprio Polonos sanguine externæ potentiæ parentare, satius esse amborum Candidatorum spectare funera, & extingui cum corporibus ambitionem, quàm unius civium vi-*

dere-

dere mortem & ſanguinem. Rurſum illacrymante deſpectui ſuo Palatino Lancicienſi Leſzczinio, ad querelas & dolorem Senatores revolvebantur, cum oportuna declaratione Vexilliferi Sendomirienſis, eorum mœrori ſuccurſum eſt: Pœnitere jam facti Fratres, & ut pœnitentiam teſtificarentur, uſos modeſtia eſſe, non enim interfuturos Reipublicæ conſilio univerſos, niſi per Deputatos. Tum Illuſtriſſimus Primas obnixè rogabat Senatores, ut eorum quisque ſuis Fratribus perſuaderet, ne armati venientes ad Rotam, reliquum tempus conſulendi de bono publico, omnemque Reipublicæ eriperent ſecuritatem. Isque finis tam operoſi conſilii fuit. Interjecto modico tempore, Marſchalco Equeſtri præeunte exemplo, pauci numero, nam vix trecenti confluxerant ad Rotam Equites, nondum recollectis ex heſterno terrore animis, continuante velut cœlo, ingenti turbine ac procellis, confuſionem, manifeſtam detegente iram in Cives, ſolo Polono ſibiqúe graves, ob dilatam à DEO deſtinati, à gratiis Horoſcopi favoribusqúe Planetarum jam electi Regis Electionem. Ibi Marſchalcus pauca præfatus, de inſolentia Nobilitatis conqueſtus eſt. Sibi enim imputari, quod aliorum temeritas deliquiſſet, niſi ad præſens ſecuritati Reipubl. conſulerent, ſe officium ſuum ac inſigne authoritatis Scipionem, quem dextrâ geſtaret, deponere, & in manus Reipubl. Fratrumque à quibus accepiſſet, deponere, á Vexillifero Sendomirienſi cohibitus eſt, inventumq; medium, ut nobilitas armata juſto ſpatio â Rotâ conſiſteret.

Firmatum id quoque communi concordia, ut poſtera

ſtera die in Rota nullarum materiarum tractatus permitteretur, præter formationem Pactorum Conventorum & condeſcenſionem ad ſuffragia eligendi Principis.

Aderat dies Mercurii, ſidere Illuſtris honorum Principis, cæpitque Respublica, felici illo temporis puncto fati ſui neſcia, honorata jam agere. Nam electo ea die Principe, quæ majòr contingere Reipubl. fortuna potuit, quàm ejus perfectio? Cœlum ſerenum erat & amœna temperie, nec æſtu nec vento nimium, præſagium futuræ animorum concordiæ fuit. Decima ferè hora diei imminebat: cum Marſchalcus Equeſtris Ordinis perſvaſus inſigni Nobilitatis frequentia, quamvis Senatu infrequenti, ſeſſionem inchoavit. Facta Propoſitione de non admittendis aliis materiis, præter nominationem Principis, aſſerens; id heſterno conſenſu firmatum immutari non poſſe: properabatque ad lectionem Pactorum Conventorum. At quibus callidè ſceleſtum inerat remorandi aut fruſtrandi ſalubria Reipublicæ conſilia ſtudium, cum nondum apud eorum Principales ſuper eligendo Principe aliena â fatis & Reipublicæ ſalute vota eſſent expedita, amorem boni publici, Leges nimirum Confœderationis de non admittendo Electionis actu, niſi prius Exorbitantiæ expedirentur, obtendebant, Palatinatus Podoliæ Nobilitas firmando fortalitio Camenecenſi inſiſtebat. Multi aſſerebant, non decere ad ſolennitatem nominationis condeſcendere, ſpectata notabili Senatus infrequentia. Igitur nomine publico Director Equeſtris Ordinis aſſignavit Deputatum; qui Reverendiſſimum Archiepiſcopum nomine Reipublicæ ad Rotam invitaret. Sed

pluri-

pluribus diſſidentibus irrita ea legatio fuit. Nonnullis poſtulantibus, quibus grata & rata in arce conſilia? quæ quidam Nobilis arguendo, Capitaneo Varſavienſi quod per noctem Gallos vagare per Arcem ſineret, objecerat, Catilinaria foveri in ſede Regali conſilia: utque privatos ſatius ad Archiepiſcopum nomine ſuo Marſchalcus Subdelegatos mitteret, poſtulavit. Illi juſſa Marſchalci ſequendo properavere in Arcem. His & ſimilibus concertationibus generoſi pectoris magnifica voce ab Illuſtriſſimo ProCancellario Regni obviam itum: qui efficaci Svada perſvaſit omnibus, ut his materiis duarum horarum inducias concederent, acto verò præſcripto tempore, ſtatim ad Suffragia & Nominationem Principis accederent. Jam illa fortunata temporis eligendi Regis imminebat periodus, cum Director Equeſtris Ordinis ſuſcepta voce, miſſos à ſe ad Archiepiſcopum Nuntios retulit rediiſſe, ſimulque ob adverſam valetudinem Reverendiſſimum Primatem non poſſe eorum adeſſe conſilio. Modico interjecto tempore Reverendiſſimus Epiſcopus Poſnanienſis pauca præfatus, quod ſibi in abſentia Epiſcopi Cujavienſis, tum & Cracovienſis (quamvis non ſe neſcium fateretur, ejus officii dignitatem Majoris Poloniæ Infulatis deberi Senatoribus) id muneris obtigiſſet, libenter tamen ſe boni publici cauſa, ſpreta invidia obire. Flexisque genibus, & cœteris ad eandem reverentiam divini cultus invitatis devoto pectore, madente lachrymis facie: *Veni Creator Spiritus*, altâ voce oravit: Deinde Cruce ſignatos univerſos cum divina benedictione ad ſuos dimiſit Palatinatus. Itaque Senatores ac Nuntii, quorum Fratres

tres Lege communis motus evocati in armis ſtabant, ad eos diſceſſerunt. At qui Diſtrictus aut Terræ per Nuncios tantum ad Actum Electionis comparuerant, ut M. Ducatus Lithvaniæ, Palatinatus Belzenſis, Voliniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, cæterique præſcriptum conſtitutionis ſequendo, intra valli pomœrium, aut vacuum Szopæ ſpacium factis circulis, cum ſuis Senatoribus ac Epiſcopis de eligendo Rege deliberabant. Palatinatus Mariæburgenſis, cujus tantum Senatores & Nuntii ſoli huic rerum transactioni intererant, in Szopam ſeceſſit cum Illuſtriſſimo Epiſcopo Culmenſi Regni Procancellario. In unum Terris Pruſſiæ conſulere uſitatum: proindè expeditus eſt Nuntius â Reverendiſſimo ProCancellario tam ad Reverendiſſimum Epiſcopum Varmienſem, quam Palatinos Culmenſem & Pomeraniæ, ut adeſſe in commune noſtræ dignarentur deliberationi. Jam Sol medium poſt meridiem curſum tenebat, cùm primum numerosè collectæ advenerant Palatinorum authoritates, complacentesque ſibi in loco fixerunt ſtationem, antè pontem verſus munimenta Rotæ, progredique amplius noluerunt. Sed, miſſis ad Palatinatum Mariæburgenſem citro ultroque Nunciis, ejus præſentiam requirebant. Reverendiſſimus Epiſcopus Culmenſis, nihil volens de merita detrahere dignitate tam propria quàm Palatinatus, rurſum ad eos expedivit Nuntios, his exercitus ambitus velitationibus, cum illa pars, etiamſi contra Legem uſitatumque morem faceret, de arrogantia tamen nihil remitteret; omne tempus deliberationis nobis ſuſcepta licitatione conſumpſiſſe videbantur. Advolantibus demum undique Nuntiis, u-

num & viginti Palatinatus in Electionem Piasti consensisse, nec jam dissimulari Principem Michaëlem Koributum Visniewicium concordibus vocibus acclamasse; ductu Illustrissimi Procancellarii convenimus in unum, concordibus animis suffragia nostra in Michaëlem conferentes, excluso Principe Neoburgo, atque tum hac declaratione à nobis electi Regis, consentiente in eum tota Republ. ad Concives nostros Terrarum Prussiæ Nuntios expedivimus, qui eos recollectioris admonerent animi; svaderentque, ut positis factionibus irent, quo fata ducerent, & præsentia sequerentur. Statimque ad Rotam cum Illustrissimo Procancellario progressi sumus. Uniformem Reipublicæ sensum morabatur cunctatio Nuntiorum M. D. Lithvaniæ, qui æmulatione magnarum Domuum in discordiam præcipites, factionibus, nimiâ Magnatum potentiâ obnoxii, diversis studiis distrahebantur, nitentibus flagrantissimo ambitu, usque ad perniciem Reipublicæ præcipuis Familiarum sui juris Principem facere: quodsi uniformi conatu & paribus votis universi eligerent, nulla ex eo gratia partibus sperabatur, cum æqualis omnium affectus reus Princeps, nec cujusquam gratiæ obnoxius, æquanimem erga omnes gesturus animum sperabatur, quem æquali quoque in Cives benevolentia testificaretur. Jam parare Principem, & sibi suisque firmare rebus, quem non ante præoccupaveris, dum liber à negotiis, non obnoxius arrogantiæ est: & in mediocri fortuna tutior amicitia, facilius gratia paratur: difficile admodum, & sæpe privatis eam felicitatem magno constitisse periculo. Ad hæc non modo in annexis

xis Provinciis & Ducatibus, sed in universo Regno, summos Proceres, Illustriores Equites & Duces ipsos magna ex parte luxus, egestatis, facinorum sibi conscios, dum animo Principis & liberalitate ex nimiâ facilitate abutuntur, summarum expectationum ex licentia per rerum novarum cupidinem avidos, Principis ipsius fasce è solio evulsa, non alium, quis dubitet: nisi pollutum obstrictumque meritis suis Principem, fuisse passuros. Inter ambitum adhuc & turbidas quisque spes versabatur, cum continua fama & crebri Nuntii eos exterruere, electum jam esse Principem à Nobilitate Regni, nec dubitari quis esset? MICHAELEM CORIBUTUM nominari. Quod primo magnorum inter eos certaminum materies: dein ad magis præcipitia conversi distrahere sessionem, & in sequentem diem seponere maturabant. Deliberationi tempus prætexebatur. Sed maligna cura suberat distrahendæ Electioni, quam uti nimio fervore & acri impetu Populi coaluisse certum habetur, ita non nisi mora & interjecto tempore resolvi potuisse: Nisi Illustrissimus Regni Pro-Cancellarius inter ambigua arrepto (ut magni Heroes solent) in arenâ consilio, insigni in Principem merito & industria, obvium sibi Reverendissimum Episcopum Cujavienscm, nonnullosque manu arreptos, secum ad Rotam Nobilitatis M. Ducatus Lithvaniæ duxisset: præmisso Nuntio, qui significaret, venire ad eos ordinum Regni nomine Legatos: statimque ingressi ac debita veneratione excepti preces miscuêre: ut dissentire liberè Electo ab Ordinibus Regni Principi nollent, venireque in Rotam dignarentur, si quid adhuc in tanto mo-

tu animorum displicere eis videretur, posse id per declarationes Palatinatuum componi, satis interim temporis futurum cuique ad deliberationem, quid de Electo Principe aut bono Reipublicæ statuere vellet. Nec diutius deliberatum, omnes sedibus suis proruperunt, Rotamq; ingressi sunt, & cum potissimum deliberatione egerent, festinatione peccabant, quo tum vitio omnia consilia præcipitabantur.

Illustrissimus Regni Procancellarius non servati civis, quamvis universos servaverat, sed facti Principis Coronam ex asse meruisse videtur; nam si illa die proxima nox deliberationi adjecta fuisset, glorioſum illud procul dubio opus liberæ Electionis concidisset: sequens enim dies factionibus & conspirationibus inquies contradictiones attulisset, si non propalam in Rota, ob armorum metum & minores Procerum armati Populi potentiâ vires: at certe non libera non secura Principi contigisset Electio, & eligi quoque infame ac periculosum; dum trahitur suis fatis, occasio armorum civilium, & Reipublicæ per internecina bella pernicies. Olfzovius festinando Polonis restituit Rem, quando unius prudentiâ stetit, ut Princeps securè sedem in Solio figeret, Respublica sua fata prosperis transigeret Principis auspiciis, demum quod sine sanguine & cladibus de fortuna Imperii transactum est: Olfzovio Patria, Respublica, & utrisque communicata Majestas æternam memoriam pro industriâ pietate debent. At in Rota Illustriores Equites Palatinatus Sendomirienſis à Fratribus reversi cum suo Candidato constiterant, cum quo jam universi

Cives,

Cives, velut cum facto Principe loquebantur; ipse compositus in modestiam, illachrymavit suæ fortunæ, continuò versus ad venerationem salutantium. Populus moræ impatiens, & novi Principatus supra modum avidus, infinitis clamoribus nominationem ejus urgebat, cunctantes ferro se adacturum promittens, & jam minari assveverat. Reverendissimus Episcopus Cujavienſis accommodata voce præsenti tempori distulit: nolle se quicquam in præjudicium Reverendissimi Primatis usurpare authoritatis, cæterum in absentia ejus pariturum Reipubl. desiderio: ac imprimis gratulari Patriæ quod Polonis regnaturus sit Rex Polonus. Directoris pro tunc absentis Gener ipsius, Capitaneus Spissienſ: vices supplevit, qui arrepto Scipione non dissimilia à sermone Episcopi locutus, tandem ad proferendas Palatinatus invitavit declarationes, copiam declarandi inprimis ex Catalogo faciens Palatinatui Posnanienſi, tum demum cæteris juxta Ordinem Legibus præscriptum. Jam extremæ declarationes peragebantur, cum Illustrissimus Primas advenit. Expeditis uniformiter omnibus pro more, ter interrogavit: an consensus omnium esset? tandem cum summa congratulatione nominavit Principem Electum; jussitque ad tres Portas valli (totidem enim erant) proclamare: Jo Triumphe vivat Rex, continuò acclamatum ab omnibus, tum in genua procumbens: TE DEUM LAUDAMUS concinuit omnis Populus; explosa egregiè circa circum valli per integram ferè horam indesinenter sclopeta, donec aer obductus fumo, & excusso ab ungula pulvere nubibus ater, omne serenum oculis eriperet.

Invitatus posthæc ab Illustrissimo Archiepiscopo Princeps ad Rhedam, obviis circa templum in arena Minorum Fratrum de observantia lucernis exceptus est, atque in Arcem deductus; multis Senatorum eum in Arce præstolantibus. Tormenta per totam noctem ad horam ferè sextam post ortum Solis pro suo Principe toto ore loquebantur. Electionem hanc Poloni Regis non sine Numinis cura ac manifesto cœli favore evenisse ij arbitrabantur, qui fortuitos quosque eventus non incertis causis vel fatis, sed Divinæ attribuunt Providentiæ. Nominatio Piasti inprimis in Palatinatu Calissiensi divulgata est, non attento Imperii arcano, posse domi quam alibi Principem Polonos quærere & habere: juvit id consilium dissonantia inter Palatinatus Electorales, notorium futuræ scissionis indicium, plurimis pro Lotharingo, multis & potentibus ac pervicaciter pro Neoburgo nitentibus: Audita voce Piasti, universi in amorem, felici Protopiasti auspicio, ignoti quamvis boni ruere; acclamationibus Cœlum implere: è vicino stantes auditis his vocibus idem sentire, ac omnes velut uno Spiritu afflati nihil præter Piastum desiderare. Nondum manifesta inter Nobiles concordia, & jam prospera prodigia erant futuræ felicitatis nuntia: examen apum Palatinatus Lanciciensis armatam Nobilitatem placidè prætervolans in terra ante signa consedit; quod jussu Præfectorum in unum collectum Sacerdoti tunc præsenti redditum est. Sub tempus declarationum in Rota Palatinatuum, marina hirundo nivei coloris per medium Rotæ in area fluctuans à multis visa est. Innocenter albus color

color regnaturum Polonis Principem designarit? an vicinis mari ac Boristheni gentibus malatiam pacis portendi voluerit? utrumque credere consentaneum est. Illud verò potissimum admirationem humanam superare videtur, cum sit supra humani ingenii capacitatem, quomodo in tanta multitudine mortalium, dum suis aut alienis affectibus obnoxii, factionibus colligati, odiis privatis infensi, ære externæ largitionis gravati, æmulatione & arrogantia, magnificentiâ & opum magnitudine Principe facto potiores, jejunæ aliorum, aliorum obrutæ mero voces in unum potuerint coalescere. An quod hos eadem spes fortunæ placatos reddiderit? illos contemptus rei ludificaverit, quod nunquam crediderint evenire potuisse quod factum est: publico consensu victos mirari maluisse quam impedire; dum opus destinatum sæculorum memoria, fata maturabant. Id quoque puto cæteris accidisse. Consonantiam recollectarum temulentarum vocum non scrutor rationibus, sed miror: Et dum miror Augustissimæ Reginæ Poloniæ in Polonos amorem ac Protectionem, Divinæ Majestatis in Filio clementiam depereo: etenim dum Neoburgum alii, posita in ipso portu bonæ spei votorum confidentia, Fama spe, officiis ac veneratione destinabant Imperio, alium fata Principem in Sarmatarum favorem salutemque in occulto tenebant.

Illuxerat Festivitatis Corporis Christi dies Illustris sumpto de corpore Reipubl. Polono Rege. Audientiis matutinum tempus absumptum, Nuncii Apostolici, Cæsaris & Sveciæ Regis Legatorum. Hora decima egressus est

eſt ad templum præſtolante cum ſacrificio Lociordinario, multis eum Illuſtribus Perſonis anteeuntibus, deferente Scipionem Regni Cancellario. Templum foribus ab Arce ſituatis ingreſſus eſt Regalique ad dexteram Altaris conſedit ſede, quod ingens hominum multitudo adeò oppleverat, ut nonnullis anxietas deliquii cauſa fuerit. Peracta Miſſa ſacram orationem habuit illuſtris orator Poplavius, poſtea Sereniſſimi Joannis Tertii temporibus ob Sacram Svadam egregiasque Virtutes Pontificatu Livoniæ Curoniæque auctus. Finita Concione proceſſionaliter venerabile comitans ad Templum novæ Civitatis Matris Auguſtiſſimæ proceſſit. Reverſusque Cancellarium Regni cum ProCancellario tempeſtivis epulis adhibuit. Indultum lætitiæ ad horam quartam, cum Sol tepeſcere cœpit multumque jam de rigore æſtus illius diei remiſſum fuerat: Nobilitas armata in Campis Regem expectabat, cui gratias acturus pro ſuffragiis liberaliter in ſe collatis, griſei coloris aſcendit equum; comitante eum equite Illuſtriſſimo ProCancellario: duo Raitarorum Vexilla antecedebant, tum ingens numerus Cavalcatæ anteequitabat & ſequebatur. Stabat cujuscunque Palatinatus diſpoſita per acies Nobilitas à Szopa verſus Viasdow ingentem Camporum occupans planiciem: Magnatum ſumptuoſa ſatellitia ſuis quæque Palatinatibus aſſiſtebant; egregiè ordinatæ acies, diſtincti per gentes exercitus, inſtructus optimè armis eques, probè veſtitus pedeſtris miles, generoſi equi, inſignis tubarum ubique concentus, tympanorum ſtrepitus, fulgentia ſigna, latè expanſa Vexilla, ſplendore & ferro terribilis miles, in ipſa pace atrox belli

belli facies: nonaginta millia inſtructi exercitus augebant ſpectantium animos terrebantque. Rex ut quamque acceſſerat Nobilitatis armatæ turmam, Palatinis Ducibus grates referebat, cœteros intecto capite & reclini venerabatur. Ubi præteriiſſet in Triumphum ab univerſis bombardæ explodebantur. Nec tamen ea humanitas Principis ſuffecit præconceptæ de eo Nobilitatis ſpei & amori. Querùlabantur non occulti, non modo Duces, verum ſe quoque pari honore dignos fuiſſe, cum non Raitarorum Germanorum turmas, ſed equitum Polonorum Ordines præterveheretur. Adeò apud Polonos Imperia Regum, cum ſola conſtent ſubditorum benevolentia, reciproco Principum amore nec diſpari humanitate æſtimantur. Quatuor plus ultra horarum ſpatium luſtratio robuſtiſſimi exercitus abſumſit: quem nemo Regum aut Principum in Orbe univerſo nullo penitus fortunarum ſuarum, aut publicarum opum diſpendio, ne Obulo quidem erogato (cum apud orientales nationes cœterosque Principes, qui latè Orbi imperant ſummo imperio, Timarrorum quoque exercitus magno eis conſtare ſoleat) facilius comparare & habere poteſt exercitum, armis optimè inſtructum, militiæ peritum, ad bella expeditum, præliorum avidum. Jam Sol diem valere jubebat cum Rex in Arcem regredi ſtatuit, ad regreſſum ejus exploſæ ſunt majores machinæ, donec Sol diem deſereret.

Sequens dies Veneris erat, & à corruptis nimiæ potentiæ inſtrumentis non amoris in Principem, ſed odii infelix tela ordiri cæpta eſt. Inſtituebantur à malè contentis conſilia ad impediendum Electionis Actum, cum

 pridie

pridie ultro & præsentes consensissent. Marschalcus in Rota Equestri proposuit ut ad Pactorum Conventorum Tractatus descenderent: arreptâ occasione urgebant nonnulli, ut in medio Rotæ tractarentur. Sed contra Episcopus Cracovienſis differuit, antiquo more receptum esse, exorbitantias non in medio Rotæ, sed per Deputatos ex Rota tractari & modificari consueviſſe. Usus Illustrissimus Procancellarius occasione id se optare asseruit quò maturius expedirentur: jamque à Sereniſſimo Rege assignatos ad Tractatum Pactorum Conventorum Ministros Sigilli utriusque gentis tum ex Equestri ordine: quorum nomina inserta codicillis specificavit. Multum temporis pro & contra rationibus distractum est; donec adventu Legatorum à bellica Nobilitatis congregatione sedarentur; quorum unus ferociter declaravit, missos se ab armata Nobilitate, quæ admodum affecta est rumore, quasi impii Cives adversus Electum Regem perfida consilia molirentur, proinde libenter informari vellent, an cum fama facta congruerent, reversuros se statim universos & in seditionis capita seriò inquisituros. Reverendiſſimus Archiepiscopus respondit: irrita esse quæ assererentur, & ad odium Magnorum conficta civium. Post hæc unus Legatorum ad genua Reverendiſſimi Primatis supplex procubuit; obsecrando illum, ut manifestum faceret, si quæ illi nota essent consilia adversus Sereniſſimum Regem, & salutem Reipublicæ inita. Medio tempore quo hæc agebantur, vehementiſſimus turbo exortus est, fuliginosæ cæperunt lucem densare nubes, minari tonitrua, corruscare fulgura, tempestas imbribus sævire, donec tu-

turbulenta illa materia de Principe mutando finiretur: ipso cœlo deterioribus ingeniis perfidiam exprobrante. Conventum tandem, ut Pacta Conventa per Deputatos in Arce tractarentur in conclavi Reginalis Majestatis. Assignati ab Illustrissimo Primate ex Senatu tres Episcopi, totidem Palatini, & Castellani singuli ex Gentibus, à Marschalco Equestri, bini ex singulis Palatinatibus, singuli ex terris. Statimque rediit Cœli tranquillitas, quasi, dum improbat discordiam, amorem Sarmatarum notis indiciis fateretur. Expedita Deputatorum nominatione, appropinquante nocte discessum est. Aderat dies Saturni jamque in Arcem confluxerant universi, qui Pacta conventa maturarent. Conventum à paucis in eum Ordinem, qui in Rota definiri non potuit, ut seorsivè utraque negotia expedirentur. Deputati itaque ad exorbitantias in Senatorio conclavi remanserunt; quibus Pactorum cura erat, ad Reginale perrexerunt conclave, ubi facta Propositione à Reverendiſſimo Episcopo Posnanienſi & à Marschalco Equestri de ordine & methodo tractandorum Pactorum Conventorum, ut imprimis ea tractarentur, quæ ad Rempublicam pertinerent, postremo, quæ circumscribendo Principi conducerent, admittendosque more majorum Oratores Principis ad declarandos Regiæ Majestatis sensus, censebant suadebantque. Multa contrarium sentientium fuëre argumenta. Præter consuetudinem & naturam moris electum esse Regem de corpore Reipublicæ, non ab externo Principe venire Legatos, nihil oblaturos Reipublicæ cum nihil largiri possit, satis temporis ad inducendos Oratores, ubi

communi consensu Pacta Conventa coaluissent, non enim expedire, ut ad crudas materias invitarentur. Mora tandem & dignitas Legatorum, non ratio persuasit, ut excipiendos consentirent: Deputati itaque sunt, aliquot tam Senatorii quam Equestris Ordinis insignes viri ad introducendos Principis Oratores. Quorum Primicerius Reverendissimus Episcopus Cujaviensis disseruit: *nullos equidem Reipublicæ offerre Sereniſſimum Regem Milliones, omnia tamen daturum, ſi pacem dederit.* Responsum a Reverendissimo Episcopo Vilnensi Saphia, & Marschalco Equestri satis convenienter: tum cum honore dimissi sunt, conventumque, ut à Marschalco Equestri, (qui tum Scipionem tenebat in absentia Sigilli Custodum, liberisque vocibus præsidebat) Vladislai Pacta Conventa legerentur, illis addere aut minuere licitum esset: variæ interim materiæ proferebantur, inter quas Illustris sententia enituit, ut Palatinatus cujuslibet Nobilitas in conventibus in locum vacantis subsellii quatuor Candidatos nominaret, sine repulsâ & ambitu designandos: Senatorum in Comittis Regni Generalibus pluralitas votorum definiret, cui Princeps dignitatem Satrapiæ, aut quamcunque aliam prærogativam conferre deberet. Per illicita petendi via honores occludi videbatur, restringi ambitus deteriorum, summa adipiscendi per scelera & obscura adulationis; corruptorum in omne nefas omnis ætatis morum familiares jam licitationes, opulentis largiendi vitiis, quæ virtus meruerat, eripi campus videbatur, aureum sæculum postliminiò reduci sperabatur, ubi solas virtutes præmia sequerentur. Vtile id in publicum, honestum quâ privatim,

tim, firmandæ liberæ Reipublicæ eximium Aristocratiæ Arcanum, paucorum dissensu aut malevolentiâ, seu potius libidine assentationis, dum præsentia conducerent, modicâ in posterum aut nullâ asserendæ libertatis curâ, irritum fuit. Sessio ejus diei ultra modum bonorum civium zelo extracta est ad horam ferè tertiam postmeridianam, volentium ea temporis indulgentia Pacta Conventa concludere, ob nimios discursus & altercationes perfici tam pium opus non potuit. Exinde discessum ad Rotam, factaque copia consulendi de Republica, quæsitum à Marschalco pauca prælocuto, an omnium mens esset legendi puncta, quæ per Deputatos ad Pacta Conventa stetissent? pauca fuere, percurri nihilominus omnia à Marschalco non potuere, ob vana certamina, quæ plus confusionis afferebant, quam rationis.

Duodecimo Calendas Junii extracta ad meridiem Sessio à Deputatis ad Pacta conventa inchoata est; ibi famulante occasione Subjudex Palatinatus Ravensis vice Instigator Regni, libertatem vocis non circumscribendam, sed legibus firmandam censuit, utilissimum id fore Reipubl. asserens: si à Sereniſſimo Principe suprema officia, ut sunt Sigilla, Campiductorales clavæ cæteræque magni in Republica momenti potestates innexis Domui ejus non conferantur, quos ei millenos in sua familia promptum est invenire. Egregia & illa Sententia de Cleinodiis ac suppellectili post decessum Principis Thesauro Reipublicæ inferenda & approprianda, resentimento Reverendissimi Procancellarii; ut solum id in casu sterilitatis valeret, extenuata, ad extremum etiam in casu

 steriſi-

ſterilitatis, ſterilis fuit. Tandem, aſſerente id quoque injuſtum ſibi videri, ſi propriis rebus Domino diſponere non liceat, poteſtasque teſtandæ extremæ voluntatis contra Jus naturæ ac omne fas eripiatur: non attento omnem fortunam hauſturum Principem è Reipublicæ penu, nec ullum tam exiguum aut grandioris fortunæ beneficium habiturum, quod non immerito Reipublicæ favori acceptum deberetur, penitus ſuppreſſa eſt. Inter artes erat ſecretioris ſolertiæ in contractu nuptiali Sereniſſimi Principis, aliquam quoque adjicere conditionem; neque neglectum eo in paſſu vidimus ingenium.

Major diſcrepantia ſenſuum rationumque, ubi ad conſtituendum Ordinem Regeſtri Comitialium Regni cauſarum deventum eſt: omnibus ferè nitentibus, ut cauſæ eo ordine tractarentur, quo in Catalogum ſeu Regeſtrum inſcriptæ fuiſſent, nec facultas eſſet Principi eas pro libitu transferendi. Illuſtriſſimus Primas diſſonantiam ſuam ratione tuebatur, futuram eam poteſtatem regeſtrandarum cauſarum in manu Scribarum, qui pretio corrupti contra dignitatem Reipublicæ eam ſibi uſurpabunt cum licentia poteſtatem. Occultius Reverendiſſimus Procancellarius ſuadendo declinabat in contrarium ſenſum, ſaltem cauſam magni momenti licitum eſſet Principi extra Regeſtrum ad beneplacitum ſuum judicare; ſed eam vocem cum aſpernarentur & obſtreperent vocibus, palam profeſſus eſt, id quoque ſe, ut cæteri Nobilium, ex libertate uſurpare, ac præſentem materiam Lege firmari nullatenus permittere. Diſpari animorum contentione proviſionem Sereniſſimi Principis abdicati tuebantur;

tur; ſed renitentibus ſtrenuè Deputatis Equeſtris Ordinis, cum negotio de Campiductorali clava Procancellario M. Ducatus Lithvaniæ collata, velut pro ſubſidio ad Rotam Equeſtrem rejecta eſt. Quamvis fortè parum mihi expedierat eas ſententias poſteritatis Judicio prodere, quæ per incorrupta majorum inſtituta & flagranti libertatis zelo honeſtæ, aut per dedecus ſervilis adulationis, vel nimiâ ſpe & prægnanti libidine futuræ potentiæ, ut in publicum noxiæ, ita, cum ſine cura libertatis legumque agi deprehenderentur, non ſine nota & perenni famæ in Familias dehoneſtamento, vero poſteritatis ſeculorumque expenderentur judicio; ſimulque quæ tunc rerum facies, quam labefactata Reipublicæ forma, quantum publicâ egeſtate, ſingulorum avaritiâ, de antiquo Reipublicæ deceſſerit ſplendore, aſſuetis ad licitationem animis; ubi vili erat pro pretio quæſtuoſa virtus: multis libertatis ſtudium profitentibus ſtatimque negligentibus, cum non ex amore Reipublicæ, ſed ex uſu jactandi inania, aut ob metum & pudorem, ne plurium conſenſu vincerentur, plerumque ſpe & gratia fractos, ab honeſtiſſimis quibusque ſententiis deſciviſſe. Demum incurioſa virtutis Majorum poſterior ætas meminiſſet temporum, quam Reipublicæ formam primi Parentes reliquerint, ulteriora miraretur, præſentia non ſequeretur, nec voto & affectu Rempublicam reddere beatam cuperet, ſed moribus & antiquo Legum cultu. In Equeſtri Rota urgebant Zamoiſcii, impetrata à Marſchalco voce, ut Reſpublica deputare dignaretur ad Sereniſſimum Regem, ut ille cum Illuſtriſſima Principiſſa Matre ſua conferre vellet,

let, & authoritate ſua id efficeret, ut illis in eorum deſideriis ſatisfieri poſſet: promoventibus, aliis negantibus, cæteris lectionem Pactorum Conventorum urgentibus, integra Seſſio evanuit.

Poſterâ die in Arce cum de diſtributione Vacantiarum ageretur, Jura Indigenatus Terrarum Pruſſiæ ſtrenuè à Regnicolis oppugnata, & á noſtris egregiâ tuitione propugnata ſunt, donec ſoluta Seſſione ad Rotam Equeſtrem ea quæſtio ab omnibus decidenda rejiceretur. In Rota cum Pacta Conventa Director Equeſtris legere contenderet, Succamerarius Mſcislavienſis arreptâ voce conqueſtus eſt, ſe in periculo honoris eſſe, cum injuſtam patiatur impetitionem à quodam cive, qui illum, prius cum ad generale forum Capturale provocaſſet, publicâ verò abrogatione Judiciorum, denuò ad Judicium Marſchalci Regni citaſſet, ut tandem poſt diſceſſum ſuum gravare infamia poſſet. Varia eâ ſuper re vota, conſenſu rata, aut diſſenſu irrita fuere: oſtendentibus nonnullis Legem, quæ exciperet omnes Nuntios eorumque familiam à Judiciis quibusvis ſuper eos extendendis: aliis in contrarium aſſerentibus, eam Legem in præſenti Actu Electionis ſubeſſe exceptioni, cum hic nulli in ſuis Perſonis Palatinatus repræſentantes Nuntii, ſed univerſa Nobilitas abſit, & privato cuique licita activitas. Conſenſu tamen publico ſtetit, ut ad Marſchalcum Regni Director Equeſtris deputaret, ut ab eo Judicio Proprætori ſuo abſtinere mandaret: cæteri volebant, ut Marſchalcus Equeſtris quatuor Deputatos ex ſingulis gentibus nominaret, qui hanc cauſam formato Judicio definirent. Inter

ter has controverſias ſimilesque diſcurſus noctis primordium Rotæ conſilium diremit.

Decimo quinto Calendas Junii ſolennitas Octavæ Corporis Chriſti pietate Chriſtiana illuſtris conſilium de Repl. ad horam ſextam veſpertinam retraxit: id ægrè tulere multi, cum eodem tempore ad Rotam & in arcem conflueret Equeſtris Ordo ambiguus conſilii. Materia Indigenatus iterum occaſio concertationum fuit, remoraque publicorum conſiliorum. In hac porrò Seſſione Pactorum Conventorum cum nihil in vim concluſionis, ſed tantummodo præparationis gratiâ agitari poſſet, in Rota Equeſtri ſatius eſſe de mane Seſſionem inchoare multi cenſebant, ut ea ratione facilius expediendis Reipublicæ negotiis occurri poſſet.

Decimo ſexto Calendas Junii ſolito maturius in Rotam Senatus & Eques convenere. Seſſio ultra modum per integram diem continuata, contendentibus vota ac ſpem publicam optato conſiliorum fine coronare. Expediri nihilominus non potuit ob graves materias & ſolida rationum certamina. Inſignis utilitate Reipl. excuſatus invidiæ, communis ſtatus ratione, Conceptus, ne Rex ſuprema officia Sigillorum Regni, Præfecturarum Exercitus, cuicunque conferre promptum haberet ſine expreſſo in Comitiis Regni Generalibus Reipubl. Judicio & aſſenſu, contraventione nimio Aulæ favori litantium ſuppreſſus eſt, non ſine dolore bonorum Civium nullis affectibus obnoxiorum. Materia incompatibilium majori motu agitata cum grandiori temporis detrimento, multis pervicaciter urgentibus, quos Radzivilianus afflavit fe-

 vor,

vor, ut id quoque adjiceretur punctum, ſalvis modernis poſſeſſoribus. Paceani è diametro Legem de incompatibilibus reaſſumi contendebant, ſine adjecto, quando plura in tanta Reipubl: temporum iniquitate obtinere non poſſent. Vix tandem præcipuorum in Repl. virorum precibus cohibiti ſunt, quin in apertas erumperent contentiones, pollicente Reverendiſſimo Archiepiſcopo, brevi temporis momento ſe diſſonos illorum animos ſuâ aliorumque obſequii operâ conciliaturum; biduo ſuper tractatu concordiæ abſumpto, irritatis magis animis quam compoſitis, damnatæ, proborum judicio civium, pervicaciæ relicti ſunt. Reliquum temporis, proviſionis materia Caſimiri Principis prodegit, Reverendiſſimo Epiſcopo Varmienſi Legationem obeunte, & amœna quamvis oratione favorem Principi ſuo quærente, confuſionem tamen & invidiam frementis populi declinare non potuit. Illuſtriſſimus Primas nomine Senatus magnificè & pro cauſa fidenter reſpondit: Marſchalcus Equeſtris, explorata ſingulorum Palatinatuum voluntate, Equeſtrem quoque Ordinem Proviſioni Sereniſſimi Principis libenter annuere, hâc adjectâ cautelâ, ut privatorum injuriis civili bello irrogatis ſatisfieret. Tum Kuropatnicius, non ſe Proviſioni Sereniſſimi Principis Caſimiri contradicendi animum adferre, id ſolum præcavere, ut & Mercatoribus ſatisfieret, qui datos Tartaris â ſupremo Duce Exercituum Regni pro obſidibus inſignes milites mille aureis redemiſſent. Actum & de perſolvendis ex publico Cataphractorum, vulgò Uſarorum, vexillo Illuſtriſſimi Principis Campiductoris Regni ſtipen-

pendiis, dumque alii modos inſinuant, ſupremus Theſaurarius Regni inopiam Theſauri teſtatur, & ab onere excuſat; Nox, turbo, procella, confuſas materias diſtraxére.

Primo Calendas Julii tempeſtive ad Rotam Senatus & Eques confluxerunt, omniaque fere Pacta Conventa ad meridiem communi concordia confirmata ſunt, reliquæ materiæ parem proſperi ſtatus eventum præſtolabantur; Cum repentè odiorum materies inter partes exarſit, ſubminiſtrante fomitem Caſtellano Poſnanienſi per projectum, medium eâ tempeſtate ad res turbandas & convellendam Reipublicæ tranquillitatem validum: quaſi Radzivilius Procancellarius M. Ducatus Lithvaniæ præſcriberet Regi Electo Leges, ſvaderetvè, quid de eis concedendum aut rejiciendum eſſet. Jam ad infeſta, jam & ad convitia partes transgrediebantur: Cum rurſum Lithvani novis motibus occaſionem præbuere, urgentibus nonnullis Lithuanorum exercitus dimiſſionem, aliis tuentibus ſvadentibusque, id quamvis neceſſarium & utile ſibi ſuisque rebus eſſe fateantur, nihilominus tamen aliter id evenire non poſſe, niſi debita prius ſtipendia militi numerentur; parabantque ex conſilio Reipublicæ ſeorſivam Seſſionem, ut inter ſe ſuper eo negotio differentias modificare poſſent. Epiſcopo Cujavienſi inter Magnates Lithvaniæ ſuam interponente authoritatem, tandemque conventum eſt firmata concordia, ut Radzivillius minori Sigillo & Campiductorali clava potiretur, ſed bona, quæ olim â Palatinatu Vilnenſi avulſerat, decem millium cenſu commendata, ſupremo

 Duci

Duci Exercitus Lithvaniæ Pacio eidemque Palatino Vilnenſi dimitteret, hinc certa ſpes erat eâ die definiendorum Reipublicæ conſiliorum. Cum Zamoſcius impetrata voce acritèr conqueſtus, quod in æquali Republica non flere, non ſupplicare, Judicio demum finiendi litem facultas miſero non daretur, proteſtatione ſolennitèr facta contra totum Electionis Actum, Pactorum Conventorum definitionem, & præſtando ſuper ea Electi Regis Juramento, erumpens ex Rota diſceſſit. Levitèr primò & contemptim à Nuntiis Palatinatus Sendomirienſis habita ea proteſtatio, tanquam unus illorum infamiæ pœna innodatus, alter complicitatis reus, impedire activitatem totius Rotæ non poſſent. Diverſam ad hæc naturam Comitiorum Electionis à cæteris Regni Comitiis cauſabant: nec mittere ex Rota ad revocandos, quamvis multi ſuadebant urgebantque permiſere: vix conſentientes, ut Director Equeſtris Rotæ, nomine ſuo ad illos privatim expediret, quorum Legatio ſucceſſus vacua fuit; ſed poſtquam Marſchalcum Regni, qui pro tunc liberis vocibus, præſidebat, poſuiſſe ſcipionem adverterunt, & liberarum activitatem vocum facultati diſpenſandi renuntiaſſe; pro libitu, prout cuique affectus aut ingenium ſuppeditabat, diſſeruêre. Inter cæteros Judex Sendomirienſis cenſuit, ut â majoribus præſcriptum & conceſſum arriperent exemplum, qui in ſimilibus Electionis caſibus quatuor aut plures ſelectos ê Republica viros deputabant, qui contra hujusmodi convulſores Reipublicæ Sanctorum, ſolennem nomine Reipublicæ facerent proteſtationem, ne Reipublicæ ſecuritas, ne ſtatuum tranquillitas confun-

confunderetur: hoc tamen medium eventu irritum fuit, ſuſpicante Republica illum caſum non factionis malevolentiâ, ſed juſto dolore afflicti civis eveniſſe. Nec multo poſt ex Rota Eqeſtri diſceſſum eſt.

Secundo Nonas Julii frequentiſſimo Senatu conſultatum, quâ ratione Zamoſcii revocari poſſent. Tandem, ut in metu evenire ſolet ac Reipublicæ periculo, citius quam pro more (cum deformatis corruptiſſimæ Reipublicæ inſtitutis, illud quoque crudi moris irrepſit inconveniens, minimas etiam materias infinitis imprægnandi diſcurſibus diverſarum obtruſu materiarum, diſſonas prolificare voces, non rebus ſed verbis ſtudere, plus loqui quam ſentire, agendi tempora conſulendo extrahere, orationem verbis ornare, Rempublicam detrimento temporis, jejunam conſilii, velut diæta afficere, non ſanare) communi conſenſu approbatum eſt illud medium, ut ad illos Marſchalcus Equeſtris ordinis mitteret Legatum è medio Rotæ publico nomine, proponeretque illis Reipublicæ facilitatem, quæ illos Conſtitutionis fide aſſecurare intenderet, definiendæ eorum cauſæ in Comitiis Coronationis, judicandæ per Deputatos 12. ex ſingulis gentibus: miſſusque ad eos Succamerarius Breſtenſis Cujavienſis, cum hac declaratione, paulò poſt regreſſus eſt irrito conatu: nam illi, hoc medio malè contenti, Deputatorum tam grandem numerum pertimeſcebant, quorum ambitus ut vitari non poſſet, ita eorum cauſæ ſummum adferret diſcrimen; ſuum quoque projectum Reipublicæ miſerunt, ubi non modo Judicium petebant à Republica, verum etiam *ne Ordinatio* majorum ſuorum

circa bona Zamoiſciana periclitaretur, poſtulabant. Id reſcriptum apud plurimos ſummæ indignationis motivum fuit, verſique ad Conſilia univerſi, vana rationum momenta afferebant, ut ſereniſſimo Principi Electo, quoniam Zamoiſcius contra firmata præſenti conſenſu Pacta Conventa proteſtatus eſſet, Caſimiriana Pacta Conventa proponerentur, moderna autem, & quicquid Respublica ſub tempus coronationis offerret, Rex ſub nexu præſentis Juramenti ſe rurſum alio Juramento firmaturum ſponderet. Jamque hoc medium omnium conſenſum inveniſſe videbatur, cum Reverendiſſimus Epiſcopus Cracovienſis contra diſſeruit, id ſibi penitus placere non poſſe, cum multa inveniantur in Pactis Caſimirianis, quæ Rex nulla ratione, ſine læſione conſcientiæ & perjurii periculo, jurata fide, firmare poſſet nec præſentem Principem deceat. Tum progreſſus dubii; de proteſtationibus contra Zamoiſcium faciendis publico nomine diſſeruere: eum pro Hoſte Patriæ declarando: Alii recurrendum eſſe cenſebant ad Confæderationem ſuper turbatores Reipublicæ & ſciſſionis fomentatores ineundam, ex vi Confæderationis proponendos Principi Articulos, ſuper quos juraret. Ad retinenda præſentia Pacta Conventa inclinatos jam animos validius impulit Pac magnus Cancellarius M. D. Lithvaniæ, aſſerendo, ſe ſuper Pacta Conventa Caſimiriana nulla ratione conſentire poſſe: nam ſi activitatem Reſpublica habere non poteſt, quomodo in afferendis Regi Pactis Conventis Caſimirianis novam Legem formare poſſit? ſatius eſſe & honeſtius, ut Princeps Electus Juramento firmet præſentia Pa-

tia Pacta Conventa, in quæ tota Respublica & ipſi proteſtantes conſenſiſſent. Converſa proinde omnium vota, an activitatem Reſpublica ſibi reſtituere poſſet? Illuſtriſſimus Primas egregiè ſervatâ in ſua ſententiâ mediocritate, aſſecuranda eſſe illis per Conſtitutionem Judicia cenſuit, eo adjecto, Rempublicam omnia eis conceſſuram, quæ antea ab ipſa petiiſſent, tum deinde liberè ad felicem conſiliorum coronidem condeſcendi poſſe. At Judex Sendomirienſis acriter invectus in Zamoiſcios contendebat Reipublicæ activitati nihil derogatum eſſe per proteſtationem à Zamoiſcio factam, qui cum contra totum Actum Electionis proteſtatus ſit, pariterque contra Pacta Conventa, in quæ ultro conſenſerat: proinde eam proteſtationem enervem & irritam eſſe. His aliisque rationibus extimulati, & approbare videbantur, & non plenè conſentire ſuper iis Conſiliis, quorum effectum atque finem deſiderabant. Recentia tamen Pacta Conventa placuerè, utpote quæ multum præſenti Reipubl. ſtatui conducere præſumebantur. Jamque fatali impetu properabatur, ut Sereniſſimus REX Electus ſuper ea Juramentum præſtaret. Exorbitantias verò ſub nexu ejusdem Juramenti, quæ in futura Coronatione ſtatim poſt actum ſolennitatis tractari deberent ſe firmaturum polliceretur; Illæ nihilominus Exorbitantiæ, quæ in Comitiis præſentibus Electionis publicâ concordiâ convaluiſſent, Actis publicis ingroſſarentur, quarum extractum Marſchalcus Equeſtris Ordinis futuro Directori Comitiorum Coronationis, pro informatione Reipublicæ & felicibus conſiliorum auſpiciis, offerret. Nihil deeſſe ad

Coro-

Coronidem videbatur, cum Cancellarius M. D. Lithvaniæ differuit diem jam deficere: Juramentum Regis Electi nondum lectum esse à Marschalco Equestris Ordinis: materiam M. D. Lithvaniæ dimittendi exercitus, qui sine exolutione stipendiorum in Confœderatione potius abiret: quam se dimitti pateretur, exolutionem sine tributis contingere non posse. Proinde concederent M. D. Lith. brevem moram, ut saltem crastina die tantum negotium, inito in Arce Cosilio, modificare posset. Restabant adhuc expediendarum Sueciæ aliorumque Principum Legationum materiæ, sed de his nihil tractari poterat sequenti die, sine præsentia Nuntiorum M. D. L. qui per binos dies materiam suam facilitare non poterant; frequentante nihilominus Rotam Mareschalco Equestri ac concessa publicis consiliis discretione temporis, non tædiosa Sessio solvebatur.

Dies Saturni Comitialis operis finem, aut consiliorum confusionem expectabat. Cum hora tertia postmeridiana universus Senatus & Eques, intentus quisque, prout cuique mens & affectus prosperis aut adversis votis suis in Rota affuit, Magnus Ducatus Lithvaniæ per Deputatos tantum ex consessu suo Reipl. negotia juvit; nam ea die ex Arce ad Szopam sessionem suam transtulerunt, cum intra tres dies dimittendi Exercitus adæquatas non potuissent invenire rationes, cujus tandem negotii decisionem ad futura Coronationis Comitia rejicere necesse habuerunt. Zamoiscіorum causa rursum controversiarum materies, agendorum consiliorum mora, cum in suis desideriis paulo ante acriter persisterent, insperatâ muta

mutatione (qui pridie Rempubl. terruerant, trepidabant) variis in Rota excepti vocibus, ac penè pro hostibus Patriæ à nonnullis declarati & proclamati, & qui prius Spiritu feroces adversis suæ causæ leges dabant, Reipubl. Majestatem reveriti, quieti mœstique mandato Imperatricis Fortunæ & Fatis submisere animos.

Deerat jam justa litibus materia. Unde miram confusionem & familiare quidem, sed pernitiosum ex libertate vitium spectare expedit; egregiæ quoq; materiæ, publico inventæ commodo, discursibus agitabantur, & sæpè vanis, aut speciosis rationibus ne coalescerent, corrumpebantur, adeò jam corruptis à nobis moribus Majorum, ut à nulla in universo terrarum orbis Natione accommodatius illa Paræmia usurpari possit, quam ab inclyto, sed jam declivi Sarmatiæ Regno. *Dum Romæ consulitur, Roma perit.* Erant in Rota Equestri ex Palatinatu Podlachiæ & Ducatu Mazoviæ, qui publicis sumptibus retinendum Præsidium in fortalitio Barensi, suspectâ voce contradicerent. Coronationis Comitiorum tempus 29. Septembris celebrandum Cracoviæ: particularium in Palatinatibus & districtibus Comitiorum præfixio intra sex septimanas à Conclusione Comitiorum Electionis ab Illustrissimo Primate declarata est. Jam Sol diem deserebat, cum à Marschalco Equestris Ordinis, Rota Juramenti Electo Regi exhibenda, super quam postero die juraret, præsentata est. Tum ubi consiliorum finis aderat, Director Equestris insigne officii sui, scipionem ponens, gratias egit pro beneficio favoris liberaliter in se collato Equestri Ordini, cui pro ingenti labore & continuò exantlatis pro

Republ. curis, pari officiorum teſtificatione Equeſtris Ordo magnificè reclamavit. Iis diebus advenerant Coſacorum Nuntii pactorum Hadziacenſium confirmationem à Republ. & Electo Principe petituri: obedientiam Reipubl. & Patriæ amorem, ut quondam antequam bello ſervili per ſummam injuriam & oppreſſionem ſtatus ſui miſcerentur, promittentes: ac fideliter ſe Dominio Reipubl. ac Principis imperio parituros, ſi paterno affectu in poſterum haberentur, & juſto regerentur imperio.

Ipſis Nonis Julii Rex Electus ad templum progreſſus eſt, non capiente Sacra æde, quamvis non anguſto ſpatio, Populi multitudinem: Reverendiſſimo Archiepiſcopo ad magnum Altare ſacrum celebrante, magno omnium favore, quod rarò viderant, laudantium & mirantium: ſtabant à dextris Archiepiſcopalis Eminentiæ, à ſiniſtris Epiſcopalis dignitatis inſignia: ipſe ſpecie magnificus, ore, verbis, adſpectu, motu denique ad elegantiam compoſitus, Illuſtrem ejus diei actum oneraverat ac ornaverat magnificentia: Peracto ſacrificio, ſtabat Illuſtriſſimus Primas in eo ornatu, quem induerat, pro gradibus altaris, tenens manibus Evangelium ſuper quo Rex jurejurando firmaret Pacta Conventa: ad quem Princeps pietatis manifeſtus procedens, flexo genu, exhibente ei Rotam Juramenti Archiepiſcopo, de more Juramentum præſtitit. Tum Illuſtriſſimus Primas ſpecie Senatus, Mareſchalcus, Equeſtris Ordinis nomine, grati animi teſtificationem, ſuæ quisque commiſit Svadæ. Principis ore gratiarum

rum actionem Illuſtriſſimus Gninſcius Palatinus Culmenſis reddidit. Transactis ceremoniis Mareſchalcus Curiæ clarâ voce publicavit: Polonos jam juſtum Regem habere. Hic finis Electionis Comitiorum fuit: confuſo tractandorum negotiorum ordine parum decorus; malis artibus & ingeniorum ſtratagematibus dubius, ac penè inſperatus: inverſa Electionis methodo, Reipubl. ominoſus, altè radicatis periculoſus factionibus, niſi quod malorum metum & graviora metu ipſa mala, ſupremâ lege fatorum Sarmatici fortuna Imperii abolevit.

ANNALIUM

LIBER IIDUS.

Comitiorum Coronationis,

Anno cIↃ DC LXIX. XXIX. Septembris inchoatorum.

SUb meridiem triumphalis diei cæleſtium exercituum fortiſſimi Ducis Michaelis Archangeli Coronationis ſolennitas in Baſilica Sancti Stanislai Arcis Cracovienſis peracta eſt, Illuſtriſſimo Nicolao Prazmovio ArchiEpiſcopo Gneſnenſi ſolennia Coronationis peragente.

Sequenti die qui ultimam Calendas Septembris involvebat juramentum fidelitatis Civitas Cracovienſis, cæteræque illuſtriores Regni Urbes in Theatro ad id in medio fori extructo Regi præſtiterunt, qui eques ex Arce præcedentibus Regem Regni inſignibus deſcenderat. Visnioviecio Palatino Belzenſi & minori exercituum Regni Præfecto Pomum, Supremo Regni Mareſchalco ac exercituum Duce Sceptrum ludente in Humanis divina Potentia rebus; ut qui modo ante alium Sceptra ferret, mutatis repentè vicibus eodem Sceptro Jura Gentibus daret. Palatino Sendomirienſi in aurato pulvinari Coronam præferente. Proximi Regem anteequitabant Sieniavius Regni Vexillifer cum inſigni Aquila,

Bielinſcius Enſifer Regni ſtricto gladio & ſpecie magnificus. Regem ſplendidæ Huſſarorum turmæ comitabantur, &, quâ ad Theatrum patebat aditus, velut pro vallo ſtetere, æneo Thebanorum fortiores muro. Reddito Civitatis Cracovienſis per PræConſules juramento, in circuitum Urbis explosæ ſunt majores machinæ. Leopolienſis Urbis cum Vilnenſi modica interceſſerat controverſia, quænam prius exſolveret juramenti officium, datæ nihilominus partes Vilnenſi Urbi, utpote Metropoli Magni Ducatus Lithvaniæ. Differunt ritu à Regni Civitatibus Urbes Terrarum Pruſſiæ, nec ad hoc contubernium pertinent fidelitatis, cum quemadmodum circa juramenti formam diſcrepant, ita multum augent jurisjurandi ſolennitatem reverentiâ, cum ad præſentiam delegati à Principe Commiſſarii coacta in forum Univerſa plebe, ac erectis in Cœlum digitis præeunte Magiſtratu in Verba Principis ſui jurare conſueverunt.

Primo Calendas Octobris concordibus ſuffragiis, rarâ Uniformitatis felicitate Andreas Kryſcius in Mareſchalcum Equeſtris ordinis electus eſt, receptoque à Directore proſpere transactorum Electionis Comitiorum Scipione, & exhibitis pro favoris conteſtificatione gratiis, ſeſſionem ejus diei ſolvere non maturavit: donec ex conſenſu publico, cum denunciatione electi feliciter Directoris, ad Regem mitteret: proprii non incurioſus decoris, quaſi unâ die rariori ſuffragiorum felicitate eligi ſatis non eſſet, niſi & gloriari contigiſſet. Sic fortuna magis blandiri ſolet initiis, dum finem tragico parat exitu inſignire.

Primo

Primo Nonas Octobris, jam ſeſe univerſa Nuntiorum corona ad ſalutandum Regem expedierat, cum repente nonnullorum Vocibus irrepſit dubium, quinam à ſalutatione Principis (ea enim ſolis Nuntiis conceſſa eſt in decus prærogativa) abſtinere deberent. Tum hac occaſione ad mutuum exciti certamen, Szydlovicius Dapifer Plocenſis, Narzymſcius Vexillifer, Scriba Caſtrenſis Moſtovius; cunctisque Judicium Reipublicæ placuit. Ergo ſurgentes de loco poſitis velut publicæ perſonæ ad Aram Libertatis exuviis ad ſiniſtram Mareſchalci conſtiterunt, adoratoque prolixè univerſorum Collegio; prior Moſtovius meritum cauſæ peroravit; ſe ſuosque Collegas electos eſſe in Conventu, qui per Conſtitutionem pro 20. Auguſti aſſignatus erat, ſed invidia Partis corruptum eſſe, quod illi ſocordiâne, an malignitate non interfuiſſet: rurſum â Reverendiſſimo Primate impetratas Univerſales literas pro 30mâ cum adverſa Pars pro 31mâ intimatum eſſe contra conventum fortiter aſſereret, probaretque. Poſt grande verborum diſpendium, Curiâ excedere juſſi ſunt; dubitatumque à Republica, an facultas talium extradendarum literarum Illuſtriſſ. Primati eſſet? cum id nulla Lex poſt Principis permittat inaugurationem, tum quod contra utrosque agentes Conventus Proteſtationes à Nobilitate factæ eſſent, utrique proinde à Publico prohibiti Conſeſſu, addita fraterni amoris conteſtificatione, ut ſi Activitati functionis reſtitui vellent, literas Univerſales celebrandi rurſum Conventus à Sereniſſimo Rege impetrarent. Hoc judicato erumpens cæterorum in pari caſu diſcordia, pudore

dore ac metu cohibita est. Secundo Nonas Octobris dies solennitate Sancti Francisci illustris, per pietatem Christianam libera à negotiis Republ. acta est. Tertio Nonas Mareschalcus cum Equestri Nuntiorum Ordine ad salutandum processit Principem, ubi in frequentiâ Senatus laudes Serenissimæ Principis Familiæ recensuit, & auspicatum Imperium voto Equestris Ordinis precatus est: cui ab Illustriss. Regni Procancellario concinnâ responsum est Oratione. Quarto Nonas Octobris, disuadente licet majore parte Senatûs, Rex aureum Vellus ministerio Legati Comitis ab Arach ejusdem Ordinis aurati Equitis à Carolo II. Rege Hispaniarum missum accepit, ac finito in conclavi Divino Sacrificio, quod in absentiâ Archi-Episcopi Episcopus Cracovienſis celebravit, jurata fide firmavit nexum confraternitatis. Stephanus olim de Somlio Bathoreus ingentis animi Princeps dedisse ad gloriam fertur exemplum coronatis Successoribus, sed non meruisse imitationem videtur. Submissum illi pariter fuerat à Rege Hispaniarum aureum Vellus, sed callidus Princeps apprimè gnarus; non magnificentiæ Titulum Regibus Poloniæ parari, quorum immensa Majestate ornata potestas esset; Sed peregrini servitii nomen, aut submissionis gloriam quæri; explorato muneris pondere, loco Agnelli defluentes è catenâ aureâ Lupinos Dentes, Gentis suæ Natalitium Insigne, similis Valoris comparare jussit; tum instante solennitate actus, dum â Legato Regis Hispaniarum aureum vellus offerretur; ipse quoque sua munera promere jussit, adjecta declaratione: Si Legati votum esset, ut ipse oblato sibi

sibi munere uteretur, Rex quoque Hispaniarum Frater suus eam catenam & Insignia Gentis suæ gestare non dedignaretur. Respondente Legato, eam sibi à Domino provinciam injunctam non esse, jussu Stephani Magnanimi Principis declaratum est: Reges Poloniæ alienæ magnificentiæ Titulis non egere. Versæque res in ludibrium. At Principi ob invictam animi magnitudinem, præter serenos Populi sine modo plausus, immane quantum veræ gloriæ accrevit. Ipsis Nonis Octobris, universa ferè nuntiorum corona ad excipiendam Principis Propositionem procedere recusavit, donec in distributione hospitiorum acquietaretur, cum Deputati à Mareschalco Equestri ad revisionem Residentiarum parum suâ diligentia profecissent. Major motus animorum fuit circa materiam, an Mareschalcus Equestris post Propositionem à Principe factam, urgere deberet distributionem Vaccantiarum, cum id Lege 1607*mi* & vi Pactorum Conventorum expressum ac firmatum sit? an verò, factâ Propositione & exceptis votis Senatus, tum primum Vaccantiarum distributio exigenda esset, quod pauci nunciorum, sed validi potissimùm ex Palatinatu Sendomirienſi usu tuebantur. Conventum post longas controversias ab Universis, ut post Propositionem Principis Mareschalcus generalibus terminis Vaccantias urgeret, Exulum quoque Diplomatis non oblivisceretur. Hac ratione combinatis animis, ad audiendam propositionem cum Illustriss. Mareschalco suo processerunt. Qui pauca prolocutus ad Regem (quamvis non sit moris, ut ad propositionem Mareschalci venientes Principes alloquantur.)

Sed quia illi præscriptum fuerat, egregiè Officio functus est. Tum Illustriss: Pro-Cancellarius Regni, grandi præmisso elogio Principis, puncta propositionis paucis verbis declaravit, quorum materia fuerat Cosacorum ad obedientiam reductio, ac ulterioris Russiæ recuperatio; matura continuatio cum Magno Moschorum Duce Commissionis, munerum, seu ut Tartari vocant Haracz, quæ ad festum S. Joannis pro medio scilicet anno reddita sunt, pro altero dimidio instans largitio. Exercitui Reipubl: in retentis stipendiis satisfactio. Fortalitiorum in limitibus Regni sitorum fortificatio. Debitorum Reipubl: exolutio. Argenteæ ordinatio officinæ: Assignatio Commissariorum pro secura depositione procuranda Insigniorum Regni: extraordinariarum laudatio contributionum: extraordinariorum ad Magnum Ducem Moschoviæ Nuntiorum, pro firmanda amicitia destinatio. Recompensa proventus Principi pro avulsione Novodworensis Oeconomiæ. Persolutio Exercitui Magni Ducatus Lithvaniæ trium millionum & 300000. millium. Constitutio pretii rerum. Exolutio summæ Trubecensis. Addidit postremo Regem Sereniſſimum Vaccantias juxta Legis præscriptum, post excepta ab ipsis Vota Senatoria, redditurum:, interim diem unum aut alterum insumpturum deliberationi. Mareschalcus itaque Equestris ad conclave Nuntiorum reversus sessionem ejus diei solvere maturavit.

Primo Idus Octob. Vexillifer Chelmensis Romanovius generosa voce Regem & Ministros ejus incusavit, quod in novo imperio contra Leges insurgeret Dominatio,

tio, neque pensi haberetur pristina sors fortunæ & unicus ad tantum fastigium gradus, amor Concivis Civium. Tum orta iterum de Residentiis quæstio, & quod contra veterem morem à Magistris hospitiorum eluderetur distribuendi Hospitia consvetudo magno venientium Nuntiorum incommodo, cum regius Distributor Residentiarum pro sola Principis Aula 400. alienaverit domos, & licet requisitus ad reddendam rationem, comparere recusaverit. Missi proinde ad Regem è Collegio Nuntiorum singuli ex Gentibus qui peterent publico nomine, ut desiderio Nuntiorum satisfieri posset, utque tertia pars hospitiorum affluentibus ex M. Ducatu Lithvaniæ Nuntiis, more antiquo exdivideretur: quare Princeps quatuor ex Senatu legit, qui publicæ Nuntiorum commoditati gratificarentur.

Secundo Idus Octob. communibus Votis conventum est, ut Vaccantiæ per singulos Palatinatns recenserentur. Singulis igitur ex Palatinatibus dabantur à Mareschalco voces, sed propter variarum materiarum importantiam, unius diei sessione molestum semper Comitiis opus continuari non potuit; quamvis singuli tautum ex Palatinatibus Collegarum suorum nomine facerent declarationes: nec parum remoræ circa declarationem Terræ Rozanensis fuit, cùm Nuntii inter se mutuò de legitimitate functionis disceptarent, quorum ad præsens activitate suspensâ, expeditis Palatinatuum Declarationibus, ad Reipubl. judicium rejecti sunt. Capitaneus interim Osviecimensis exarsit in Rupnievium ratione collati ei Castellanatus Sondecensis, tanquam immeritum, pænâ potiùs

potiùs quàm præmio dignum, quod Superintendentiam in Officinæ Magiſtrum Borathinium ſibi à Republ. commiſſam malè adminiſtraſſet; unde illum per conniventiam, Borathinium per fraudem & Reipubl. illuſionem publici reum criminis ac Decreto Commiſſionis Leopolienſis notatum peculatus. Flexus tamen rationibus ab oppugnatione Caſtellanatus, ſuperſeſſurum ſe quidem promiſit, ſi publico Conſenſu ſacroſanctè ei ſponderetur, tam Rupnievii quam Borathinii & Tymphii cauſam in præſentibus Comitiis judicandam, non obſtante Decreto Libertatis, quod Rupnievius in judiciis Regni Capturalibus Varſaviæ ſub tempus Electionis in Regeſtro Fiſci obtinuerat; cùm Decreto Commiſſionis Leopolienſis, ut in cauſa conjuncta cum Magiſtro Officinæ ad Comitiale Tribunal remiſſus eſſet.

Tertio Idus Octob. integræ ſeſſionis tempus judiciis abſumptum eſt diſceptantibus inter ſe mutuo partibus. Terræ Rozanenſis Nuntii rurſum de Legitimitate inter ſe celebratorum certabant Conventuum. Vexillifer Rozanenſis Podoſcius & Collega ejus Jeziorkovius Conventus ſui realitatem ex eo tuebantur, quòd 2cmâ Auguſti juxta Comitiorum Electionis Legem egerint Conventum, contra Pars adverſa, ſcilicet Capitaneus Makovienſis Veſzelius, cæterique 30mâ Auguſti per literas Univerſales Archi-Epiſcopi, indictum fecerint congreſſum. Sed cùm nulla legitima data ipſis cauſa contraveniendi priori conventui eſſet, neque manifeſtam, ſed clandeſtinam contra morem ad diſſolvendum Proteſtationem feciſſent, ac inſuper Generalem Conventum totius

totius Maſoviæ Ducatus Varſaviæ celebratum ante proxima Coronationis Comitia ſeditioſo animo; ne judicium in eodem Generali Conventu pati cogerentur, diſrupiſſent. Legitimitas prioris Conventus Terræ Rozanenſis juxta legem peracti vincentibus ſuffragiis approbata eſt, ſimulque Vexillifero ejusque Collegæ adjudicata activitas, proſcripta alterius Partis Inſolentia. Urgebat interea continuo impatienter, in queſtus erumpens, privatus quidam Nobilis objectionem Capitaneo Viſicenſi Koſſacovio & ſcribæ Terreſtri Mariæburgenſi, oſtendebatque obtentam ſuper ipſis infamiæ pœnam, ob atrocem Romano Nobili illatam necem. Igitur à Directoris Curuli, uſu recepto, dum privatus publicæ Perſonæ faceſſit negotium, expeditâ ſufficienter ab Actore Cauſa. Accuſati Nuntii è ſuo quisque loco honorem ſuum & innocentiam tuebantur, & ſiquidem de Activitate tantum inculpatorum Nuntiorum agebatur: nam in Principali negotio decidere, alienum à facultate & more Tribunitiæ Conclavis eſt. Sed Capitaneus Viſcienſis, dum ſe excuſat operoſiùs, infenſiùs accuſabat. Nam cùm ſe contra datum ſibi in proprio Conventu Mandatum pro præſentibus Comitiis Coronationis; Articulo propriæ Inſtructionis tuetur, contra manifeſtum legis tenorem, Activitate abjudicatus eſt. Notarius Terreſtris non prohibitus confeſſu, quod neque Mandatum in Conventu Palatinatus datum ipſi fuiſſet, neque ulla in eodem conventu facta eſſet à Parte adverſa Contradictio. Nec quicquam ei obeſſe potuit, quamvis Vilczevium Pars argueret: Cauſam in Areſto Comitialis Decreti 166. *Quarti*

habere: ille ſeſe tuendo evaſit; quod Pars urgere ſuper ipſo Proceſſum neglexiſſet.

Quarto Idus Octob. in Terræ Mielnicenſis Nuntio Orzeszkovio arguebat uſurpatam illegitimè functionem Nobilis Sculmovius & quoniam Orzeszko ſuper Bannitionem ſibi objectam non quietatione, non Decreto Caſſationis nulloque reali documento de loco ſtandi docere poterat, pulſus è Conclavi Nuntiorum eſt. Eadem die afferebatur Literas Univerſales ab Orientali Cæſare miſſas eſſe; ut Nobiles in ulteriorem Ukrainam, vulgo *Zadnieprze* dictam, reverterentur, promittere Cæſarem pacificam eorum in bonis propriis conſervationem. Expeditis objectionibus recapitulationem Vacantiarum per Palatinatuum Declarationes factarum cæperat Mareſchalcus recenſere, verum propter impertinentium materiarum per importunas Voces irruptionem, quibus tempus à peſſimis quibusque lucrari ſolitum eſt, expediri non potuit. Sed præcipua ad illudendum tempori occaſio, arguentibus plurimis, idque validiſſimis Nuntiorum, ut Regni Lege Privilegia ſuper Coadjutorias Epiſcopatuum cæterorumque optimorum Sacerdotiorum abrogarentur: ea enim Principum gratiâ, ut in publicum injurioſa, ita Diſtributivæ Regum Juſtitiæ origo confuſionis: cùm latam de Expectativis & Cortezanis Legem alio titulo introducat. Ea ſententia omnium ferme aſſenſum meruit, addito ut quibus jam ejusmodi Privilegia eveniſſent, ad vitæ tempora conceſſis beneficiis fruerentur. Ejus quæſtionis motor extitit Dombſcius Capitaneus Gneſnenſis, qui querulabatur, petebatque

que inſtantiam ore Mareſchalci publico Nuntiorum nomine, ad Sereniſſimum Regem, ut dijudicaret inter fratrem ſuum Archidiaconum Plocenſem & Zegocium Palatinum Inowroclavienſem, cui collatus Epiſcopatus Chelmenſis ſuper quo ille Coadjutoriam obtinuerat à Sereniſſimo Rege Joanne Caſimiro, verùm impeditus Romæ Confirmationem expedire non potuit, cùm argueretur Privilegium poſt Abdicationem Principis expediviſſe: quare à ſede Apoſtolica ad futuri Regnantis diſcretionem remiſſus eſt. Neque quidquam eo Eccleſiæ Romanæ juribus derogari: cum Privilegia ſuper Coadjutorias à ſereniſſimis Principibus Poloniæ collata in tantum valere, in quantum Expeditio à ſede Apoſtolica obvenerit. Privatis hiſce turbinibus dum ſerenum Reipubl. conſiliorum turbaretur, fato quodam malignantis fortunæ, rurſum odia aut eorum Cauſæ ſuboriebantur. Arrepta enim voce Vexillifer Chelmenſis ſuper atroci facinore Collegæ, ſubpincernæ Leopolienſis conqueſtus eſt, à cujus famulitio inſervitor ſuus in propriis ædibus ad mortem Vulneribus affectus eſſet; petebatque judicium. Cujus inſtantiæ cùm contraveniri non poſſet: Director Tribunitiæ poteſtatis ſingulos ex gentibus ad inquiſitionem deputavit.

Pridie Idus Octob. Variæ concertationes, ac plerumque vanæ ac inutiles ſeſſioni modum finemque poſuêre. Non tamen ea dies, fataliter ſeſe evolventibus diſcordiarum cauſis, ſine motu invidiaque transigi potuit, non erat ſufficiens tantæ licentiæ cauſa; & medio die à ſatellitio magni Theſauri Regni præfecti, expilatum

Nuntii

Nuntii hoſpitium erat, vulneratus lethaliter famulus, intentata Domino arma, quorum furorem blandienteloci commoditate vix effugit. Conqueſtus ſuper atroci injuria petebat inſtantiam à Rep. ore Mareſchalci ad ſereniſſimum Regem deferendam, ut periculoſo disordini mederi dignaretur. Ea inſtantia communi quidem aſſenſu, non tamen pro qualitate facinoris accepta eſt. Læſo non penitùs callente Patrias conſvetudines, cùm moris ſemper fuerit in hac Rep: ut ſi quando gravis injuria aut Contumelia Nuntio Terreſtri à quopiam accidiſſet; Tractatio publicorum negotiorum in Conclavi Nuntiorum eò usque ſiſteretur; donec ſatisfactione læſæ partis honori conſultum eſſet.

Idibus Octob. Feriis indultum eſt, debitum exigente cultum B. Hedvigis ſolennitate ſpecialis Regni Poloniæ Tutelaris. Forſan & à Mareſchalco quærebatur temporis oportunitas, ut Exulum Terrarum Ruſſiæ flagrantes animos aliquo remedio mitigare poſſet, qui circa Diploma 1667*mi* ſibi à Rep. datum ratione conceſſorum Magno Duci Moſcoviæ bonorum, Portiones Patrimonii Reipubl: quæ 30. Millia in Regno & totidem in magno Ducatu Lithvaniæ ſingulis annis fructus ferrent; eaque ſibi ex primis Vaccantiis conferri à Principe debebant, mordicus perſiſtebant; & quoniam conceſſa ipſis non fuerant: Vacantem pro tunc Capitaneatum Croſnicenſem qui Palatino Sendomirienſi collatus à Principe fuerat, tanto ſtudio flagitabant; ut tribus ferè ſeptimanis reliqua Reip. negotia velut intercluſa tenerent. Nam poſterâ diè cùm multis oppugnarentur ſententiis, ac penè palàm vincerentur rationibus & æquitate, ad contumaciam transfugere unicum pervicacis animi ſubſidium fuit: igitur lecto Regis Juramento & Articulo de non præſtanda obedientia Univerſi conſurgentes Kijovienſis ſcilicet, Braclivienſis & Czernichovienſis Palatinatuum Nuntii, velut ſigno dato exceſſerunt. Expediti ſine mora ſinguli ex gentibus qui eos retraherent ipſo Marſchalco confeſtim pergente ad Principem, ut quoquo modo eorum Voto provideretur. Biduum deinde ſuper inventione mediorum ſaturandæ loquaci Exulum egeſtati, tam privatis Primiceriorum in Rep. Virorum quàm Senatus ſeſſionibus abſumptum eſt. Ita per malum velut otium actis diebus, his ut mitigari poſſet malitia, & infenſus bono publico animus nitentibus, illis ut coaleſceret impiis conſiliis pravitas, tempus lucrantibus: Mareſchalcus Eqeſtris libertatis Atrium ingreſſus eſt, Seſſionemque ſerò diei inchoavit. Sed cum nuncii Bralavienſes pro ſuis quoque fratribus exilium pro Rep. tolerantibus, ſimile Diploma prout aliis datum eſſet, fictis precibus poſtularent, rurſumque controverſiæ magnà mole ſuborirentur ac in tumultum omnia evaleſcerent, arreptâ voce modum conſiliis ſolutione ſeſſionis poſtulavit. At inſequenri die pridiè à Nobili Voſovicio tentata objectio adverſus Regni Enſiferum, maturata eſt. Qui egregias in ſui defenſionem afferens rationes, eâ potiſſimum authoritate Legis eum refutavit: quod publicâ Tribunitiæ Poteſtatis functione jam ſuper inveſtitum condemnationem obtinuiſſet. Diverſis poſthæc diſcurſibus exulum materia vellicabatur, & præcipuè à Nuntiis Terræ Sanocenſis, qui id ab E-

xulibus

xulibus ſeriò poſtulabant, ut declararent cuinam ex ipſis Capitaneatus cedere deberet. Nam multos Dominos tolerari non poſſe, ac magnum in eo Reip. ſitum eſſe diſcrimen: cùm Capitaneatus Kroſnicenſis in confinio Ungariæ exiſtens, bonam diligentemque requirat adminiſtrationem, non modò propter publicum hoſtem; ſed ut à licentioſa prædonum manu Nobilitas huic confinis Capitaneatui, à quâ perpetuò infeſtari ſolet, ſufficienter poſſit propugnari. Quare ad facilitandum hocce negotium Conſilio Judicis Sendomirienſis, deputati ſunt à Mareſchalco ſinguli ex Gentibus.

Septimo Calendas Octobr. cuncta negotia, quæ hucusq; publica conſilia morabantur, malatiâ quadam conſediſſe videbantur. Ac proinde Illuſtriſſimus Ordinis Equeſtris Mareſchalcus ad rationes Theſauri â ſucceſſoribus olim Regni ſupremi opum præfecti repetendas, ſingulos de more ex Palatinatibus deputavit. Jamque crebris â Sereniſſimo Rege extimulatus Deputationibus parabat diſceſſum è Conclavi Nuntiorum. Cùm interpellatus multorum vocibus & recrudeſcente materia Vaccantiarum, deſiſtere â propoſito neceſſe habuit, validiſſimis quibusque Nuntiorum flagrantiſſimè â Mareſchalco poſtulantibus, ut ea quoque Sereniſſimo Principi pro Vacantibus Reipubl. bona declararet, quæ contra Leges inchoando â Conſtitutione de Oeconomia Novogrodenſi 1654*ti*, de proviſione Artelleriæ 1659*ni*, reaſſumptione prædictarum Conſtitutionum 1661*mo* tum 1667*mo* latâ de Exulibus Lege & conceſſo inſuper Diplomate, ac noviſſimè Pactis conventis confirmatis, collata fuiſſent. Id cum inexplicabile

cabile & arduum effectu omnibus videretur, tandem in eam itum ſententiam, ut ii omnes, quos Lex ad arbitrarias Reipubl. pœnas deſtinaſſet, tam ratione Oeconomiæ Novogrodenſis, quam in recompenſam proviſionis Artelleriæ ſingulis annis 50*ta* Millium florenorum ſummam inito inter ſe calculo comportarent, eandemque ſupremo Regni Theſaurario redderent, qua ſumma ſecundum leges diſpenſaret calculumque de ea ſolito tempore reddere teneretur. Isque finis ejus diei ſeſſionis fuit. Gravior ſequenti die circa commotionem animorum Directoris labor. Quia pares prioribus cauſæ, & eadem convulſorum Conventuum Judicia reviviſcebant. Objiciebat enim Kuczkovius illius Conventus Mareſchalco Succamerario Cracovienſi, cœterisque illius Collegis Lubomierſciis, Lipſciis, aliisque Viris Illuſtribus, quod tumultuariè & obſtantibus Proteſtationibus de oppreſſa à Mareſchalco Principe Czartorienſi liberâ voce, contra Manifeſtantes inter minas & contumelioſa verba ad capulum retuliſſet manum. Super quibus injuriis tam coram Actis Caſtrenſibus Cracovienſibus, quam coram Actis Novæ Civitatis in caſum, quod ſi per favorem Acta Cracovienſis Caſtri eis denegarentur, in Arce Novæ Civitatis facultas eis eſſet eludendæ adverſariorum artis, ſolennes fecerunt manifeſtationes. At partibus ſeſe indicentibus, quarum Princeps erat Capitaneus Pernavienſis, paſſiva vox denegata eſt; quod illorum Voces ad aggravandam partis cauſam, velut pro teſtimoniis & inquiſitione conquiſitæ videbantur. Primus omnium Pinaſzek inſignis ingenio & Arte dicendi Ducatus Oſviecimenſis Nuntius ſententiam

tiam dixit ambiguo sensu; sed prudenter & callidè arguens impia factiosorum Civium Consilia, qui *quemadmodum priorem Conventum juxta legem Electionis Comitiorum ritè inchoatum, ita & præsentem ex speciali Principis gratiâ sub tempus licet præsentium Comitiorum concessum facinorosis in perniciem Patriæ artibus disturbarunt, in Electione scilicet Directoris à Nobilitate; ne fortè si Mareschalcum eligere permitterent; Nobilitas ut sub Casimiro Rege Civili bello instanti fecerat, celebrandi Conventum terminum sibi prorogaret assignaretve; non attentis Universalibus Literis á Principe dari solitis, & Juribus Majestatis, quæ tali progressu Nobilitatis imminui consequens est: aut aliquem modum rationemá, invenirent concludendarum consultationum, quamvis factiosis artibus turbarentur. Neque aliud hoc fatali molimine intendi, quam ut insignis famâ opibusque Palatinatus, Nuntiis pro Comitiis Coronationis privatus maneat: Contributiones, quarum maximam partem contribuit in Thesaurum Regni non inferat: demum ut Comitia Coronationis; quæ tam Electionis, quam inaugurationis Regiæ Majestatis Confirmatio sunt, & complementum convellantur: adeòque Principem & Rempubl. atroci involvant perdantque discrimine. Sed quoniam Protestationes de oppressâ libera voce factæ fuissent, ac proinde cum de conservando libertatis Arcano quod in jure vetandi consisteret, res verteretur (quorum tria tantum præcipua Majorum Judicio esse censentur: libera vox, libera Electio, & illud; neminem captivabimus nisi jure victum) non posse aliter decernere; nisi ut illorum è Consessu nostro absentiâ, Libertatis indemnitati consulatur.*

Nono Cal. Octob: non attentâ exiguâ Nuntiorum frequentiâ Mareschalcus Equestris Sessionem inchoavit, paucaque præfatus verba, sollicitabat præsentes, ut pro excipi-

excipienda Vaccantiarum â Throno Principis Declaratione, pergere ad Senatum non recusarent. Jamque pedibus, in sententiam ibatur ab omnibus: cum Judex Terrestris Sanocensis impetratâ voce sollicitè deprecaretur, quod consensum, quem pridem animitus optabat, interturbare nollet; cæterum alio loco sese non destiturum urgere manifestavit, ut ii omninò qui non reveriti publicas Leges, Reipubl. Bona à Principe extorsissent, singulis annis ad præstandam Reip. satisfactionem tenerentur. Mareschalcus quæsito iterum Universorum consensu, processit ad Sereniſſimum Principem, cum Senatu Equestrem Ordinem præstolantem: Ubi convenienti usus Suada, libellos Vaccantiarum utriusque Nationis Sigilli Custodibus reddidit, adjecta instantia Equestris Ordinis pro Exulibus cæterisque optimè de Republ. meritis. At Illustrissimus Regni Pro-Cancellarius præmisso favorabili dicendi exordio: ad Capitaneatum Krosnicensem divertit, qui reverâ ex Legibus in recompensam Oeconomiæ Novoduorensis Principi cedere debuerat, ne Thesaurus Regni 20. Millia quotannis solvere teneretur; Sed invidia & occultæ artes in quæstionem veniebant, cujus causæ erant. Benigniſſimum Regem nemini velle semel collata à Sereniſſimis Antecessoribus suis Privilegia in dubium vocare, multò minus infringere. Undè & Dominum Palatinum Sendomirienſem libenter cessurum Capitaneatum, si cæteris quoque qui contra Leges accepisse Reipubl. beneficia arguuntur, eadem imponatur resignandorum Bonorum & reponendorum Privilegiorum necessitas. Lectis reliquis ac distributis Vaccantiis, pro

quarum collatione plurimi ad Thronum procedentes flexo poplite, munificentiæ Principis largâ veneratione gratificabantur. Lœtam oculis insigni spectaculo scenam penè luctu impleverunt, qui Exulum nomen sustinebant. Subitò enim erumpentes Universi volebant protestari, nisi Summorum in Repl. Procerum precibus ac persuasionibus cohibiti fuissent: non tamen prius à proposito desistere voluerunt, donec eis à sede Principis declaratum fuisset. Sereniſſimum Regem ad declarationem regredi ipsis ex Senatûs consilio datam, & non modo Capitaneatum Krosnicensem, sed quidquid à Confirmatione eorum Diplomatis in Pactis Conventis, vaccaret, benignè & libenter collaturum, promissâ publicè ac interpositâ fide Illustrissimi Primatis & Reverendissimi Episcopi Cujaviensis, ex primis Vaccantibus Illustrissimo Palatino Sendomiriensi recompensâ & Satisfactione. Eodem impetu ad excipiendas Thesauri rationes ex Senatu tres Senatores deputati cum Episcopo Przemisliensi Sarnovio. Ita frænato Exulum motu Cancellarius M. Ducatus Lithvaniæ Vaccantias sui Ducatus ore Principis declaravit. Verum eâ Declaratione multi malè alacres, præsertim Nuntii Palatinatus Smolensciensis, Polocensis, & Terræ Starodubensis factis Protestationibus, è Senatu discesserunt. Nihilominùs temen ad Vota Senatus descendebat, & Illustrissimus Primas audientiam petebat, cùm revocari cæpit à Nuntiis Mareschalcus, ut ad solitum consultationum suarum locum regrederetur: non enim posse Votis Illustrissimorum Senatorum sese interesse; donec Protestantes reversi fuissent. Illustrissimus Primas quæsito,

quæsito, an Protestatio facta esset, postquam affirmatum fuisset, à voce temperavit: amore Libertatis, an præsentium rerum non inamœno respectu, incertum est. Ergo explorata Principis voluntate Pro-Cancellarius Regni, sessionem Senatus in horam nonam proximæ diei assignavit, simul ad excipienda Senatus Vota Equester Ordo invitabatur. Proximâ die inter varias disceptationes tumultuariè exactâ in Atrio Libertatis Sessione, cùm Tribunitiæ Potestatis Arbiter ad excipienda Vota Senatoria properaret, sollicitèque Universos invitaret; multorum vocibus cohibitus est: declarantium nullatenus sese passuros ut Princeps Exulibus Vaccantias ab Actu Abdicationis conferre necesse haberet, sed prout Legis mens esset, à data Diplomatis. Eam sententiam cùm mordicus tuerentur, neque ex Summa à Moschorum M. Duce ratione ademptorum Bonorum ipsis numeratâ, & iniquè inter ipsos distributâ immodicum Exules tumultuarentur: ad facilitandas illorum offensiones, Mareschalcus Equestris ternos ex Gentibus deputavit. Interim intulit Piaszecinscius Capitaneus Braclavienſis Vir promptæ & popularis facundiæ, ut Literæ Confirmationis Jurium, quæ semper quartâ, aut quinta die ab inchoatis Comitiis, continuâ temporum serie, legi solitæ fuissent, nunc quoque in incertum tempus non rejicerentur. Sopitâ hac Voce: indixit Director Equestris ad excipiendas ab Artelleriæ Magistro rationes binos ex unaquaque Gente Deputatos. Totidem ex singulis Gentibus ad Consilium Bellicum, ubi de Expeditione Tartarorum Cozacorumque Legatis danda: de muniendis fortalitiis in confinio

finio Regni exiſtentibus, cæterisque ad bellicam Oeconomiam ſpectantibus negotiis ageretur. Hoc præcauto, ne in ullum tractatum de Hybernis præſumerent condeſcendere. His expeditis Univerſos ad audientiam Votorum Illuſtriſſimorum Senatorum invitavit. Jam ſubierant cum Mareſchalco faciem Senatus Equeſtris Ordinis Authoritates, cùm Rex quoque Throno reddidit Majeſtatem. Mareſchalcus congruentibus rei temporique uſus verbis, ad audienda Vota Senatoria veniſſe Equeſtrem Ordinem declaravit: eodemque Orationis impetu nomine Tribunitii Collegii plurimas ad Principem fecit Inſtantias; quarum Cathalogum repoſuit in manus ProCancellarii: à quo Principis ore reſponſum eſt. Gratiſſimo animo recipere Principem eorum adventum, curaturumque ut publica deſideria optimo in affectus memoriæque loco reponantur. Et quemadmodum ab ipſis gratiſſimo animo Diploma accepiſſet, ita magnâ alacritate Literas Confirmationis Jurium ſeſe ſpondere daturum. Paria locutus M. Ducatus Lithvaniæ Cancellarius. Tum Illuſtriſſimus Regni Primas, pro ſuo more magnificè peroravit: factaque illuſtri præfatione, cœtera in voto ſuo reliquit in ambiguo: ut ſuadere potius quam decernere videretur; illud ad extremum commotiori animo addidit, ac pene profeſſus eſt: ſe in nulla prorſus Tributa conſenſum præbiturum, neque ea ex ſua daturum Diœceſi; niſi prius ſanguinolenti Hybernorum panis, quem licentioſi milites ex miſeris ſubditis velut harpiæ exſugerent, diſpenſandi parſimoniæ conſuleretur. Finito Voto inſtantibusque feriis ſeſſio à Throno Principis in diem

Martis,

Martis, qui in 29*nam* Octobris incidebat, præfixa eſt. Sub hoc temporis interſtitio, Cracoviam venerat Procatum Legatus Regis Galliæ, ut pronum ad Domum Auſtriacam Principis animum, ad ferventes ſidere arteque Franciæ Hymæneos avocaret. Inſtituebantur ſuper eo negotio nocturna Conſilia, & redibant pares iterum diffidentiæ ac ſtatus Confuſionis cauſæ. Evulgaverat hæc arcana Vexillifer Sendomirienſis cuidam Senatorum, impoſueratque Epiſtolæ ſuæ quaſi primatum factionis ſuſtinens Primatis nomen. Id brevi divulgatum: grande ipſi periculum honoris acceleravit. Delatus enim ab Ordine Senatorum (plures namque in ejus accuſationem conſenſerant) & convictus: amicitiæ Principis ac libero Aulæ commertio prohibitus eſt. Multi ſub tempus ſuffragiorum ob Electionem Principis, inſolitâ hilaritate ſuperfluentis lætitiæ excedentes metas viderant ſenem, tripudiaſſe meminerant: mirabanturque Equeſtris Ordinis Virum ſupra Senatorium repente attolli faſtigium. Iterumque exiguo temporis compendio, nimiùm jam omnibus, vertente ſe fortuna afflictum; inconſultis ac ruinæ ejus avidæ inhiantibus fuiſſe oſtentui: Sed in Patriam Zelus & Reip. charitas innocentiam ejus facilè ab objectis Vitiis excuſare poſſunt; illud Vanitatis manifeſtè arguit: Virum actæ jam ætatis, & maturâ conſpicuum canitie, rariori datum naturæ beneficio vigorem illum ſenilis ævi, inter lubricos corruptosque perverſis artibus Aulæ mores, proſtituendi ſi non amor, at certè opinio. Quæ evitari haut poteſt apud procacia & nimium prona ad deteriores interpretationes hominum

 ingenia,

ingenia, inconsultaque vulgi judicia. Quis inficiari auderet? melius ad Aras oneratam grandi ævo vitam etiam sibi ipsi gravem, pro inconsultâ ferocis in vitia juventutis iniquitate in Victimam & placamentum divinæ Majestatis impendi potuisse, quam reliquum vigoris inter lubricos Aulæ mores miserè consumi.

Tandem nonâ de viginti die tres Primarii Præsules Vota sua continuo reddiderunt. Episcopus Cracoviensis cum multa de licentia militum & intollerabili sævitiâ Hybernorum præmisisset: arduum negotium Deputatione cum Illustrissimis Exercituum Ducibus expediri consuluit, Versâ deinde ad provisionem Principis Casimiri oratione, ut sereniſſimi Regis tanto impensiùs obligaret animum, hæc affectui suo accommodavit Verba: *quòd Sereniſſimus Rex Casimirus suâ Abdicatione dederit ei Principalis fortunæ locum.* At Reverendissimus Antistes Cujaviensis cùm plura egregiè in publicum protulisset, effatus est sententiam; quæ non quidem inconcinnè jacta, ita tamen, ut velut in ambiguò relicta multorum non effugerit (seu occultam fuisse Authoris sive diversam â communi vulgi æstimatione) interpretationem: *Rara Virtus est humilitas honorata.* Neque Episcopus Præmislienſis à prioris sententiæ ingenio aberravit: cùm multa de moribus & Regis Virtutibus attulisset, postremo protulit; *quod non tam Imperio nobis opus sit, quam exemplo.* Tum Illustrissimus Regni Pro-Cancellarius: inanibus se verbis peccare nolle, sed idem candido pectore vovere Principi, quod omnes. Nolle enim se verba, & aliis eandem optare felicitatem, sed res exercere. De Ukrayna in officio

retinen-

retinenda & Kozakorum Rebellione perdomanda magnificè disseruit. *Optando ut aliorum Principum more qui latè Orbi imperant, Polona Resp. indomitis illis Regionibus seu externum seu Patricium Gubernatoris nomine cùm pleno & absoluto imperio præficeret, cui totum onus belli incumberet, qui deducere integras in hostilem Colonias, ordinare militiam, Heroicum aliquem statum, ut quondam Theutonicorum Ordo ad domandos barbaros Pruthenos è Germanicâ vocatus fuisset, bonâ fortunâ & felicibus auspiciis instituere posset. Addidit etiam rationem circa concludendorum Consiliorum modum: cùm tanta disturbandorum Regni Comitiorum facilitas, & in corruptis animis licentia, affine sit, extremæ servituti Vitium: ut si Nuntius levi de causâ Comitia convulsisset; citandi eum facultas esset ad Tribunalitia Regni Judicia, vel si id displiceret: Nuntiorum Sacrario necessitas esset; eum extraordinario plectendi judicio. De publicis Viribus Ottomannico Bello opponendis agens: non vulgare Consilium publico Bono initiavit: ut is solum Miles ad subita Belli in obsequio Reipubl. retineretur, cui ex quarta Bonorum regalium parte, Stipendia secundum necessitudinem Legis provideretur, vulgò Quarciany dictus, Equestris Ordo ex facultatibus Bonorum Equitatum provideret, subsidio Regalium ac Spiritualium Bonorum Pedestris constaret Exercitus. Civitates, Mercatores, Judæique Amunitioni prospicerent. Eâ ratione ad Generalem Regni motum & ultimas Reipubl. vires periculo obtrudendas, non deveniri, & atrocia Hybernorum incommoda egregiè evitari posse. Denique non alibi melius quam in hostico Bellum gerendum esse censuit. Rursum conversus ad Principem, acuto magis sensu quàm blandiente protulit: Hectora quis nosset, si felix Troja fuisset?* tum ad gratiarum actiones Exercituum Ducibus conversus, quod

suâ industriâ vigilantiâque, pacata reddidissent Interregni tempora, de necessitatibus Exercitûs disseruit. Postremo à principe petiit (nam aliorum Præsulum pro Nuntio à sede Apostolica ad Regem preces erant) ne suam Princeps Instantiam ad Sanctissimum Patrem pro assequenda Sacri Galeri eminentiâ Primati denegaret, utque Coronatorem suum in singulari respectu ac benevolentiâ fovere dignaretur.

Sequenti die bis quaternorum Senatorum vota peracta sunt: Inter quos Palatinus Trocensis Pac, zelo vindicandæ in Divinam Majestatem admissæ injuriæ à nefario quodam Presbitero Archiepiscopalis Diœcœsis accensus, qui nefariis Judæis plusquam sacrilego ausu, vendita Sacratissima Eucharistia fœdissimum crimen impietatis admiserat. Igitur nisi nimius in elogio Principis fuisset, multa non indecorè præmiserat, postremò dignissimi olim Archiepiscopi Lipscii usus est ad Regem verbis, ut ille quondam Serenissimum Vladislaum IV. ob violatum à Sectariis Ministris divinæ Majestatis honorem obtestatus est, in hæc verba prorumpendo: *Hodie Rex Serenissime comparet coram Te Rex Regum DEUS; ut qualiter tu in ejus causâ judicaveris, ita & ipse te quoque judicet.* Postremo loco Palatinus Lublinensis sententiam dixit; inter primos merito primam, cui gloria & salus Orbis Sarmatici inniterentur: non à Laude Principis aut Votorum congerie, usitatô assentationis aut infirmi ingenii stylo, sed ab anteactorum periculorum & novissimi discriminis in turbulentâ Electione ac penè ultimo Reipubl. exitio tristi recordatione glorioso orsus est: *Ni-*

si hæc

si hæc cuncta felici Electione in melius mutata fuissent, unde agnoscere cunctis Mortalium in proclivi est, quod nobis Serenissime Princeps à DEO datus sis. Proindè non tantum suam, sed cunctorum populorum esse expectationem, *quod ita Divinâ Providentiâ commissum sibi Regni hujus Regimen moderaturus sis, ut neminem Imperii tui, nisi hostes pœniteat. Veritus deindè malè sopitam excitare invidiam, Voto expedivit consilium, ne ingenio & inventione suspectus Populo esset: Ut modus aliquis Libertati minimè noxius, tranquillitati publicæ salutaris tranquille in posterum agendarum Electionum præscriberetur. Tum suaviter, inflexo Sermone ad Ministros Status, quos Vitales esse Reipubl. Spiritus appellavit, invitabat in speciem, revera monebat, ut honestis Sermonibus atque Consiliis Principis aures imbuerent: Rex propriâ prudentiâ in administrando Regno uteretur, illud addens: Rex velit honesta, nemo non eadem volet. De remediis monetæ agendo diligentiam imprimis Illustrissimi Thesaurarii necessarium esse medium, ad extirpationem adulterinæ monetæ, illosque Officii sui quondam parum memores nunc vigilantiores optabat: cùm ab Anno 1621mo. ad 36tum. Septuaginta è Suecia Solidorum Milliones in Regnum Nostrum introducti sint, pro quibus in argento & auro evecti Milliones, quibus hostes aucti, sequente deinde Bello, nos & Reipubl. Exercitum oppugnaturi, opibus nostris in militaria Stipendia valebant. Ad præsens etiam præter 16. Milliones quos Boratinius se ingenuè fatetur, tam in Regno, quàm in M. Ducatu Lithvaniæ excussisse, quotannis in Poloniam 120. Millia Solidorum Riga, & è Dominiis Regis Sueciæ introduci asseruit. Id patere ex eo quod acceptâ plena manu Solidorum videre est inter alios, qui recenter malleum effugerunt. Rebelles Kozacos mitioribus mediis in Officio retinendos svadebat. Bello Turcico ingruente securita-*

tem

tem Reipubl. in armis quærendam esse. Ex Mansis deducendos in subsidium Patriæ milites non probabat, cum id militiæ genus, jam semel Reipubl. nullo pænè successu, irritum fuisset. Solam & unicam vim in Communi Motu Nobilitatis esse confidenter asserebat. Illud quoque è Republ. esse, ut Palatini suis quisq; conventibus interessent, Princeps ad Comitiola Nobilitatis non viles ut olim, sed honoratissimas personas mitteret: qui suâ authoritate, precibus, promissis, rationibus demùm flecterent contumaces, si periculum disturbandi Conventus immineret. Ad extremum ne justitia sisteretur, & Judiciorum tempora in Comitiis à privatis eluderentur; posse hac occurri ratione professus est: ut post Principis Propositionem secundum Legis exigentiam, Sextâ die Judicia inchoarentur. Quod difficulter evenire posse sperandum est: Nisi post Senatorum Vota Equestris Ordo ad Vaccantiarum rationes accedat.

Finito Voto Pro-Cancellarius Regni à Sede Principis sequenti die publicam Nuntii Apostolici à Summo Pontifice ad Rempubl. Legati Audientiam intimavit. Verum dato tempore, cùm gradus sibi in Conclavi Senatorio per Mareschalcos extrui Baldekinumque appendi ambitiosis precibus postularet: idque contra Patrium morem sibi denegatum acerbe ferret, cum non nisi contecta in honorem Legationis tapeti Terra, & posito Sedili usitatum sit externorum Principum Ministros excipere; non obiturum se Legationem respondit: donec Româ informationem & Imperium accepisset. Sed paucos deindè intra dies, quem spreverat honorem, recollectus acceptavit. Vota interim in Senatu continuabantur. Palatinus Pomeraniæ Bokovius cum multa de Jurium confirmatione Civitatum dixisset, elapsumque ex Regni Cancellaria Majoris Sigilli cum notabili diminutione & Infamia Jurium Majestatis Regum Poloniæ Civitati Gedanensi callidè quæsitum super bona Caduca Privilegium asserere rationibus contenderet; addidit: non quod ante dictis communicari posset, sed quod affectatæ contumaciæ palatum satiaret: *Jam Rex Serenissime facti sumus ut pareamus, nondum adsveti ut serviamus.* At Palatinus Czerniechoviensis Bienieuscius multis eleganter prolatis, id ex usu publicæ salutis esse asseruit: ut Equester Ordo singulis Comitiorum Septimanis, ternis diebus de publicis materiis consultaret, sequentibus de privatis, id est intermediis negotiis. Id libero uniuscujusque sensui ne præjudicioſum esse videretur: in tantum quisque Nuntiorum super publicam materiam subscriberet consensui, inquantum illius quoque desiderio satisfieret. In Judicia Tribunalitia acriter invectus, quæ multitudine causarum obruta administrandæ amplius Justitiæ non suffectura asserebat, nisi Legibus subveniatur. Censuit proindè ut Officiales Terrestres & Castrenses omnes minoris momenti causas deciderent; easque sine Appellatione Judicio terminarent, quarum finis esset: evadendi vel comprobandi. Subsellium Tribunalitium causas vitæ, exemptionum, successionum, aliasque notabiles decerneret. Demum ut singulorum Palatinatuum Judicia causæque per singulos Menses in Tribunalitio Regni Parlamento dispositione Legis reassumenda destinarentur. Primo Nonas Novembris, Paucorum Senatorum vota sessioni finem dixère, ob imminentem ejus diei debitamque piè Defun-

Defunctis Religionem. Caſtellanus Varſavienſis cum diu verbis luſiſſet à facetiis ad cantilenam tranſiens, cachinnis levem exploſit ſententiam. Pridie Nonas Novembris Vota Senatus, ad Illuſtriſſimos Regni Officiales devenerant. Quorum Regni Theſaurarius generosâ voce multa de publica conqueſtus egeſtate, quantos gereret Spiritus patefecit, his Principem allocutus verbis: *Communis egeſtas cum univerſos involvat, etiam Tè Princeps ſereniſſime, quem è gremio Civium extuliſſe ipſa fatetur fortuna, publicâ indigentiâ complectitur.* Neque enormibus expenſis, innumeris largitionibus ſufficere poſſe Ærarii rationes : cum quadringenta quinquaginta ſeptem millia ſolum in Theſaurum Regni ex Ordinariis Reipub. proventibus importentur. Ad extraordinarias deinde verſus Contributiones, egregium ſuppeditavit conſilium: quod ſi Equeſtris Ordo Agrariæ Contributionis onere in perpetuum liberari velit, & nihilominus exolutioni publicorum debitorum ac communibus neceſſitatibus Regni ſufficienter proſpectum eſſe vellet, non gravatim eo deveniri poſſe: ſi ad morem ſtatuum Hollandiæ Tributum à Comeſtibilibus nimirum Datiam vulgo Accizam per Univerſas Regni Provincias inſtituat. *Ea Methodo omnes publicæ egeſtatis difficultates non modo evitari, ſed ſuperari poſſe.* Peractis Univerſi Senatus Votis Reverendiſſimus Regni Pro-Cancellarius à Throno Principis fauſtâ veneratus apprecatione felicem Votorum Concluſionem, parem quoque declaravit optare Principem cæterorum Reipubl. negotiorum exitum. Porrò ad conſequendam eam felicitatem ſereniſſimum Principem, efficaciſſimum exiſtimare modum,

modum, beneficio Deputationis ſine ambitione & confuſione ardua quæque expediendi. Quare libenter Principem aſſignaturum ex Senatu deputatos tam ad Expeditionem, Legatorum Externorum Principum, rectificandam Hybernam: inſtituendum bellicum Conſilium: modo & Equeſtris Ordo in Deputatos conſentiret, qui diſpoſitivè ad mentem Reip. prænominatas tractarent materias. Eodemque inſtanti terni ex Senatu tam ad Remiſſas Comitialium quam Tribunalitiorum Regni Judiciorum in ſequentem diem deſtinati ſunt.

Ipſis Nonis Novembris, Decreta in Senatu prælegentibus Cauſas Spiritualibus Regni & M. Ducatus Lithuaniæ Referendariis in contumaciam ferebantur. At in Atrio Libertatis rurſum atroces Exulum æſtuabant quærelæ, & quia cohiberi jam prægnans malitia non poterat, in ſcelus erupit: expoſito enim ad commiſerationem omnium dolore, ſolenni factâ Proteſtatione exceſſerunt. Inſtabat equidem Mareſchalcus Equeſtris precibus, accedente totius Collegii conſenſu; ut Deputatione ex ſingulis Gentibus tantiſper delinirent eorum animos, quæ inſtantaneam urgeret ſatisfactionem. Id medium niſi ſuccederet, tum demum licitum eis eſſet, ad prærupta animum convertendi. Deputationem, multorum voces impedivere : quorum nonnulli arreptâ Voce, Vaccantias ſibi debere conferri à data Diplomatis contendebant, id ſe nulla ratione remiſſuros aſſeverantes, cum de Legis authoritate ageretur. Interim unus Exulum lamentabili uſus voce, tanquam ſummum facinus ſine gemitu & lacrymis ritè peragi non poſſet, denuo ſe proteſtari

teſtari exclamans erupit ex Atrio Libertatis. Equeſtris Mareſchalcus, mæſtâ quidem voce grandique mæroris oſtentatione obviam ivit invidiæ: cæterum in procinctu funeſtæ vocis proletarii hominis pro munere ſuo Deputatos è medio Ordinis ad Principem expedire potuit; quos nemo ituros impediviſſet, cùm omnium conſenſus interceſſiſſet, inutili morâ corrupit agendi tempora. Accepta talium mæſtâ Relatione, Princeps quoque Seſſioni finem impoſuit. Digrediens in penetralia Palatii paululum in Anticamera ſubſiſtens, quaſi per familiarem ſermonem ab Illuſtriſſimo Primate compellatus eſt: *Nunquam ſe tam marcida, ſeu verius putreſcentia Comitia vidiſſe; non ſolum juſto multorum luctu, verum etiam magno fortunarum diſpendio: cum privatus quisque proprio ſubſtantiarum detrimento, publicis commodis indulgeat, non alieno ſuffultus ſubſidio opibusq; adjutus, nullâ ſollicitudine, pari inertiâ rerum temporumque momenta terat. Unicum ex præſentibus Comitiis ſeſe ſentire commodum quod Serenitatem veſtram Coronâ inſignîverim: Reliquæ fortunæ beneficia quamvis ad manum ſita, repelli. Raro enim exemplo & facilitate Equeſter Ordo è medio ſui ad Bellicum Conſilium Deputatos deſtinavit, Viros egregios; nihilominus nulla Senatus & Equeſtris Ordinis culpa, Conſilium tam ſalubre Reipubl. in irritum revolutum eſt. Nec poſſe erroris Stylum in Magnum Exercituum Ducem retorqueri, qui magnâ parte temporis Comitiorum ſuam præſentiam non ſubtraxit Reipubl. negotiis: attamen ad nulla Conſilia adhibitus eſt. Diverſa ſe à præſentibus ſperaſſe, quæ nunc eveniant. Plura lymphatico Spiritu addens proloqui parabat: omnia ſe in hoc Regno pereuntis Reipubl. manifeſtè ſpectare ſigna:* Cùm Princeps exhibita ei veneratione, in-

ne, intentus Silentio & profundæ quaſi abſtractus meditationi ad ulterius receſſit Conclave. Paulò poſt Legatus Sereniſſimi Regis Sueciæ privatam Audientiam habuit, cui de more nemo intereſſe adſtantium juſſus eſt. Iisdem diebus poſtquam Supremus Regni Mareſchalcus abierat, Secretum Mogilnicæ Conſilium ex præcipuis in Republ. Viris celebratum fuiſſe fertur. Eadem quoque tempeſtate Selecta Palatinatus Cracovienſis Nobilitas, Solennem fecit contra præſentem Comitiorum actum Manifeſtationem. Ita non vi fatorum ſed Noſtris ſceleribus, & obſtinato ad pereundum animo, ſaluberrima quæque Reipubl. Conſilia, vel extremâ Secordiâ impediebantur, vel malis artibus cum Supremo Reip. exitio corrumpebantur. Ceſſeratque iis temporibus in morem malignitati, ut ſuam ipſa calamitatem, in communem Patriæ pernitiem verteret.

Primo Idus Novembris & Secundo non comparere Olizario Sub-Judice Kijovienſi, qui nudius tertius cum Proteſtatione eruperat, in Atrio Libertatis inquies Silentium aut incertæ voces: in Senatu Criminales Cauſæ Judicium patiebantur: mox Princeps præſentem Caſum & Reipubl. periculum veritus, Secretum cum Senatu Conſilium celebravit.

Tertio Idus Novembris ſublatâ penitùs ſpe revocationis Olizarii: Senatus, Patres & ſupremi Regni Officiales invitato Equeſtri Ordine diviſis per Nationes ſeſſionibus deliberabant, quid in præſenti Reip: neceſſitate agendum eſſet. In Conſilio Majoris Poloniæ Reverendiſſimus Primas: magnâ doloris apparentiâ conqueſtus

eſt de Libertatis Licentia : quòd unus poteſtate inſtructus eſſet univerſos perdendi, univerſi ſeſe adversus unius malitiam impiumuè conatum juvare ſalvareque non poſſent. Ingenti Numinis beneficio hactenus ſtetiſſe ; quòd caligine quâdam mentibus offuſa, diſturbandorum Comitiorum in facili ſitum, hoſtes Reip: eòusque non potuiſſent inveſtigare Arcanum. Quod ſi ea fatale malum evulgatum fuerit, ſine armorum violentiâ, machinarum ſtrepitu, denique ſine ullo virium apparatu Remp. noſtram debellaturos. Proinde laudari non poſſe impium Nuntii facinus : nihilominus ſphæram Comitialis Activitatis fixam & interruptam eſſe, non poſſe diffiteri. Jacturam porrò præſentium Comitiorum nullo remedio, niſi aliorum Indictione Comitiorum reparari poſſe, quæ non ſex ſeptimanalia eſſent, ſed Convocationis nomine & temporis compendio inſignirentur, ac pro 25*ta* aut ſexta Februarii determinarentur. Egregium Conſilium, ſed circa Convocationis Comitia ; inerat Secretioris ingenii temperamentum. Reverendiſſimus Pro-Cancellarius rupta Comitia legitimare contendebat, reſtitutâ Nuntiorum Collegio Activitate, Sed variis oppugnatus Sententiis nulloque adjutus ſuffragio : Sententiam pariter primamque Servitii ſtationem deſeruit. In Libertatis Officina operoſa apud Tribunos Equeſtris Plebis controverſia cùm Quinquediale adeſſet tempus, quo Nuntii coram Rege cum plenâ poteſtate Tribunitiâ comparere conſueverunt. Eundumne ipſis eſſet in Senatum, an ultimus dies in proprio Conclavi præſtolandus eſſet? eam Sententiam Sub-Judex Ravenſis Novowieſcius rationibus aſſeruit :

ruit : quod Lex 33*tii.* ordinaverit quidem, ut Nuntii cum ſuo Directore ante Comitiorum exitum in Senatu coram Principe comparere neceſſe habeant ; Verùm cùm formatis jam Legibus & Conſiliis de Republ. in Tabulam ritè translatis. Quod cùm in hanc usque diem non evenerit, & intercedente Proteſtatione Nuntii, expreſſa Legis 67*mi.* vi & diſpoſitione, nulla cæteris relicta ſit Activitas ; putare ſe fore conſultiùs, ut ad ultimam uſque diem abſentis Nuntii regreſſus opperiatur. Tum demùm ſi reverſus fuerit, futurum adhuc (uti jam ſæpius is in Republ. caſus evenit) concludendorum Comitiorum tempus, provisâ Reipubl. ab hoſtium impetu & fraudibus ſecuritate : ſive regreſſum exitioſus animus non admiſerit, pariter ad Principem ituros : ut triſti Valedictionis Officio, per luctum quamvis & communem mærorem fungi valeamus. At regreſſum, poſtquam ſemel ad Senatum deſcenderimus ; Cùm neque mos id permittat, Lex Vetet, non modò ad Noſtrum Conclave Sanctuarium hocce Liberæ Vocis permittere, verùm etiam tanto flagitio nec liberam mentem cogitationemque inquinare meditari. Dum hæc in Conclavi Nuntiorum agerentur, Princeps cum Senatu vacabat Judiciis : eâdemque continuò & ſequenti die (abſoluto Conſilio) fugiente meridiem ſole expediebantur. In Conclavi Nuntiorum nil actum præter complementa Valedictionis & Officiorum conteſtationem ; quibus Succamerarius Smolenſcenſis Libertatis Palæſtræ velut Matri & Altrici ſuæ parentavit : cujus beneficio & ope Senatorio donatus eſſet ſubſellio, Palatinatus nimirùm Polocenſis.

Pridie Idus Novembris, quem fortunata Comitiorum Coronides insignire debuit, ominosa quandoque certâ fatorum Lege, Reip. confusio dehonestavit. Quæ quemadmodum iis principiis in tam amplam & magnificam molem coaluit, ita resoluta per licentiam, ambitum & ob nimiam Magnatum potentiam, Civiles discordias, in contemptum vicinæ hostilitatis, ludibriaque abitura est. Insolitum illâ die in Atrio Libertatis silentium, donec Mareschalcus factâ tristi Propositione, quid illi in tanta Reip. calamitate faciendum esset, omnium taciturnitati posuisset modum: magnâ doloris ostentatione ab universis exquirendo? quod demùm desperatis rebus consilium esset? sed eripuerat omnibus Vocem magnitudo mali, & difficultas remedii. Tum quæsivit, an Consensus esset præstandæ Audientiæ subpincernæ Regni, qui ad Purpuratorum Patrum evectus dignitatem, invitus licet virtutis ministerio à fraterno divelleretur contubernio. Igitur ille succinctâ veneratus Cætum oratione, acceptâque Ore Mareschalci publicæ omnium benevolentiæ contestificatione, à Mareschalco Equestri magnâ parte Nuntiorum comitatus, id quoque ejus dignitati concessum, ad Senatum reductus est. Regresso Mareschalco Judex Sendomirienſis conciliatâ sibi apud universos Audientiâ (nam Directori Equestri ademptâ Jure vetandi distribuendarum vocum potestate, sola tantùm inerat orbata decore authoritas) multarum rerum eruditam de Libertatis origine elegantiam præmisit. *Quomodo olim Majores Nostri stante ex adverso hoste accincti præliis in acie, Leges & Libertatis prærogativas, quibus nunc beata Resp. consequebantur,*

tur, illas scilicet: Neminem captivabimus, nisi jure victum. De nemine vindictam sumemus. Cæteraque Insignia liberi status. Quomodo Principes Poloniæ, quod feciſſe traditur Casimirus III. sciscendarum Contributionum Causa, Districtus Terrasque Regni sui peragrare necesse habuerint, adesse Nobilitatis Conventibus; Unius, sæpe duarum Septimanarum spatio immorari Consiliis; donec Nobilitas in Tributa consensisset. Cujus negotii absolvendi ratio, cum ingenti temporis in Universo Regno constaret dispendio: invitatus à Principibus ad Consiliorum moderationem Equester Ordo; usque Generalium Regni Comitiorum ortus fuit, quæ paucis ab initio diebus, deinde accedentibus in dies publicis negotiis, & adolescente Libertate in Sex Septimanarum spatium præscripto Legis abierunt. Modicâ deinde interjecta ætate cùm Consiliorum modum & Titulum Alexander & Albertus Reges Poloniæ statutis, hoc est primitivis Juribus auxissent firmassentque, latâ scilicet Lege: ut Comitia Regni nonnisi Universorum & Singulorum Consensu coalescerent: si quis Nuntiorum Terrestrium publico Consensui adversus intercessisset, pro irritis haberentur. Iis incrementis & fatorum benevolentia Libertas Polona eum Majestatis occupavit gradum, qui cunctis non modo in Europa Populis, Regnis, & Imperiis, sed Universo Orbi & quas Mundi Oculus Vix inspicit Nationes, Gentesque, non modo Stupori sed & invidiæ esset. Quare quamvis Nuntius Protestatione facta excesserit, ac suo temerario ausu Remp. magnis Casibus & atrocibus periculis involverit: attamen si pereundum; Vita Salusque potius, quàm Libertas tanto Majorum Sanguinis impendio parta, ponenda est. Deserere sese Reipubl. Securitatem non suadere, quinimò fulciendæ integritatis Patriæ modum arripiendum esse: ut nimirum quàm otius Princeps in suis Universalibus Literis, ad Particulares Equestris

ſtris Ordinis conventus mittendis, ſuisque Nuntiis de more ad Conventus ablegandis, id potiſſimum inſinuet ac recommendatum eſſe velit, ut Nobilitas cujusq; Palatinatus Confœderationem Plebiſcitis firmatam pro retinenda Reip: Securitate inter ſe inire non negligat, ac vinculo nexus fraterni ab emergentibus per fraudem aut proditionem periculis, reddere velit Remp: ab hoſtibus tutiorem. In eam ab omnibus, velut omnium ore locutus fuiſſet itum eſt Sententiam. Interrogatus deindè: an poſt factam à Nuntio Proteſtationem, legitima eſſent Judicata Principis & Senatus? priſcâ rectè ſentiendi de Rep. Libertate addidit: *cùm legitima poteſtas ſit Nuntio, ubi præjudicium Legibus ingruat facta Proteſtatione in facie Equeſtris Ordinis Comitia diſturbandi, quamvis ei ſatis adhuc temporis ſuppetat, quando primum ultimis Comitiorum diebus, in Senatu coram Principe Leges ſcribuntur: Multò magis Proteſtationem virium habere, & juſtiori titulo inſigniri, dum agitur de Judiciis: ne quis Equeſtri prærogativâ gaudens injuriâ opprimatur, cum læſione fundamentalis Reip. noſtræ juris, neminem captivabimus, niſi jure victum. Quocirca exiſtimare judicata, quæcunque poſt Proteſtationem Nuntii lata ſunt, utpotè ſublatâ Comitiorum Activitate in irritum recidiſſe.*

Finito Voto Mareſchalcus Equeſtris factâ illuſtri Equitum Coronæ gratiarum actione, quòd ei liberarum vocum ſuarum Regimen, inæſtimabile fraternæ benevolentiæ pignus concrediderint, ad Senatum cum univerſis perrexit. Ubi in mæſtitiam compoſitus fatalem Reip. caſum, ſolâ Principis fortuna corrigi poſſe, diſſeruit. Tandem ad oſculum manus, mæſtum Equeſtrem Ordinem admitti poſtulavit. Igitur Illuſtriſſimus Pro-Cancellarius Regni

Regni conſurgens de ſuo ſubſellio, cinctoque Principis latere; brevi ſermone Mareſchalco Equeſtri reſpondit. Illud addens: *Sereniſſimum Regem libenter ad manum ſuam admiſſurum Equeſtrem Ordinem, dum modo prius ſolennitatibus Comitiorum ſatisfiat.* Quare juſſa Principis ſecutus Inſtigator Regni ſtans pro gradibus Regalis Throni, Condemnationes Decretis Comitialibus obtentas promulgavit. Tum demum Equeſter Ordo à Magno Cancellario Regni ad oſculum manus Principis invitatus eſt: primusque Tribunitiæ Poteſtatis Arbiter deſcendit ad Principem, expletaque Ceremonia ad locum ſuum reverſus, conſveto Ordine Palatinatus nominabat, ad quam nominationem Univerſi in medium turmatim adſtiterunt: Vix relicto ſpatio per quod valedicens ad Regem evaderet, parum memores priſtinæ Majeſtatis Reipubl., quæ etiam levibus dehoneſtaretur. Expleto Officio Venerationis, Comitiorum evanuit Majeſtas Utilitasque: relictum Principi Nomen, ſpecies Reip.: Securitatis Patriæ modus, ex licentia fortunæ; ſalus Reip. Fatis: at perdendæ Arbitrium omnibus, & malis Civibus & Occultis hoſtibus.

Ipſis Idibus & ſequentibus diebus in Principis Antecamera celebratum eſt Senatus Conſilium minimè ſibi conſtantibus conſiliis, cum multi Senatorum diverſa ab intimo ſenſu loquentes, ita compoſiti eſſent: ut ad apparentiam nil in eis requireres, juſtorum mediorum rerumque Vacui erant. Pauci ſaluberrima promentes Conſilia, ab iis qui diverſa induerant ſpetioſis Conſiliis, mirisque artibus eludebantur: illi ipſi qui Principem fovebant, divertêre ad Conſilia, quæ proſpero eventu for-

tuna potiùs, quàm conſtans ratio poſſet approbare. Ii enim inducta in dubium Principis animum ob diffidentiam vel metum ex omnibus ſuſpicione, honeſta quoque bonorum Civium negligi effecerunt Conſilia: tanquam occultius ideoque deterius ſub boni ſpecie fallitura. Ita qui fatali operà recta Conſilia corrumpebant, cum ipſi nihil in publicum afferrent egregii: & ſi attuliſſent? objecta Principis Majeſtate Populis odio, Præpotentibus contemptui, multis faſtidio, eo abruptius etiam bonis in malas opiniones ruentibus: quaſi in novo imperio à ſummâ ſpe ad infimam dejicerentur; cuncta in irritum revolvebantur. Ita bonorum juxta malorumque conſiliis deſtituta Reſpubl. inſtantia pericula rerumque ſuarum grande diſcrimen non extimuit; obductâ malorum calle neque neſcia deteriorum expectationis, neqve per ſæcula diffiti à ſe certa exitii. In eo Conſilio Triginta tres Senatores dixere Sententias egregio in publicum zelo aut circumſpecta ſimulatione inſignes, quas primo Præſules, tum Palatini, & qui Senatorum Vocabulo inſigniuntur, expedivêre. Tandem Supremi Regni Officiales, nimirum Illuſtriſſimus Regni Mareſchalcus, apprimè expenſis ſuſpenſisque Verbis, vitatis iis materiis, quibus aut contradicendum eſſet, vel ſi de iis diſquireret, ſuſpicio læſionis in animo Principis ſperabatur, in eo ſolùm non ambiguus, quod ejus ſincera in Patriam & Remp. obſequia ſiniſtrè apud aures Principis interpretarentur. Titulus juſtæ offenſæ quærebatur, & ſi quid durius in animo ſtatuendum eſſet: cauſa non in occulto haberetur. Occupaſſe vulgi animos præcipuus labor: ſed principalis for-

lis fortunæ prudentiæque ad Juſtum Titulum pars, & regula artis erat. Ejus ſententiam Magnus Regni Cancellarius ſtylo veritatis, digna illuſtri Nomine, locutus ornavit: ſubtile ingenium Peregrini hominis, ut nocivum Reip. reprobavit. Italus Natione erat, Spiritualis Ordinis Perſona, quo magis mirum eſt in compoſitâ mente & tranquilli ſtatus optione, tanta magnorum motuum & Bellorum meditamenta fuiſſe: niſi in eo aut Cruciferorum Spiritus, aut Seriphorum aſtutia dolusque fuerit. Is Reip. alendum continuò 30*ta* Millium Exercitum ſe ſubmittebat, dummodo ei pars Terræ in longitudinem & latitudinem Sex Milliarium concederetur, numerata in ejus neceſſitates unius millionis ſumma, qua ingenii oſtentatione Romanorum quoque Imperatori fertur illuſiſſe. Hunc Magnus M. Ducatus Lithvaniæ excepit Cancellarius, illum ſecutus Pro Cancellarius Magni Ducatus: nam Reverendiſſimus Regni Pro-Cancellarius dignitatem Senatoriam ſuſtinens, inter Infulatos Patres ſuo ordine dixit ſententiam. Iis acceſſere utriusque Gentis Theſaurarii, uterque magnus opibus, ditior ingenio Regni Theſaurarius. Poſtremo Curiæ Mareſchalcus Votum ſuum expedivit. Transactis Senatorum ſententiis Princeps congrua tempori præfatus, ſingulas materias compendiosè percurrit: ita compoſito ſermone, ut non tam de iis conſulere, quam eas determinare videretur. Ad extremum per ſpeciem comitatis addidit, quo priora mollius acciperentur: *ut quomodo liberis ſeſe ſuffragiis in Throno collocaſſent, ita ſe in eodem conſervare dignarentur.* Illuſtriſſimus Epiſcopus Cracovienſis Regis ſententiæ in Aſſignatione Comitiorum

pro 12*ma*. Martii reſpectu longioris diſtantiæ Nuntiorum Magni Ducatus Lithvaniæ, ex quibus uſu recepto ſvadente Mareſchalcus Equeſtris Ordinis foret eligendus, interceſſit. Princeps non mutata ſententiâ, vocato per Referendarium Regni Magno Cancellario : in ſupplementum dicere inſinuavit, quæ ipſius memoriam effugiſſent. Id velut ex conſulto accidiſſe opinio erat : ut palam fieret, cujus curâ & dignitate gravaretur alter, dum feſſa ætate impar ſibi ipſi labor, & in frigido corpore flagrans ambitus monſtratur, quo faſtidium ſuiipſius contrahitur.

Quarto Calendas Novembris Epithalamicum Principis conſilium in Palatio ſemotis arbitris celebratum eſt. Ad quod quamvis Univerſi Senatores à Principe invitarentur, non omnes affuêre : præſentes nihilominus quotquot erant, in Auſtriacâ Domo Connubium Principi optabant, ſuadebantque, paucis Senatorum circa circumſtantias temporis ſolum diſcrepantibus, cum prævenienda alii, nonnulli expectanda Comitia contenderent, validisque & ſpecioſis rationibus inſinuarent; quibus tamen contradici non poſſet. Sed Princeps moram metuens, & quia ſuſpecta apparebant Conſilia, integrum ſuæ deliberationi negotium reliquit. Pari fato & fortunâ ſecutus Regis Uladislai IV. proſperam inventionem, qui cum auditis Senatorum ſententiis ſe deliberatione egere, prolato ingenio reſpondiſſet; nam Finitis Comitiis An. Domini 1637*mo* ſtatim Legatos expedierat ad Ferdinandum III. Imperatorem pro conducenda Conſtantia Auſtriaca. Igitur deliberatio Principis ſenſibus abdita, expediri

pediri vetante uſu temporisq; ratione non potuit. Conſilium cum perfici non meruiſſet, pudore & ſilentio finem accepit : fruſtratique voto quibus præcipua & maligna, morâ & cunctatione impediendi Principis in Domo Cæſaris Matrimonii, cura. Magna inde offenſio, & arreptâ occaſione per turbas & conſpirationes, Populi à Principe alienatio, Civiliumque diſcordiarum ac Belli ſemina quærebantur. In eo conſilio ob manifeſta commoda : dandis nimirum ſibi à Cæſare in dotem Ratiborienſi & Opolienſi Ducatibus, adjectoque non modico auri pondere, accedente inſuper proximæ vicinitatis non temnendâ commoditate : cum Auſtriaco Domo affinitas in animo Principis & affectu præponderavit. Regis Franciæ Legatus & Benevolentia Gallicæ Domus juſſa eſt valere. Procatus Provincia ad Cæſarem Illuſtriſſimo Pro-Cancellario obtigit. In eodem quoque Conſilio aliter ſuadentibas rerum temporumque momentis, immutata eſt præfixio Generalium Regni Comitiorum, à die 12. in proximiores dies ſcilicet ipſis Nonis Martii deſtinata eſt.

AN-

ANNALIUM
Liber IIIus.

Proximè Sequentium Coronationem Comitiorum.

Anno cIↃ DC LXX. Celebratorum.

PEractis in Sacro Monte Regali magnificentiæ Nuptiarum ſolennibus, quarto Nonas Martii Princeps cum Ordinibus Regni Comitia inchoavit. Biduum penè inter certamina & æmulantium ſtudia partium abſumptum eſt donec ſuſpecto alterius ambitu, prævaluit Kirdejius Mareſchalcus Grodzinenſis modeſto conatu, cui ipſis Nonis Martii Scipio, Inſigne Directionis, pluralitate Vocum commiſſus eſt. Ardui operis & laboris faſtigium; Sed cujus gloria Herculea; quævis vincendo incommoda Victuras æternitati inſerit Faſces.

Primo Idus Martias, Rex Sponſam per longam plateam Novæ Civitatis, dein tranſvectus Urbem & Triumphales Arcus inſigni pompâ inter Populi plauſus in Palatium duxit. Parum de via in Baſilicam diverterat, ubi Sereniſſima Sponſa ejus ab Illuſtri Heroinarum Cætu pro limine Templi ſalutata, mox ad magnam Aram feſtivo cantu abſoluto Hymno de Spiritu Sancto, Nuntii Apoſtolici

ſtolici ore acceptâ benedictione. Tum irrumpente nocte ceremoniis juxta & Religioni modus poſitus eſt.

Proximâ Die Equeſter Ordo ſplendidè per Mareſchalcum ſalutato Principe Regnatrici dexteræ, divinæ partem venerationis reddidit.

Tertio Idus Martii, vanâ ſpecie diſcurſuum dies abſumpta: orto levi de cauſa magno certamine, per inſignes utrinque Contumelias, quarum motor Powalſcius Nuntius Palatinatus Pomeraniæ, Vir alias literarum non imperitus, ſed quod non pari arte & felicitate dicentis verba proferuntur, quam libellis mandantur; ad culpam uſque prolixus; cùm in procinctu ſententiæ vulgare protuliſſet Proverbium: venientibus Caliſſium viliſſimo loco hoſpitandum eſſe. Quod adeò ſufflaminavit Nuntios Majoris Poloniæ, ut ad turpes contumelias, inæqualitatem Terrarum Pruſſiæ Nuntiis objiciendo prolaberentur. Magnaque parabatur confuſio, niſi ſoluta à Mareſchalco ſeſſio infeſtos diremiſſet. Igitur ſequenti die Nuntii Majoris Poloniæ producta ſuper Cives Thorunenſes perpetuâ Bannitione, ratione Complicitatis Nuntios Terrarum Pruſſiæ ab Activitate liberæ vocis arcebant. Donec in proximam diem Seſſionem Mareſchalcus ſeponeret.

Quinto Idus Martias egregia quorundam opera, certamina partium quamvis poſita eſſent: Nihilominus tamen orta rurſum de Mareſchalci Juramento controverſia. Cùm alii urgerent, ut ſolus Mareſchalcus Jurijurando adſtrictus eſſet: Alii vero requirerent, ut Nuntiorum quoque fides pari vinculo obnoxia eſſet. Antequam

quam Juramenti Rota perficeretur properabatur Conſilium, ut nulli Tribunitia Poteſtate inſtructo facultas eſſet diſtrahendorum in Atrio Libertatis Comitiorum, niſi illis ſupremis diebus, in quibus Equeſter Ordo ex neceſſitate Legum in Senatu comparens, plenam Reip. faciem reddere conſveviſſet. Proteſtans interim omnes materias permiſſive tractari concederet, vel ſi nullis rationibus cedere vellet, univerſi cum ipſo Nuntii ſuperiùs, id eſt ad Principem Senatumque procederent, ac ibi demum ſi ita neceſſitas ſuaderet ſuo ingenio uteretur. Non modo Conſenſum, ſed & plauſum ea invenit Sententia, ſtatimque abjecta omni cunctatione Mareſchalcus, ſublatis in cœlum digitis erectus ipſe, prælegente Veterano Nuntiorum Collegii Jurisjurandi Rotam, in hæc ferme verba adegit conſcientiam. *Eo ſenſu ſinceroque tenore ſcripturum ſeſe Conſtitutiones, prout Conſenſu publico obtentæ fuerint, neque ſe á quoquam dependentiam habiturum.* Nuntii quoque univerſi aſſurgentes nudis verticibus exhibitâ Cœlo reverentia, tacto pectore neſciam conſtringi obligarunt fidem: *non convellendorum Comitiorum; at ſi publica ita neceſſitas fataq́; ferrent, ut quis in eum auſum diſcingeret conſcientiam; non in Conclavi Nuntiorum, ſed in Senatu eà temeritate uteretur, dareturque ſpatium Reip. fatali periculo obviam eundi.* In quantum vero in Atrio Libertatis eo furore præceps in contumaciam uteretur, non ideo cæteris facultas eriperetur, ſtatuendi de Rep., neque Mareſchalcus Equeſtris â munere diſtribuendarum vocum ceſſaret: exceptis Judiciorum cauſis, in quibus ejusmodi valere deberet Proteſtatio. Quod non vi perpetuæ Legis, ſed Ordinatione Conſen-

ſus Nuntiorum ſtatuebatur, quippe nondum præmiſſis Comitiorum Præliminaribus potuit Lex formari. Ita velut ſcrupulo Univerſi exoluti ad excipiendam Principis Propoſitionem, cum Mareſchalco proceſſerunt. Is terminata Principis Propoſitione, ut Pacta conventa in præſentia Equeſtris Ordinis prælegerentur, Convocatorias Literas motus Communis unas pro binis Princeps ederet, ut Nuntios, ſive Reſidentes illi fuerint Externorum Principum, protinus ab Aula amandaret, poſtulavit. Reſponſum Principis primo favorabile, mox in Regales Spiritus deſinens, non omnium placitum favoremque invenit; Statimque erumpentibus vocibus revocatus eſt à Nnntiis Mareſchalcus ad Atrium Libertatis.

Jam vero juſſu Principis ſoluta Senatus ſeſſio, cum jam prolaberetur dies inſtarentque ſolennes Nuptiarum Epulæ. Sed cum lux publica deficeret Nox expectata. Excompoſito id ſeu caſu factum, pro externorum tamen morum parte à populo reputatum eſt, ceſſitque apud multos in ſortem invidiæ, quod favorem parare debuerat. Adeò externo blandiri cultui damnoſum Principibus: jam vero moribus eorum vivere, ſæpè propiùs exitio, quàm periculo compertum eſt.

Sexto Idus Martii, cum magna pars Nuntiorum ſeſe obſtringeret, nullatenus cum Mareſchalco proceſſuram ad Senatum, niſi nniverſi Collegii Declarationem auribus excepiſſent, de educendis in Campum communis Motus copiis, eleganter à Capitaneo Oſviecimenſi increpiti ſunt: quòd Violatis majorum inſtitutis nec dum inchoatis Comitis,

mitis, ad Declarationes verſi ſint, quibus Comitiorum exitus ſoleat inſigniri.

Pridie Idus Martii novi Conſilii impetus multùm ejus diei exhauſit: dùm plurimi reducendorum ad compendium temporis urgent Naturam Comitiorum, ut poſtpoſitis Solennitatibus, quibus potiſſima pars temporis velut fatali quadam neceſſitate ſemper extrahatur, publicam Patriæ ſecuritatis rationem, cunctis Conſiliis potiorem eſſe prætendentes. Tum demùm fatigata inanium tædio impatientia, ad feria divertit: ut quisque Nuntiorum Vaccantias per Declarationes, uſitato Palatinatuum ordine expediret. Igitur ſine modo aggerebantur; cùm Palatinatus Cracovienſis Equeſtres Tribuni Mareſchalcum interpellavere, ut Principem precibus obſtringeret, ne univerſa Provincia eorum vaccaret deſolationi & Belli malis: cùm recenter in ſubalpina Terra 2cti Millia infimæ plebis in ſeditionem coaluerint, qui niſi maturè coerciti fuerint, mox ſervili bello flagraturam Remp. Expeditis Declarationibus, nonnulli Nuntiorum, quibus privati affectus ſuperior publicis negotiis cura, ad Inſtantias verſi (quas ſolum in fine Comitiorum Mareſchalci ore ad Principem ferri mos obtinuit) tempus in ſerum diei extraxerunt, & cùm multa egregia dixiſſent, nil concludendo, honeſtum Conſiliorum finem, levitate corrumpebant. Eadem proximioris diei fortuna pari Magniloqnentiâ, nec diſpari infamiâ abiit.

Quarto Calendas Martii Illuſtriſſimus Mareſchalcus Equeſtris cum Nuntiorum Collegio ad excipiendas à Principe Vaccantiarum Declarationes proceſſit, præmiſſo

 decenti

decenti Sermone petens, vigore publici Nuntiorum Consensus: ut Pacta Conventa prælegerentur. Sed erumpentibus Nuntiorum è Palatinatu Posnanienſi vocibus, ut Jurameutum quoque Principis publicaretur: lectum est à Regni Referendario. Facili jam ad omnia Principe: quam Virtutem si in Comitiis Coronationis pari moderatione retinuisset, vel illigatos quamvis rebus novis Cives in Officio retinuisset, vel palam Principis mansuetudini refragantes publico odio exposuisset; nec quidquam de Majestate detraxisset. Nisi quod mali Consultatores; dùm mite Principis ingenium ad suam trahunt arrogantiam: effusam Principum benevolentiam pari passu cum privatorum superbia ambulare putant docentque: Principi illudebant, seipsos & Rempublicam optato consiliorum eventu frustrabant. Tum Mareschalcus prælectis ut quæquæ per Palatinatus censebantur Vaccantiis, ore Illustrissimi Pro-Cancellarii responsum à Throno Principis accepit: deliberaturum Principem ex bono publico, quid cui conferendum haberet. Ad præsens autem invitare Equestrem Ordinem ad audienda Senatus Vota. Novum id publicæ Expectationi videbatur, infestisque palam vocibus deserente Senatum Illustri Equitum Collegio, retractus ad Atrium Libertatis Director Equestris. Ubi catervatim velut uno ore ferebantur sententiæ; non prius se excepturos Vota Senatus, quam Vaccantiarum Distributionem Princeps de more declararet. Posse quidem nonnullas Vaccantias in deliberationem à Principe trahi, Universas, nec ratio Legis nec consuetudinis Suffragium concessit. Et erumpebant quæstus multis-

multisque diebus suffectura in quærelas verba parabantur, cum Mareschalcus abrupit consultationis filum. Proximâ die inter solennitates adoptivi Augustissimæ Matris sponsi acta dies, turbine insignis, qui triumphalem Portam in Longa Platea confractam disjecit, comminuto tantùm plaustro sine ulla noxa, in tanta hominum frequentia.

Sexto Calend. Martii, Deputati per Illustrissimum Mareschalcum Equestris Ordinis terni ex singulis Gentibus ad Deputatos ex Senatorio Ordine, qui fastiditis quærelis & continuis publicorum Consiliorum per avaritiam aut impatientiam Exulantium turbamentis mederentur. Deputatos erumpentes ex Atrio Libertatis secuta Exulum turba; cum hac præcautione, ne Mareschalcus cum Collegio Nuntiorum ad excipienda vota Illustrissimorum Senatorum procederet; donec finitâ sessione ad Conclave rursum rediissent. Post Deputatorum egressum, cùm multi ut ad Senatum iretur postularent, nonnulli contradicerent: Tribunitia sessio solvi maturata est. Biduo deindè specie reconciliationis, in manifestâ calamitate superbæ Exulum immodestiæ, à publicis consiliis vaccatum est.

Decimo Cal. Mart. Mitigati velut tempore Exules, rursum scenam in Atrio Libertatis instaurarunt; quos enorme publicorum Consiliorum dispendium, Officii in Patriam & Remp. admonebat. Legebaturque Conceptus à Mareschalco, in quem ipsi consenserant: cùm subitò piasecinscius impetratâ voce, acri eloquentiâ velut digna afferret, illud reprobavit: ne Hyberna Capitanea-

 tus

tus Krosnicensis Exulum commodo cederent, sed aliâ id Princeps viâ munificentiæ rependeret. Cùm Libertas ab hyemali pane Præfecturæ Krosnicensis, non nisi aliorum Reip. Bonorum onere redimi possit. Ac si nescius esset supremos Regni Exercituum Duces propriâ vi neque paucis Præfecturis, ex privato affectu id sæpe præstare consuevisse beneficium: Reip. Majestatem, eo infelicitatis, & per privatum ambitum, impotentiæ devenisse, ut ne uni concedere possit! variis pro & contra disputabatur rationibus, arguebaturque à Capitaneo Osviecimensi, quod Supremus Militiæ Dux, insciâ Rep. suplementum Exercitui quæsivisset. Sed incuriosè dicta cum incorruptâ tanti Hèrois fama malè congruebant. Verum Mareschalcus Equestris lenitis discursibus, quorum omnis fructus, sterilitas effectus: cùm Deputatos ex Ordine Equestri ad Commissionem cum Cosacis 29na. Martii inchoandam nominaret, ac plurimis se excusantibus, alios sufficeret; ad instantiam multorum, Olizarium quoque nominavit. Quem Rupnievius Tribunus Palatinatus Masoviæ, non modo ullius functionis capacem, sed nec Activitate vocis dignum esse, constanti contradictione asseruit. Nil gravius Exulibus eâ contumeliâ accidere potuit: ideo universi sedibus suis prorumpentes non vocibus sed fremitu strepere, postremò minaciter agere, ac si non in loco Consiliorum, sed in acie cum hoste versarentur; donec Sessio abrupta est.

Sequenti die legebatur à Mareschalco Equestri, conceptus in rem Exulum M. Ducatus Lithvaniæ statimque reprobatus. Parabantur interim infiniti discursus, cùm

cùm Deputati à Principe Senatores Atrium Libertatis ingressi sunt; accepta sede à Patre familias Nuntiorum Collegii honoratissimo loco consedere. Orsus ab excusatione Palatinus Lublinensis, quod pro more consueto non venisset secum Senator M. Ducatus Lithvaniæ cùm unus tantùm esset, idque illius copiam Princeps habere protunc non potuisset. Tum urgentissimè petiit; ut communi Consensu Deputatis ad Instructionem Cosacorum, subscribendi daretur facultas. Ipsos enim Rebelles seriò præcavere, nisi Commissio maturaretur: postquam pascua equis suffecerint, expedita fore ad Bellum plebis arma, ubi nullum jam tempus tractandis negotiis sibi esse concessum. Memorabat etiam Commissionem cum Moscis in lubrico sitam esse; & penitus abrumpendam pacem, si hæc Comitia, quod absit, disturbarentur. Verùm è diverso certis nuntiis constare sibi famam, feliciter cessuros tractatus, si fortunato exitu publica Regni Consilia insignirentur. Reddebatque Mareschalco Literas à Commissariis, quibus Arcana Commissionis continebantur, petebatque ut ea semotis arbitris vulgarentur. Rei quoque monetariæ negotium cùm moram pati non possit, postulare Principem, ut in Deputatos consentire dignarentur: cùm ad hoc negotium vocati Vicinorum Principum Ablegati, ut Regis Sueciæ aliorumque Principum, tum Civitatum ad Jus cudendæ monetæ pertinentium Secretarii cæterique rei monetariæ periti, tædiosa morâ conficiantur. De Legato Regis Angliæ disseruit: ne Fædus cum eo & amicitiæ profuturus usus negligeretur, qui amicitiam Nostram inter se Regemque Sueciæ

stabili

ſtabili nexu firmaturus veniſſet, adverſus Moſchum, & quoscunque Reip. hoſtes. Id ne ſuſpectum ſit Regni Ordinibus, flagitare Ptincipem, ut Deputatos ad Senatum ex ſuo Collegio aſſignare velit, qui audientiæ ejus intereſſent. Reſponſum à Mareſchalco ſtylo uſitato: gratias referre Equeſtrem Ordinem pro paternâ Principis in Remp. ſolicitudine. Ad Puncta diſtrictè, Conſenſum Palatinatuum ſecutus, reſpondit. Dimiſſique ſunt cum honore adſtruente Mareſchalco pompam magnâ Nuntiorum parte. Vix regreſſo Mareſchalco ſubiit faciem Equeſtris Libertatis Caſtellanus Brzeſtenſis Grudzinſcius. Is præmiſſâ quam modeſtia ſuppeditabat Suadâ, Solennem fecit, contra legitimationem per Palatinum Poſnanienſem Filii ſui Manifeſtationem. Dimiſſus à Mareſchalco multâ verborum comitate, donec limen Conclavis terminum humanitati poneret. Tum quærente Directore, an in Senatum eundi omnium Conſenſus eſſet, paucisque in contrarium obſtrepentibus Gaſzinſcius è Palatinatu Smolenſcenſi Nuntius areptâ ſubitò voce; proteſtari ſe manifeſtavit: quòd ad Senatum progredi nollent erupitque ex Atrio Libertatis Superius ſe ire manifeſtans. Quaſi eandem cæteris impoſiturus neceſſitatem.

Ad hæc omnes fremere, nemo non obligationem nexus Conſcientiæ arguere; Motorem ejus conſilii diris deſtinare, quod ad unius contradictionem ſeu potius inconſultam proterviam in Senatum ire adigerentur, illic de quacunque materia, quæ Proteſtanti diſplicuiſſet, cum eo rationibus certaturi. Tam temerario vani conatus auſu,

auſu, multùm ab univerſis metuebatur, ne ſimili progreſſui venalium in exitium Libertatis vocum: præcipuæ materiæ in quibus vis & integritas publicæ immunitatis, ſummumque Cardinalium Legum robur ad Senatum transferrentur, ſenſimque Libertatis Atrium vileſceret. Verùm à ſapientioribus & altius trepidabatur: ne pari arte Tribunita Libertas eluderetur: erumpebantque in aſperos queſtus; cum ſeſſioni finem dixit Mareſchalcus, adumbratâ an verâ mæſtitia? nam ſiniſtra de eo fama inceſſerat: ſed lacrymæ erumpebant. Proximâ die valentiori affectu certatum eſt. Nam cùm non pauci de Activitate Libertatis dicendi diſceptare vellent, plurimorum fremitu Activitatis Legalitatem reprobantium, interruptas voces deſeruere: Id unicum ſummo ardore à Directore poſtulantium, ut Proteſtans ad Libertatis Atrium rediret.

Decimo tertio Calendas Martii, poſtquam nullus Authoribus callidi ſed irriti Conſilii uſus; facilè Proteſtans Nuntiorum Collegio redditus, jamque cæterorum, quies ac eundi ad Senatum facilitas ſperabatur. Cùm Lithvani, & Soli & Cœli deſtinatione perpetuis innexi diſcordiis, an corruptis in fædam ambitionem Præpotentium moribus, cæteri & infirmiores nobilium, ſpecie Libertatis ad infenſum trahantur ſervitium? in perpetuas exarſere concertationes. Prætextu Exulum M. Ducatus Lithvaniæ nonnulli Bona Regalia Vciany & Plotele dicta ſibi vendicabant; adverſa pars cui contrarium & malum ſtudium, ſpecie ſuper præfata Bona Woloviciorum Hypotecæ 40. ſcilicet & quinq; Millium (quamvis à Wolo-

viciis ore Marecſchalci legerentur Literæ, quibus Conſenſus eorum inerat, ut Reip. liberum eſſet dicta Bona Exulibus concedendi, modo proprii pigneris in aliis Reip. bonis Aſſecurationem aut exolutionem obtinerent) ea Exulibus concedi non poſſe pervicaciter contendebat. Poſt ingens tandem temporis diſpendium ceſſere rationibus inviti, ut ire ad excipiendam Vaccantiarum à Principe deliberationem, conſentirent. Illi conſederant, cùm repentè Nuntiorum alii exorti contumaciter flagitabant: ut Bona Reip: Sucha & Suskawola Kochanovio Inciſori Reginalis Majeſtatis collata, poſt fata Caſtellani Sendomirienſis, militari Viro, ſiquidem Caſtellanus in militaribus Menſibus deceſſiſſet, ope Equeſtris Ordinis à Principe conferrentur. Inde ſtare æquitatem & expreſſam Legis mentem, quam nemini violare in Rep. Legibus obnoxio fas eſſet. Atrocibus hiſce diſſidiis Religioſè olim in publico culta modeſtia corrumpebatur: vileſcebatque ſenſim depravatis moribus publica Authoritas; paulatimque etiam diſceſſum ad convitia, ex quibus agreſtia flagitia provenêre. Nam vicino die apud Referendarium Regni orta ad convivialem menſam lite, inter Pękoslavium & Subjudicem Droicenſem Sculmovium: publico ſe crimine venalis conſcientiæ dehoneſtantium. Mox ad gladios prorumpentes, fædis ictibus ſeſe laniavêre. Eadem diſcordia & dedecus binas ante ſeptimanas Illuſtres Nuntios affecit, proprio quaſi cruore & ultione pudenda malè geſtæ Reip. facinora expiantium. Succamerarius Lancicienſis Sarnovius Breſtenſi Succamerario Pſtrokunſcio non integrè adminiſtratam provinciam mo-

am monetariæ Officinæ, inter hilaritatem convivialis licentiæ objecerat. Ea occaſio furorem, mox arma movit: nec ſine cruore multisque vulneribus generoſo vino lætum convivium non ſperatâ Cataſtrophe diremptum. Nec illos egregia illa Paræmia à malis revocavit moribus: *Natis in uſum lætitiæ ſciphis, pugnare Thracum eſt.* Etiam ſequens dies non ſine damno fuit. Dum incertis diſcurſibus velut uno ictu diſcordiæ pervertitur.

Ultimo Cal. Martii affectatam quamvis ore Mareſchalci Equeſtris Ordinis largitus fuiſſet Princeps Declarationem. Bona Sucha & Suſkawola juxta deſidèrium & Tribunitii Collegii non invalidas preces, Viro militari Machowſcio conferendo. Tamen Notarius Regni Caſtrenſis, qui prædictam bonorum Regalium ſortem notorio ambitu affectaverat: non quod illâ egeret, ſed ut amico negata præpoſtero conatu in eum verteret. Arreptâ voce: factis Collegio Nuntiorum gratiis, quòd pro ſe ad Principem tuliſſent inſtantiam, poſtulavit: ut Illuſtriſſimus Mareſchalcus deſiderium Ordinis Equeſtris pro militaribus Exercitus Regni Nuntiis inferret, ne memoratæ exigui beneficii ſortes alicui, quam eorum uni Regalis gratiæ tam vetuſtis meritis, quam præſenti Officio digniſſimis conferrentur. Ea materies continuum certaminibus præbuit fomitem, Conſiliis ademit fructum & honeſtatem.

Primo Calendas Aprilis, cùm ire in Senatum ad audienda Patrum Vota, excipiendas Senatus Conſultorum rationes temporis neceſſitas & natura Comitiorum poſtularet, à prodigis Civibus non modo honeſtatis, ſed etiam

publicæ salutis, laudabilis meliorum conatus elusus est. Nil profuêre Mareschalci lacrymæ precesque, quò minùs raperent voces, probra in se, in Principem jacientes, prout cuique impudentiæ vel licentiæ amor. Inter feroces aliorum Voces ferociter Gurzynscius protulerat: *In materia Matrimonii consultos à Principe per ludibrium Patres.* Capitaneo Osviecimensi Factionis Gallicæ studium objecerat. Memorabanturque corruptis ad seditionem usque vocibus, cum dolore meliorum, & publicâ infamiâ præterita Reip. mala; & atrocia, & non modò dictu, sed memoratu quoque fœda ac detestanda. Nam ex occasione Residentis Austriaci, Capitaneus Osviecimensis retulerat: *Quomodò Factio Gallica ad subruendam liberam Electionem 61mo Anno cæperit, tandemque subscriptione Illustrium Regni Procerum incrementa sumpserit. Quibus mediis quantoque labore Resp. comperto scelere & impiis artibus, sibi consuluerit: postquam nonnulli amore Patriæ & pœnitentiâ execrandi facinoris ducti, à perfidia flagitiosisque partibus defecisent. Quo rursum ingenio inexplebiles furentis ambitus Cupidines irrepserint, iterumq; 63tio Anno novas subscriptiones ac Juramento firmatas causaverint. Cujus non nescia Resp: facinoris, reassumptionem ante omnia Legis de libera Electione in Comitiis Regni postulavit, eâq; occasione invitatus Exercitus Regni in Confœderationem abiit: ad cujus destruendas vires & impediendos Reip. conatus cùm vocarentur arma M. Ducatus Lithvaniæ; admotus mœnibus Varsaviæ ferox Exercitus. Donec metu armorum, instante vi & improviso periculo firmandæ Libertati Electionis, Subsidium Præsidiumque Legis evictum est. Quam post hæc turpi & abjectâ solertiâ; quibus protelationibus cùm ante actorum temporum odio, præsentium invidia, futurorum*

rum corrupto in abominationem Judicio super levi interdum negotio, consultò publica negotia trahebantur, dum ex Parlamento Regis Galliarum expectatur decisio: an abrumpenda potiùs Comitia essent? quam Lex firmandæ Libertati Electionis concederetur. Dum interim Sorbonæ disputatur: an esset absoluta in posterum facultas Regibus Galliarum, Polonis Reges pro libitu dandi? ad extremum non silnit: quo modo aliquot centenis millibus oblatisque Abbatiis, flagitiosâ pro tanto fastigio mercede appreciata Principis Aula, corruptis spe & pretio Amicis Casimiri Regis Abdicatio licitata sit atque mancipata. At Judex Sendomirienſis, *Non memoriâ anteactorum in Rep: multò minus flagitiorum exprobratione confidentiam inter Cives parari asseruit: sed potius malorum oblivione quæ nisi mutuo amore consuevit coalescere. Unde suadere se potiùs: ut ad excipienda Vota Senatus procederent, rationesque Senatus Consultorum exciperent, ac demùm de iis non in Senatu, sed more antiquo in Conclavi suo disquirerent. Magnam in eo Equestris Ordinis Libertatis partem sitam esse. Quod si medendum esset propriis aut alienis vitiis, tum Colloquium à Principe peterent, utque Serenissimus Rex Literis suis omnes male Contentos ad hunc invitare dignaretur actum, apertisque offensis, quas quisque tegeret, ac ingenuè impulsu fraternæ charitatis & amore Patriæ invicem remissis, complexu & candore ad confidentiam animorum & concordiam sociarentur. Si jam nullus inter infensos & perituros remedio locus, supremum saltem Reip: non eriperetur Subsidium; communem Confœderationem ineundi, & in armis integritati Patriæ consulendi. Hoc medio præcipuas Leges, Libertatis robora à Majoribus fuisse Posteris comparata; nec aliâ ad præsens ratione infitas suspiciones, causasque Civilis discordiæ è præsenti evelli posse Reip: statu, non modò sese præsumere, verùm haud occultè*

cultè prævidere. Cæteri ad ſaniora verſi urgebant, ut Reſidentes externorum Principum exnunc dimitterentur. Ut Literæ Confirmationis Jurium cum ſubſcriptione Principis & appenſione Sigillorum in Conclavi Nuntiorum prælectæ, ad Archivum Regni redderentur, ſtatimque monumentis Caſtri Varſavienſis ingroſſarentur, cum gravi inſectatione Miniſtrorum Principis, qui datis Literis Nuntiatoriis Electi Regis & præſtiti ab eo Juramenti, Confirmationis jurium Diploma (quæ ſimul è Cancellaria emanare conſueverunt) ſuppreſſiſſent, multumque malâ induſtriâ confidentiæ ad Principem ex Subditorum animis detraxiſſent. Haud neſcii; quamvis ſimili fato corruptis etiam tempore Henrici Regis Comitiis Coronationis, Literas nihilominùs Jurium confirmationis Principem non diſtuliſſe, quin publicarentur. Inter hæc certamina nullis diſcurſibus finis, donec ſeſſioni terminus diceretur. Iisdem diebus, certâ famâ lætus in vulgo rumor fuit, dum externis propitiâ fortunâ auſpicato conſulitur rebus. Moſchovitica ſcilicet Pacta feliciter concluſa fuiſſe, & Jure jurando Commiſſariorum utrinque firmata cum Reaſſumptione Tractatuum Andruſzevienſium Anno Domini 1667*mo* initorum.

Primo, Nonas Aprilis; non jam ambitus Verborum, ſuetus & inanis labor, circa publica negotia controvertentium, ſed infenſæ voces Civilium turbarum flagitia ſibi objicientium, aut retorquentium; inhoneſta certamina: quantò plura erumpebant, tanto manifeſtiori dedecore inſolitâ licentiâ Libertatis ſacrarium polluebant. Nec finem turpi dedecori pudor afferebat, donec meliorum monitu

monitu precibusque dirempti ſunt; ſuadente Xieſcio, ut ob imminentem Reſurrectionis ſolennitatem Mareſchalcus Equeſtris Ordinis publica Conſilia limitaret, interim verò cum Principe ageret, ut Legato Cæſareæ Majeſtatis quamvis inter dicatos Sacris dies Audientia concederetur; ne quidquam obvium eſſet, quod favorabilem Principis Declarationem circa Ablegationem Reſidentium Externorum Principum moraretur. Ordinatio Hoſpitiorum per Deputatos tam ex Senatorio quam Equeſtri Ordine, ut in poſterùm inviolabilis eſſet. Finitâ Voce Mareſchalcus Seſſionem ad quartum Idus Aprilis tranſtulit. Læti dies triumphali Reſurrectionis memoriâ Supremi rerum Humanarum Domini inter Religionis illecebras & eximium ſplendorem abiêre; ſimulque novis dedêre Conſiliis locum, & non ſine luctu monſtravêre indicium funeſti Comitiorum caſus. Ivêre tamen eâ die Nuntii cum Illuſtriſſimo Mareſchalco ad excipienda Vota Senatus; petebatque nomine Exulum ut Sucha & Suſkawola ipſis concederentur, cùm eis aliqua bona in ſatisfactionem oblata eſſent, quæ privatorum Summis onerata eſſe conſtaret. Cautis deindè Verbis & quaſi reluctantibus Dimiſſionem Reſidentium Externorum Principum intimavit. Igitur Illuſtriſſimus ProCancellarius deſcendens ad Regalem Sedem magnificè edixit: propoſita ab Equeſtri Ordine indigere maturâ Principis recollectione: proinde Sereniſſimum poſtulare, ut Vota Illuſtriſſimi Senatus priùs audire velint, atque ex illis informari dignentur, tum Sereniſſimum Principem non moraturum ſuam Declarationem. Statimque Vota à Reverendiſſimo Epiſcopo Plocenſi cæpere

pere. Reverendiſſimus Epiſcopùs Luceorienſis, multum præfatus de periculis quorum fomes diffidentia, quæ graviſſimè Remp. urgeret: poſtremò his Verbis ad Principem uſus: *Nemini id magis conducere aut expedire, quàm Serenitati Veſtræ; ut abjectâ omni morâ utpote nocivâ, ad extinguendum prorumpat incendium. Invitatâ ſcilicet Universâ malecontentorum Cohorte; & præcipuè Illuſtriſſimo Regni Primate.* Forte non neſcius paucis antè diebus à plurimis Senatorum Principi ſupplicatum: ut poſitis offenſis invitare ad Comitia Primatem Regni dignaretur. Ille prius ſeſe excuſare, dein cùm precibus urgeretur, in penetralia Palatii ſeceſiſſe fertur. Dignusnè hic progreſſus Veterum ac recentium Politicorum ſit cenſurâ: iis relinquitur judiciis; quæ ſpe incorruptâ, favori non obnoxia, odio demùm aut metu vacua reperientur. At Illuſtriſſimùs Pro-Cancellarius, præmiſſa acerba quærela, tanquam malè obitæ Legationis in Aula Occidentalis Imperatoris adverſo rumore apud Populum inculparetur: Inſtructiones utrinque ſibi à Majeſtatibus datas, Contractusque Nuptiales Miniſtro ſuo altâ Voce publicare mandavit. Poſtquam ſatisfeciſſe ſufficienti apologiâ objectis videbatur, prolixè pro Reſidentibus cenſuit. Tum de Proviſione præteriti Principis diſſeruit cum tanto affectu: ut, eo Voto ſi quis ignarus eſſet, verum Regni Miniſtrum loqui meritò intelligeret. Pauca poſt hæc Vota, & ſtatim Seſſio ab Illuſtriſſimo Pro-Cancellario in ſequentem diem deſtinata.

Quinto Idus Aprilis cùm multi Nuntiorum male contentos ſe Declaratione Principis quærularentur, invitato Mareſchalco Seſſionem in conſueto ſuis Conſiliis loco inſtaura-

ſtaurarunt. Eâ occaſione multi Nuntiorum coorti, malè ferentes; quod præter antiqvum morem Vota Senatus interrumperentur: nullam ſe Activitatem habere contendebant. Juvit Mareſchalcus eorum aſſeverationem, poſito ad latus Scipione: victi nihilominùs pervicatia contrarium ſentientium, reſtituta ſibi invicem Activitate, acriter in Palatinum Syradienſem invecti ſunt; à quo graviter ſe læſos in Voto ejus minaciter fremebant. Ac ne Mareſchalcus publicam quærelam in Senatum inferret, ægrè multorum Sententiis defenſus eſt. Eodem die Audientiæ Legatis utriusque Exercitus in Senatu copia conceſſa eſt.

Sexto Idus Aprilis, Audientia Nuntiis Exercitus in Atrio Libertatis ob infrequentiam Collegii, & quod circa ſolutionem ſeſſionis ejusmodi Actus expediri ſolitum ſemper fuerit, dilata in ſequentem diem. Dies is erat Quinquedialis, quo Tribunitium Collegium miſceri Senatui mos Lege ſubnixus obtinuit, pari cum Proceribus uſurpatâ dicendi efficatiâ de negotiis ad Remp: pertinentibus. Undè multis occaſio Controverſiæ: ituros ſe ſuperiùs ſpretâ vel eluſâ Lege veterique Majorum inſtituto, non cum paratâre, nullo denique concluſo negotio: cùm tamen Lex 33*ti* nullas inſuper materias tractari in Senatu permittat, niſi quæ in Conclavi Nuntiorum communi Conſenſu definitæ fuiſſent. Dicebanturque ſententiæ cùm Succamerarius Caliſſienſis prorupit: Practicatum jam eſſe turbulentis Reip. temporibus, ut Equeſtris Ordo cum raſa Charta in Senatu comparere neceſſe habuerit, lectis nihilominus in ſuo Conclavi Inſtructionum Articulis neque amplius cæteris eadem Puncta repetentibus, quæ

jam ab uno lecta fuissent, paulatimque à melioribus flectebantur in Consensum eundi ad Senatum, cùm novis animorum motibus occasionem præbuit Gasiorovius Capitaneus Radziejovienſis magna & atrocia se promere destinasse: evulgatam nimirùm per Projectum Anonimi Authoris malevolorum adversus Principem & salutem Reip. Conjurationem. Scriptum hoc per Collegam suum Rudzinscium in sacris ædibus inventum esse; urgebatque magno impetu, ut publicè à Mareschalco legeretur. Hæc sententia multorum vocibus acriter excepta est: arguentibus plerisque hujus Projectus originem ex malevolentiæ ingenio emanasse, & in odium magnorum Civium pernicioſum adinventum esse commentum. Plures non spernenda esse contendebant: posse verum scelus Reip: patere, modò publico Legis præsidio, Authori securitas muniretur: Verùm Judex Sendomirienſis displicere sibi oblatum medium contraria sententia professus est: *Securitatem Authori, formatæ Legis beneficio dari non posse, cum sit Anonimus. Nam quodsi concessâ & firmatâ securitate non compareret; eo ipso inculpati gravissimorum facinorum, injuriâ & infamiâ, antequam rei, velut convicti afficerentur, ac fortè arriperent media, quæ nunquam contra Principem meditati fuissent: ex Civili Bello vindicias honori suo & læsæ famæ petituri. Verbalem nihilominus securitatem libenter se oblaturos, idq; ut majori specie haberetur, postquam Senatui jungerentur, per publicam Declarationem obtineri posse.* Reliquum temporis variis concertationibus inter infensas invicem Voces absumptum est.

Pridie Idus Aprilis Quinquediale Comitiorum venerat

rat tempus, Sessionem nihilominùs ob pervicatiam multorum Mareschalcus in Atrio Libertatis inchoare necesse habuit, conceſsâque Audientiâ Legatis utriusque Exercitus, Nuntii quoque Archi Ducis Curlandiæ peroravêre. Vix finiverant, cùm Senatores à Principe Deputati faciem Tribunitii Collegii subivêre, postulata ferentes: ut svetâ die & ipsâ invitante Lege, sollicitè illorum adventum operiente Principe ad Senatum descendere dignarentur. Dimissis cum honore Senatoribus, versi ad materias universi, alii ituros se prompto obsequio declarabant, idem nonnulli subdolâ modestiâ profitebantur, reservata sibi potestate: cunctas illic tractandi materias, quarum contenta in sua puisque instructione haberet. Neque cæteri à facilitate eundi ad Senatum abhorrebant, verùm salvo Regressu ad Atrium Libertatis: cum nondum ad desideria Equestris Ordinis circa Vaccantias Deliberationis expeditionem à Principe accepissent; quam Votorum continuatio, ac tandem Senatus Consultorum redditio sequi necesse deberet. Sed quanto inordinatiora desideria, tantò magis inexplicabiles oriebantur quæstiones; quæ sessionem ad proxima nocti spatia extraxerunt. Igitur Mareschalcus amissâ omni spe in Senatu comparendi: Deputatos ad Principem ex Collegio Nuntiorum singulos ex gentibus expedivit, qui excusarent Principi, quòd Equester Ordo de more in Senatu ob nullas adhuc definitas materias comparere posset. Quare à Sereniſſimo Principe Equestrem Ordinem humiliter petere: ut ejus commodis unicam hanc diem largiri dignaretur: cujus moram Equestrem Ordinem facilè obsequio, concordiâ

 & in

& in Principem benevolentiâ compensaturum. Huic Legationi cùm infensi Principis dignitati obniterentur, Mareschalcus in se eam Provinciam transtulit, dicto Consessui fine.

Secundo Calendas Aprilis, affuêre Nuntii magnâ frequentiâ in Atrio Libertatis ubi datâ Audientiâ Szawenbergio petenti Regni Indigenatum, ac favorabiliter dimisso; Mareschalcus Equestris Ordinis pro munere fraternâ in se benevolentia collata, insigne muneris scipionem manumittens, gratias universis referebat. Cùm multorum vocibus præpeditus, invitis ipsis id facere non posse magno tumultu asseverantium; cùm nonnulla desideria adhuc inferenda haberent, cæptam Orationem necessitatis telo rescindere debuit. Primi omnium Gosiorovius & Jaronovius arreptâ per tumultum voce ad Senatum discessum orabant: cùm in Atrio Libertatis nulla jam sibi vetante Lege reliqua Activitas esset, simulque adjecta seditiosis vocibus vehementiâ, eruperunt. Exiguo interjecto temporis spatio; Mareschalco voces dispensare recusante, maxima Nuntiorum pars è Conclavi prorumpens ad Senatum sese pergere manifestavit. Pauciores remanserant: sed illis aderat Mareschalcus. Hinc nulla in Senatu Activitas: Princeps longâ morâ præstolatus cæterorum præsentiam, postquam interjecto tempore maturiori recollectione non mitigabantur, consurgens de sede in penetralia Palatii secessit. Mareschalcus quoque in Atrio Libertatis sessionem solvere maturavit. Posterâ die multi ad Atrium Libertatis confluxerant: pluribus Senatus & Principis Majestas placuit. Senatui præsen-

sentes; reverentiâ Legis & antiquis Institutis; desides in sacrario Libertatis; Mareschalci præsentia & confuso Comitiorum Ordine juvabantur. Utrisque per otium immunis fuit ab opere publicæ salutis dies.

Quarto Cal. April. inter discordiam & easdem animorum dissensiones extracta ad horam sextam post meridianam dies, cum adventu Universorum Nuntiorum ad Sacrarium Libertatis delinita eorum qui remanserant pervicatia, communi Consensu eundi ad Senatum stetit Voluntas: multis nihilominus salvum Regressum, si quid in Rationibus Senatus Consultorum displicuisset, sibi caventibus. Reliquum erat Mareschalco, postquam difficillimo tempore publicum Populi odium effugisse non temnenda dexteritate videbatur pro credito sibi Libertatis regimine & custodiâ, fraternæ charitati gratias habere. Itaque egregiè functus officio à Succamerario Calisiensi laudibus celebratus; Verbis deinde magnificis ad spem gloriæ sublatus est, postquam protulerat: *Optimam ejus memoriam in omnium animis in grande laborum pro Rep. curarumque stipendium ei suffecturam.* Nondum extrema Verborum periodo finem Orationi puæsivit Succamerarius; cum Universi tædio acerbæ commoti expectationis, erumpentes ex Sacrario Libertatis ad Senatum perrexere. Modico interjecto temporis respirio Princeps sedem suam occupavit. Tum Mareschalcus Ordinis Equestris Principem Veneratus, non jam nomine Sacrarii Libertatis: sed omnium nostrum flagrantissima esse desideria professus: ut Residentes externorum Principum sine mora ablegarentur, Sucha & Suskawola Exulibus redderetur. Illu-

strissimi

ſtriſſimi Senatores Vota ſua continuare dignarentur. Senatus Conſultorum rationes redderentur. Ne in Votis Senatus, Equeſter Ordo per contumeliam tractaretur. Denique licentiam regrediendi ad Sacrarium Libertatis reſervatam eſſe, aſſerebat. Reſponſum à latere Principis ab utriusque Gentis Sigilli Cuſtodibus, molli Oratione & quæſito ad benevolentiam arteficio. Sed quia noſcebatur ingenium & Artes in ferociente libertate, multorum Diſplicentia non occultabatur: Præceps in noctem dies, ultimam profligatorum Comitiorum perdito tempori minabatur periodum, cùm quæſitus à Mareſchalco Equeſter Ordo, an in prolongationem Comitiorum conſentire dignaretur? Urgebatque Declarationem Palatinatus Poſnanienſis, cujus Nuntii diu ſilentes, tandem in triduum Prolongationis conſenſere, idque magnorum Procerum precibus victi. Salvum nihilominus Regreſſum ſibi præcaventes: à quo nullis perſuaſionibus retrahi potuêre. Eorum pervicatiæ acceſſere, Palatinatus Caliſſienſis, Cracovienſis, Sendomirienſis, & Braclavienſis Nuntii. Princeps invitato Illuſtriſſimo Pro-Cancellario ad ſuam ſedem, Conſilia quæ in altam noctem extracta eſſent, in ſequentis diei horam nonam ſepoſuit; initium Seſſionis à redditione Senatus Conſiliorum promittens. Quibus expeditis: non abnuêre Principem liberam omnibus futuram facultatem, de Regreſſus ad Atrium Libertatis utilitate vel neceſſitate deliberandi.

Sequenti die Mareſchalcus Equeſtris Ordinis reddi petiit rationes Senatus Conſultorum, ſimul inſigni Clementiâ Principis temperatus Sermo, dataque favorabilis admodum Declaratio de Ablegatis. Nimirum ad eam Regis animum paratum eſſe facilitatem: ut ſi nunc quoque ad recipiendas Ablegatorum rationes è medio ſui deputaverint, proſcriptâ dilatione eos Principem relegaturum. In cæteris quoque deſideriis pari Regem Equeſtri Ordini non defuturum benevolentiâ. Mitigari inſigni Principis popularitate Univerſorum animi potuêre: Si in tempore diffidentiæ morbo medela contigiſſet. Deſperatâ ſalute remedii uſus poſtquam abiit, juvandi opportunitas in ludibrium vertebatur. Ante omnia tamen legi ceptum eſt Senatus Conſultum Matrimoniale, in quo præter Sententiam Reverendiſſimi Primatis, Palatini Pomeraniæ, Supremi Regni Cancellarii, omnes in Domo Cæſaris ſuaſere Connubium, Solus Branniccius Curiæ Principis Mareſchalcus, in modo temporis, cujus anguſtiam ambitioſis verbis incuſavit, viſus eſt non benè convenire: Magni Ducatus Lithvaniæ Senatus Conſulta prono in Regnantem obſequio ferebantur. In Materia demum Moſchoviticorum ac Coſacorum Tractatuum Senatus Conſulta expedita ſunt. Nondum vox legentis defecerat, cum Zabokriccius Pincerna Palatinus Braclavienſis raptâ Voce à Mareſchalco, Regreſſum ad Atrium Libertatis juxta Declarationem à Throno Principis factam urgebat, ſuumque Directorem diſcedens ex Senatu Comitem ſecum poſtulabat. Magno demùm Senatorum negotio & validis perſuaſionibus retractus, cæteris initium certandi de Regreſſus neceſſitate præbuit, multorumque ob ferociam mentis exaſperatus ſententiis diſceſſum parabat; niſi rurſum Epiſcopi Kijovienſis precibus

bus cohibitus fuiſſet ; ac tandem ad Principem vocatus pervicaci ratione tutatus neceſſitatem Regreſſus neque mitigatus, erumpere è Curia parabat. Cùm Princeps invitatis ad dandum Conſilium Senatoribus: ore Illuſtriſſimi Pro-Cancellarii Seſſionem in proximè inſtantis diei horam nonam declaravit, concedendo temporis interſtitium mutuæ eorum conferentiæ; qui Regreſſum ad Sacrarium Libertatis tanto ſtudio poſtularent.

Sexto Cal. Aprilis ſerò diei inchoato conſeſſu Senatus; ob abſentiam Proteſtantis invalidis Conſiliis; paſſiva voce dicebantur ſententiæ. Donec Princeps convocato ad Thronum Senatu neceſſitati indulgendum ratus, deputavit ad Zabokryccium in Sacrario, Libertatis commorantem qui illum monerent, quod illa tecta illosque ſacros parietes, qui quondam Majorum modeſtiæ virtutisq; teſtes fuerant: proſtitutæ licentiæ & pravitatis ſtudiis obtentui ſumeret. Secutus exemplum Mareſchalcus Equeſtris Ordinis binos ex ſingulis Gentibus Deputatis Senatoribus ſociavit. Functi Officio Deputati. Caſtellanus Poſnanienſis immobilem Proteſtantis animum declaravit: attamen expectaturum in Atrio Libertatis ad occaſum ſolis, ſi Equeſtri Ordini Regreſſus placuiſſet: poſſe præſenti Comitiorum periculo adhuc ſubveniri. Ingens ad ea ſtrepitus & erumpentes Voces audiebantur: arma Communis Motus infeſto fremitu vocantium: id Naturam ad juſtam omnibus defenſionem præſidium providiſſe. Datâ quiete Judex Sendomirienſis, lenibus mediis ſedanda potius; quam violentis acceleranda eſſe in Remp. mala diſſeruit: nam quæ utilitas raptorum temere armorum

ſeque-

ſequeretur? aut quæ vires tumultuariè ad Communem Motum convocatæ Nobilitatis? quodſi enim præſentia evanuerint Comitia: quandoquidem licitum eſſet unicuique comparere, vel ſuam ſubtrahere præſentiam; utpote Lege ad comparitionem in armis non adſtricto: quin potius ad præſcriptum Legis 1652*di.* de ratione publicæ ſecuritatis formarentur Conſilia, datis Univerſalibus Literis ad Conventus Palatinatuum, quibus Equeſtris Ordo ad Communem Motum iuvitaretur. At Xięſcius vice Capitaneus Cracovienſis Vir animi ferox, Regreſſus ad Atrium Libertatis, Tribunitio Collegio libertatem reddi validis pariter & animoſis rationibus tutatus eſt, audacter aſſerens: *Prolongationes Comitiorum cùm contra mentem Legis permittantur; nunquam ſine conditione Conditionantis non conditionata eas concedi ab Equeſtri Ordine moris & libertatis eſſe. Hinc in præſenti caſu Equeſtri Ordini libertatem Regreſſus ad Atrium Libertatis liberam, Neminem inficiari poſſe.* Poſtremò Palatinus Lublinenſis vario ſermone ſententiam moderans, & jam in hanc jam in illam partem flectens, in Authorem anonimi projectus acriter invectus eſt, referens: *Graviter turbatam ac penè concuſſam fuiſſe Remp. Anno Domini* 1607mo, *valido factionis rumore Auſtriacæ Domus. Hinc ad ſua pericula advertit Reſp. Anno Domini* 1609no *ſeriò perpendens parvis quoq; rebus initiisque ſæpe liberas Reſp. magnis motibus agitari, inquiri ab hinc in exitioſos Rumores Legis terrore prohibuit.* Afferebatque varia exempla ſemper ſpretæ ejusmodi famæ. Tandemque addidit: *occiſum in Romana Rep. Scipionem Africanum, nec tamen in tanti Herois quæſitum necem, aut vindicatum immane Penâ publicâ ſcelus? ob me-*

tum

tum Civilium turbarum & ex inteſtino bello certum Reipubl. exitium.

Septimo Cal. April. enormis & pudenda diſcordia fatalem dixit Comitiis periodum. Nam non comparente Zabokriccio, ſed è vicino ſpectante Reip: pericula, paucæ Voces idque ad irritationem magis animorum, quam ad mutuam concordiam erumpebant. Donec deſerente diem ſole, & quaſi metuendam tanti Regni fugiente diſcordiam, ac in caſſum à Mareſchalco Equeſtris Ordinis propoſito Nuntiorum Collegio ulterioris Prolongationis arbitrio: luctuoſum de more vale inter ſingultus & nitentes lacrymas Principi promere neceſſe habuit. Statimque accepta ore Illuſtriſſimi Pro-Cancellarii benevolentiæ Principis in Equeſtrem Ordinem conteſtificatione, procedens ad manus oſculum; cæteris magnifici in Principem officii locum dedit.

Octavo Cal. Aprilis deliberatum triduò in Senatus Conſilio ſuper Punctis à Principe Illuſtriſſimis Senatoribus oblatis, diſcrepantibus Sententiis: cùm omnes ferè Propoſitiones Materiam Status Reip. complectentes; ad naturam potius Comitiorum ſpectarent, nec tam Senatus Conſilii deliberatione, quam omnium Ordinum Conſenſu ſalvâ Reip. authoritate, cujus Senatores cuſtodes ſunt, reſolvi poſſent.

Duodecimo Cal. Aprilis, Illuſtriſſimus Palatinus Culmenſis æger corpore, vigens animo & ingenio, præmiſſo modeſto ſermone non tanquam exprobaret, ſed ut confiteri videretur non alieni operis gloriam, obitum ſcilicet magna cura & induſtria pro Rep. laborem in Legatione

gatione ad Magnum Moſchorum Ducem. Tum velut fatiscens petiit à ſuo Collega Referendario M. Ducatus Lithvaniæ ut Relationem mutuosque congreſſus cum Naszcokino Supremo ad Tractatus Magni Ducis Moſchoviæ Legato, compendioſe factam legeret: & reverâ magna verborum parſimoniâ confectum opus erat, nullibi tamen ubi non defuiſſet occaſio, transmiſſa ingenii oſtentatio. Poſtremo ipſi Articuli Pactorum legebantur, ex quibus optimi viſi ſunt: conjunctio ſcilicet armorum adverſus quemcunque utriusque Imperii hoſtem, & intra Spatium medii Anni Metropolis Ruſſiæ reſtitutio, pro quo termino rurſum Legatos mitti oportere à Rep. qui Kijoviam repeterent, duraturumque perpetuò fœdus ſancirent. In eodem termino rebellis Coſacorum Gens datis ad Ducem Moſchoviæ Literis, litem de ſuo ritu ejus mediatione & arbitrio finire velle teſtificabatur. Non occultata in Magnum Ducem animorum inclinatione; quos ille per Græci ritus Ariolos, vulgò Popos dictos illicio ſeductos Religionis in amorem ſui imperii rapuerat. Finierat Referendarius; cum exorſus iterum Palatinus Culmenſis vim frigorum, ſterilitatem ſoli, penuriam copiarum, actos iterum labores memorans, gratitudinis ſpem, ſumptuum refuſionem, circumſpectis verbis, ſed non occultis innuens repetebat. Supererat reddendarum à Principe & Senatu gratiarum Officium; quare Principis nomine Cancellarius M. Ducatus Lithvaniæ Palatinum Culmenſem laudibus extollens: nam Pro-Cancellarius Regni conſultò an forte aberat, cohoneſtavit. Illuſtriſſimus quoque Epiſcopus Cracovienſis de ſua conſurgens

currulli, motis Senatoribus manifestæ illorum rectè factorum conscientiæ, modicis verbis nec à benevolentia alienis satisfecit. Incesserat statim non occulta quærela Magnorum Senatorii Ordinis Virorum ejusmodi morem ut novum ac recentem in Rep. reprobantium; cum Legationum à Rep. ad Externos Principes rationes, à Legatis non privatim & in umbra Majestatis senatus Consiliorum, sed in facie totius Reip. præsentibus Regni Ordinibus ex reverentia firmatæ Legibus consuetudinis reddi solitas esse. Datus posthæc Palatini Czerniechovienſis Voto locus, qui multis egregiè præmissis de Moschovitica Legatione & infido Gentis ingenio differens, addidit: *non defuisse Commissariis in hac Legatione curam pro Rep. magno animo susceptam: defuisse fortunam.* Legatum Magni Tartarorum Cham socia arma Exercitibus Reip. contra quosvis hostes promittentem, modo Pacta cum Moscis quoquo modo inita rescinderentur, cum honore & amplissima Officiorum contestificatione remittendum esse, censuit: injecta spe proprium Legatum ad Illustrissimum ejus Principem expediendi; definitâ prius super proposito negotio deliberatione.

Decimo tertio Cal. Aprilis Illustrissimus Regni Thesaurarius intrepidus animi & insignis Arte facundiæ, paucis verbis sed validis sententiam complexus, differuit: *Cum à Vestra sacra Regia Majestate omnia ferè Puncta in Instructione proposita Senatui sint, quæ non modo cum authoritate & consensu omnium Reip. Ordinum correlationem habeant, sed naturæ Comitiorum complexum sint: proinde in Senatus Consiliis vetante Lege de iis differere, multo magis consulere obligatæ Senatorio Vinculo*

culo iniquum videri conscientiæ. De Copiis Communis Motus Equestris Ordinis idem se sentire quod multi. Nam cum publicæ Leges rationem modumq; evocandæ ad arma Nobilitatis Principibus præscripserint: non dubitare sese Vestram Regiam Majestatem Equestrem Ordinem circa securitatem fortunarum & Libertatem Legum conservaturam. Coronationem serenissimæ Reginæ ut Voto expetere, ita ingenuè malle coram deprecari, ac veniam petere si à quopiam siniſtre invidiâ gravarime contingeret, quod reserare Thesaurum & debitum extradere apparatum nequi eo. Neq; enim se id temere proferre, cum à plurimis Infulatis Patribus, qui præsenti quoq; consilio interessent, Thesauro claves adhibere prohibear, nisi totius Reip. Consensus accessisset. Postremo Thesauri rationibus ut sibi obnoxiis, sermonem commodavit. At Magnus Cancellarius M. Ducatus Lithvaniæ cum suasisset Principi, quamvis egentem stipendii militem M. Ducatus Lithvaniæ: posse tamen benevolentiâ Principis & spe oblata munificentiæ pertrahi ad obsequium. Offerebatq; Regi Ducatus sui universas Communis Motus Copias; de generali expeditione bellica Regnicolarum variè & prolixè tædiosum morem suum secutus, quasi oraculo magnas ambages explicaret, differuit: *Conjecisse sese ex impetu Nuntiorum & alacri voce ultro Generalem Expeditionem à Regia Majestate Vestra petentium ac postulantium, non defuturam Regi Nobilitatem ingruentibus in Remp: periculis, tum gloriæ ac securitati Majestatis Vestræ, paucos repertos fuisse, qui communi Reip: præsidio contravenire videbantur, idq; non bene inter se coalescentes. Quorum aut discordes essent animi, aut virium consideratio non magno respectu æstimanda: nam Terras Prussiæ Magni Ducatus Lithvaniæ viribus ab iniqua Cruciferorum potentia sub Grunewaldo Liber-*

tati

tati & præsenti status. eorum felicitati vindicatas esse. Immemor aut consulto ignarus, Lithvanos eo loci turpi in acie consternatione in ipso prælii ardore flagitiosâ fuga Polonos deseruisse, & quo ignaviſſimi sceleris à se averterent turpitudinem, deterioribus ipso flagitio sparsis ubique nuntiis egregiam quoque famam Victricis Exercitus corrupisse. *Adjiciebat vires modicas Prutenorum esse, nec magno Reip. usui: cùm singulari quadam exceptione Communis Motus Terrarum suarum copias ad limites tantum Provinciæ deducere soleant.* Reliquas deinde prolixi consilii meditationes, excusata quidem verbis, sed nimium affectata candoris in Principem ac fidei per vana sed magnifica consulendi media ostentatione, velut ad Aram Jovis Consultoris responsa daret, eluctantibus verbis quasi corrumperetur celeritate loquendi dicentis authoritas, expedivit. Finitis Regni Officialium sententiis absentium vota Reverendiſſimi Episcopi Posnanienſis ob infirmitatis casum à Regente Minoris Cancellariæ: Supremi Regni Cancellarii, ob ingravescentem in dies valetudinem, seu quandam animi affectionem, à familiari ejus Gurowscio publicata sunt: idque contra receptum morem. Absentium enim Procerum Vota à Referendariis Regni aut Regentibus legi usitatum est. Senatorum sententias Princeps excepit: *Differebatque de incrementis diffidentiarum, quæ à male contentis excitarentur, si tamen malecontenti à quopiam dici possint? quarum sopiendarum omnem pro se promittere facilitatem & libenter dissimulaturum, nisi in apertam evalescant injuriam. Universales literas pro Conventibus Relationis eodem ubique tempore Terrarum celebrandis prodie scilicet* 13tia *Maji* quæ deinde ratio temporis cum

20ma

20ma commutata est *è Cancellaria jussurum extradere. Tum actis Palatinatuum Comitis initurum facilè ex inclinatione Equestris Ordinis Consilium, an datis ad præsens Evocatoriis Literis unis pro binis ad Generalem bellicam Expeditionem Nobilitatis adjici iterato pro tertiis Universales Literæ debeant, ad quarum famam Universa Regni Nobilitas in Martio campo & Generalibus coeuntium Exercituum stativis comparere necesse habeat. Comitia, quæ unica jacturæ publicorum Consiliorum medela est, quam primum per quietem ab Externis periculis ac domesticis impedimentis licuerit, concessurum Regni Ordinibus. De expediendis ad magnum Moschorum Ducem Legatis ad continuationem Pactorum perpetui fœderis, ac recipiendam Kijoviam, quamvis eam negotii prærogativam ad vim auctoritatemque totius Reipubl: spectare; non se nescium deprehenderet, missurum tamen: cùm nec illius immemor sit; necessitatem frangere Legem.* Eam sententiam leviſſimus quisque incuriâ, aut quibus adulatione & nimia spe corruptus sensus, per incuriam leviter habuit. Sapientes tamen; quibus non modo ambitiosâ meditatione & malis artibus in partes accitæ fortunæ, sed ne repentinæ quidem & ultrò sese offerentis felicitatis cura; advertêre. Modicâ contestatione grandem displicentiam Illustriſſimo Palatino Lublinensi & Reverendiſſimo Episcopo Cracovienſi præseferentibus: quasi considerabiles in memoria posteritatis Proceres cæteris tesseram darent: quid libero Senatui in florente Legibus Rep., in novis Imperii auspiciis & proniore ad Artes Dominationis Principe Provisorum eruditione displicere deberet. Reliquas materias Princeps compendioso sermone expediens, Consilium quoque suum de Rep. protulerat.

ANNALIUM

LIBER IV.

Publicâ Imperii Fortunâ transactorum Regni Comitiorum.

COrrupta ad ſcelus Fortuna Idibus Martias funeſtum. Primo Cæſari ferali tulit omine caſum: at Michaeli Principi Primo ejus nominis inclyto Sarmatiæ Regi recentia ingreſſo Imperii ſpatia; Nonæ prodigioſæ ſemper felicitatis incrementum portendêre. Igitur conſultis velut de Auſpitio Fatis, & acceptis ex adyto juſſis Generalia Regni Ordinibus Comitia, nonas Septembris indicta ſunt. Et repentè proſpera Conſiliorum initia veteris Imperii faciem, vel quaſi ſubitò è tanta morum corruptela convaluiſſet, benè conſtitutæ Reip: ſpeciem præ ſe ferre videbantur. Primo enim Comitiorum die quæ poſt brevem requiem à publicis negotiis datam jam alternâ vice eodem Anno nona Septembris redierant, ſtatim Mareſchalcus Equeſtris Ordinis Illuſtriſſimus Stanislaus Lubomirski Capitaneus Spiſſienſis renunciatus eſt. Sequenti die ſelectus Equitum Ordo civicam maturi in Principem amoris coronam ferens, ad Oſculum Auguſtæ manus acceſſit: à Regia dextera felicium de Rep: curarum petiturus auſpitium. Sexto Idus Septembris Tribunitius Ordo in Senatu com-

paruit, ſimulque ſummâ ſedulitate ad Venerationem compoſitus, Principis Propoſitionem excepit. Pridie Idus Septembris, cùm atroces minas in Caſtellanum Poſnanienſem & Regni Theſaurarium ferocibus vocibus detonaſſent, atrox in Patriam ac Remp: corruptæ fidei facinus, ac proſtituti Officii flagitium juſto vindicandum Judicio, magno Conſenſu, velut jurati ad Aras ſibi invicem ſpopondiſſent: atque ut reliquorum etiam malè de Rep: ſentientium, corruptos animos metu & terrore ad pœnitentiam verterent: Ingenti motu Tertium Edictum pro Generali bellica Expeditione, à Principe petiêre; nec erat mens Principi, juſſa Populi ſpernere, quin imò veniens Equeſtris Fortuna Regalis benevolentiæ excepta ſinu, ſtatimque Literæ Innoteſcentiarum Limitationis ad Judicia Regni Tribunalitia expeditæ ſunt. Eâdem quoque tempeſtate Evocatoriæ Nobilitatis Literæ ad Terras ac Diſtrictus, tum ad Provintias Gentesque ac Nationes univerſi transmiſſæ Imperii.

Ipſis Idibus Septembris quamvis exiguum publici ambitus fomiti Diſtributiva Principis Juſtitia alimentum ſuppeditaret; paucis inſolitâ quadam Reip: felicitate Vacantibus Officiis Præfecturisque. Magna tamen in Conclavi Nuntiorum inordinati appetitus indicia crebris vocibus & operoſo rationum certamine manifeſta cernebantur. Sed poſtquam Mareſchalcus requiſiturum ſe à Principe Vaccantias declaraſſet, quas quisque ſpecificaſſet: mitigatus ardor & Univerſi ad Senatum proceſſêre. Ibi Mareſchalcus convenientia ad Principem effatus, vacantes prærogativas quæ maxima ex parte ſacri Ordinis fuerant,

rant, recenſuit. Tum ProCancellarius Regni à Throno reſpondit: cùm circa præſentes Vaccantias graviores occurrant difficultates: idcircò Sereniſſimum Regem earum Declarationem, quæ ſine matura deliberatione expediri non poſſunt, diſcretioni temporis ſeponere: benignè invitans ut Vota Senatus Equeſter Ordo excipere non gravaretur. Simul annuente Tribunitiæ poteſtatis Moderatore, factoque per Mareſchalcum Curiæ ſilentio Reverendiſſimus Epiſcopus Poſnanien: exorſus, locum aliis ſententiæ de Rep. dedit.

Quarto Calendas Septembris, Vota Senatus ad ſenatorium deducta limitem. Veniebant multa in ſententiis Patrum ad diſquiſitionem, ſed de nulla privatæ aut publicæ rei materia ſubtilius diſputabatur; quàm de modo concludendorum Conſiliorum, Tribunitiæ Poteſtatis reſtrictio avidè quærebatur, ſed publica communis concordiæ utilitas Pacisque grande bonum prætexebatur: ac ne ſi duriores rationes proponerentur, facilè feroces omnium animi alienarentur: lentis itum eſt mediis, quo ſecuriùs aſpera laterent, molliusque Artes interpretarentur. Illuſtriſſimus Regni ProCancellarius propoſuerat, fore eâ methodo Reip: conſultum: *ſi Lege publica Tribunitio Ordini intra unius diei indulgentiam, ut Mareſchalcum elegendi, ita cætera Generalium Regni Comitiorum Præliminaria, non excedendo unius quoque diei Arbitrium neceſſitas imponeretur: cum ut Equeſtris Ordo Decretoriis Comitiorum quinque diebus, ternos adhuc quaternoſuè adjiceret; quo publicæ materiæ majori cum commoditate Ordinum Regni facilius rectiusque poſſent expediri.* Easdem ingenii rationes M. Ducatus Lithvaniæ Pro-Cancellarius

haut dissimili sententia non improbare videbatur. Mareschalcus Curiæ facundâ oratione, plus cultui quàm inventionis concedens subtilitati, post abstrusam & tristem aliorum, moribus Patriisque Legibus sapientiam finem Senatoriis Sententiis amæna facundia dixit. Tum Illustrissimus Regni Cancellarius è sua consurgens sede, quæsita Principis voluntate, Equestrem Ordinem ad excipiendas senatus consultorum rationes invitavit. Et postquam ad Remissas Judiciorum Regni Comitialium, pariterque ad Rationes Thesauri ex Senatu Deputatos assignasset: ad facilitatem quoque Deputationis Tribunitium Collegium cohortatus est. Statimque Senatus consultum Legationis Regis Angliæ per Referendarium Regni Spiritualem lectum est. Quo obiter excusso Sessio Senatus dimissa est. Mareschalcus Equestris ad Atrium Libertatis regressus; adductis Nuntiis Terrestribus ad eandem deliberationem super Instructione (quoniam Coronatio Serenissimæ Reginæ ab universa Rep. concessa ac destinata esset) danda Deputatis pro Diademate cæterisque Regni insignibus Cracoviam ablegandis: unde ingens partus inter Nuntios quæstionis: iturusne esset ipse Regni Thesaurarius? an Subdelegatus solùm ab ipso mittendus sufficeret? Leges ipsius Thesaurarii præsentiam requirere videbantur, sed plurimi pertinacius urgebant: cum ipso in hoc passu Legem dispensari debere, quando ejus præsentia ad intentatam actionem in Judiciis Regni Comitialibus magis requiratur. His & similibus rationibus multâ arte propositis Mareschalcus sessioni finem dixit. Proximâ die inchoatâ in Conclavi Nun-

Nuntiorum sessione, lectus est conceptus Instructionis Deputatis Cracoviam pro Insignibus Regni destinatis; in quo certus præscribebatur dies intra quem omnes Deputati Cracoviam convenirent, ne unus sine altero ostia Thesauri aperire præsumeret (à Palatino verò Sendomirienſi præcautum in Senatu erat, ne qua difficultas Deputatos moraretur, quo minus ad præstitutam diem rediret: non sufficere septem claves, quæ jam Serenissimo Regi ad manum essent, nisi Thesaurarius Regni aut ipse iret aut clavem ab octava fornice per Subdelegatum mitteret) postremò monebantur Deputati, ne quidquam ex clenodiis Regni auderent attrectare. Statim ut Mareschalcus finiverat, arrepta voce Vexillifer Sendomirienſis seriò postulavit: ut Senatus consulta à 6imo Anno recitarentur: cùm ex illis constare possit Reip. ratio & Autor introductæ in Regnum Boratinianæ Monetæ, & exindè ingentia damna afflictæ Patriæ illata deprehendi. His velut in commune effatis, infestâ voce Regni Primatem aggressus est: *ab eo nimirum in dies augeri in immensum Civium diffidentiam, mississe eum ad Conventum non modo Palatinatus Diœcesis suæ, sed multorum aliorum, Literas: quibus Principi violatio Pactorum Conventorum objiciebatur, nec modo solvebatur, quin imò sollicitabatur Nobilitas à debita Principi desciscendi obedientia.* Leviori id quam sperabatur animorum motu acceptum est: omnibus conscìis & palàm notâ inter Dembicium & Primatem odiorum professione. Quare immorari diutiùs vanis nolentes discursibus, Universi Authores Mareschalco fuère eundi ad Principem eos cum Senatu præstolantem. Pauca ibi Mareschalcus competenti præfatus

Suadâ ; conceptum de adferendis Cracoviâ Regni Insignibus prælegit, prolatis quibusdam Vaccantiis, quæ ipsi recenter insinuatæ erant, acceptaque ore Principis à Pro-Cancellario Declaratione, ad Publicationem Senatus consultorum (motis à Mareschalco Curiæ è Senatu arbitris) reditum est. Legebaturque ante omnia Overbecii Deputati Principis Brandeburgici Præcustoditio, callidè facta coram Actis Castri Sochaczewiensis (postquam illi à Sereniſſimo Rege denegata fuisset Confirmatio Feudi, seu potius in aliud rejecta tempus, donec prius controversæ materiæ Regiam Majestatem & Reip. statum afficientes definirentur : ille contra juramentum Fiduciariæ obligationis præstare recusaret) multarum quærelarum insignis acrimoniâ : verùm postquam ad Declarationem ventum esset, ejusdem Ministri nomine Principis sui faciendam, notoriè apparebat nam plùs quàm Civilis in Politico Statu, notisque inter Dominum ac Beneficiarium Officiis arrogantia ; dum Directi Domini Sereniſſimo Regi negare Titulum damnata humanis Divinisque Legibus pervicatia ausus fuerat, majoremque de præstando nonnisi per Legatos juramento difficultatem cieret, quod tamen ab Illustrissimo ProCancellario negatum fuit, constanter asserente : *Id quoque Principis benevolentiâ, non debito imputandum esse ; quod ad præsens Legatorum Titulus ipsis utpotè tantùm Deputatis non negaretur : verùm ad persolvendum Homagii Sacramentum, inter Dominum & fiduciarium, cum nullum sit penitùs grandioris notæ externum commertium, externos quoq; negotiationis Titulos, nullâ posse nec decere ratione tollerari.* Idem Deputatus Principis Brandeburgici Majestati valedictu-

dicturus, cùm multa erga Principem Officia cumulasset ; quasi insigne specimen afferret benevolentiæ, declaravit nomine Principis sui : libenter navaturum Majestati ejus operam, ut si quæ inter Sereniſſimum Regem & malecontentos intercederet diffidentia, ne in contumeliam Serenitatis & periculum Reip: erumpat, illius fide & arbitrio placidè componi possit. Ad quod Oberbecio Illustrissimus Regni Pro-Cancellarius dignum Majestate Principis & Dignitate totius Reip: Responsum dedit : *Domesticis malis intra Domesticos parietes medendum esse : at, quæ medentis manum ferre non possint, aut vim medelæ atrocitate mali superaverint ; cristitiâ opperienda esse.* Illo beato temporis tractu ab Illustrissimo Regni Pro-Cancellario cum plurimis publicis negotiis, tum potissimum laudatâ transactione, cum nuntiis Principis Brandeburgici consultum antiquo splendori Imperii, vindicata Reip. dignitas, obviam itum publico dedecori : quod olim abjecta Principis conniventiâ, & malorum Ministrorum turpi obsequio, ac venali in omne nefas conscientiâ irrepserat. Constantis porro animi causa in Illustrissimo Regni Pro-Cancellario præter animi magnitudinem & Patriæ charitatem, alienatio à Duce fuerat. Cujus sive privati sive publici stimuli exstiterint, ad scribentis disquisitionem nil referre : at in animo prudentium ambigi non debet : privatorum in libera Rep. Civium, cum Externis Principibus dissidium, aut certe nullum commertium, integritati salutique Reip. non postremum ad publicam utilitatem addere momentum. Tractatibus posthæc Polono Cosaticis concessa Audientia, quæ Deputati à Rep. Commissarii

ſarii cum ipſorum Delegatis Pridie Nonas Auguſti concluſerant ſatis æquis Conditionibus. Religionis maximè Libertatem in conſuetis ab antiquo ſacræ ſuperſtitioni locis, & militaris Imperii Arcana ſibi integrè ſervari poſtulabant: ne ſtrategus illis unquam cum perpetuo Imperio imponeretur: ſed eo uſque ſolùm Regimen teneret; quam diu fidem erga ipſos, dexteritatem in rebus gerendis, fortunam in adminiſtrandis Bellis, amorem popularem in obſequendo bonis pro Utilitate publica ſtudiis retineret. Quorum Tractatuum per Legem publicam Confirmationem; ambitioſis precibus, ſed Reip. magnificis ſubmiſsè à Regni Ordinibus petebant.

Sexto Cal: Sept. Mareſchalcus Equeſtris Ordinis datâ Copiâ Seſſionis in Propoſitione ſua Univerſum Nuntiorum Collegium ad Juramentum invitabat. Nihil unquam tanto ardore omnium pectora implevit: quaſi ad Aras Templaque ſolenne Votum feciſſent, ſinguli certatim, confeſtim univerſi conſcientias ſuas ſacro vinculo obſtringere certabant. Solus Dapifer Smolenſcenſis, nimio fervori moram attulit: *dum non modo Tribunitium Ordinem, ſed Senatum quoque, ex quo potiſſimum diffidentiarum in Rep. dimanarent ſcaturigines, aperirentur fontes; qui Equeſtris quoque Ordinis æqualitatem viciarent; cum neminem unquam facile crederet Equeſtri prærogativa fulgentem, contra Libertatem Electionis machinantibus ingenium aut obſequium commodaviſſe: Jure jurando obſtringi ſatagit.* Sed delinitus medio; quo illi promittebatur, ad eandem quoque neceſſitatem adducturum Equeſtrem Ordinem Senatus Patres, quam primum, cum Senatoribus congrediendi

endi copia ex Lege conceſſa fuiſſet. Cùm conſenſui publico ceſſiſſet: lecta eſt à Mareſchalco utraque Rota Juramenti: Illâ Directoris, alterâ Tribunitiæ poteſtatis corrupta ſæpè in malas artes potentia frænabatur. Modica circa formalitates dictarum Juramenti Copiarum controverſia interceſſerat, ſtatimque deferbuerat controvertendi amor. Igitur quò ſpeciem alacritatis cæteris quoque præberet abjecta omni cunctatione Mareſchalcus in genua procidens, exhibente ei Rotam Juramenti Nuntio Ducatus Oſviecimenſis Jusjurandum præſtitit: tum conſurgens vocatis per Ordinem Palatinatuum Nuntiis, Formam Juramenti genu flexis prælegebat: & poſtquam conſcientiam obligaſſent, in Cathalogum nomen ſuum quemque referre poſtulavit. Tali facinore ſeu potius pietate inſignis ejus diei ſeſſio abiit. Sequenti luce variæ Deputationes ad publicas functiones integram ſeſſionem exhauſerant. Ac imprimis Mareſchalcus Tribunitius perſuaſus impetu anteſignanorum furentis populi bis quaternos ex una quaque Gente ad Judicia Perduellionis nominavit: quamvis Lex publica bis ternarium tantùm numerum præſcripſiſſet. Ad Rationes vero Theſauri ſingulos ex Terris & Diſtrictibus deſtinavit. Exercitum quoque Regni Legatione adeundi ſingulis ex Nationibus Officium pro Rep: impoſuit. Feſtinatæ hujus Legationis occulta neceſſitas ſuberat: cum crebris neque falſis conſtaret nuntiis: militares copias in ſeditionem paratas erumpere, cujus caput non aliquis è fece populi, ſed nobiliſſimus famâ & authoritate pararetur. Interim ad quærelam plurimorum Nuntiorum ſuper Judicia Criminalium

cauſarum, ut à Principe ad proxima Regni Comitia limitarentur, id quoque præſcripto Legis exigente. Ratione Generalis bellicæ Expeditionis neceſſe habuit Mareſchalcus ad Principem ex unaquaque Gente ſingulos expedire Deputatos, qui preces totius collegiati Conſeſſus Tribunitiæ Poteſtatis perferrent. Reverſi, pro Voto Declarationem attulêre.

Octavo Cal: Septemb: Director Equeſtris motis ex Atrio Libertatis arbitris, factâ Propoſitione Inſtructionem Deputatis ad Exercitum Regni deferendam legere intendebat, ſed obſtante Interceſſione, ut tantiſper Deputatio protraheretur, donec advenirent militares è Caſtris Nuntii, qui jam ſub mœnibus eſſe certò afferebantur, rejecta eſt. Nihilominus Articulus quamvis vulgatus à Mareſchalco fuerat Aſſecurationis à Rep. Illuſtriſſimo Campiductori utriusque ſupremi in Patria Officii pacificæ ad vitæ tempora Poſſeſſionis (cum Lex de Incompatibilibus in centuriatis Electionis Comitiis lata, idem quoque exigeret expreſſo verborum contextu, *ſaluis modernis Poſſeſſoribus*) modificatus eſt: ut transmiſſo in perſona unius negotio, Reip. immota in manutenendis Legibus conſtantia & protegendis privatorum circa quascunque Immunitates Juribus, & Principis integritati famæ fideique innixa Majeſtas contra deterioris interpretationis ferocientem temeritatem muniretur, qui ſingulorum omniumque privati Juris Privilegiorum jurejurando firmaverit conſervationem, Generalibus Terminis Declaratio manifeſtaretur. Flagrantiſſimo deinde animorum motu, agitata eſt Inſtantia publici Delatoris Trobcinſcii è Palati-

Palatinatibus Majoris Poloniæ circa Judicia Perduellionis. Is enim Incuſato Patrono ſuo ut venali; quaſi Literas Citationis vulgò Mandatum pretio corruptus non tempeſtive Theſaurario Regni extradidiſſet: ad præſentem caſum Legis diſpenſationem, ut ſub modernorum Comitiorum tempus adcitari poſſet, petebat. Magno conatu id Delatoris deſiderium, certatim perorantibus Nuntiis Majoris Poloniæ promovebatur. Sed quia nonnulli exemplum atrox & exinde metum ſubeſſe ſummarii Proceſſus firmis & ſpetioſis rationibus demonſtraverant: nil ea die Delator à Rep. obtinere potuit; licet integram Seſſionem ea deliberatio conſumpſiſſet, præter illud medium: Ut in Regeſtro cauſarum Perduellionis, tam contra Caſtellanum Poſnanienſem; quam Theſaurarium Regni Terminum attentaret.

Decimo Cal. Septemb: cùm Nuntii militaris Ordinis non comparerent: Mareſchalcus Equeſtris in Propoſitione ſua Deputationem ad Exercitum Regni apprimè neceſſariam cenſuit. Parabatque Inſtructionem legere, ſed cùm in Senatu denuò iteranda eſſet, deſiſtere ab incæpto perſuaſus eſt. At Vexillifer Sendomirienſis præmiſſis paucis verbis de neceſſitate ex Senatu Deputationis: ſummo fervore petiit, *Reip: ſummam agi clamitans; ne ſopitæ magis gliſcerent diffidentiæ, ut Literæ à Primate Regni ad varios Conventus Palatinatuum ſcriptæ publicè legerentur.* Repertoque omnium prompto aſſenſu, operâ Nuntii Siradienſis publicatæ ſunt magno omnium ſilentio & admiratione. Vivâ Libertatis voce & antiquâ priſci moris Patrum Senatus gravitate inſignes erant; niſi ſæveriorem

censuram recentis Imperii præseferrent. *Arguebatur specialiter Princeps, quod eosdem mores veteris Aulæ retineret; æquè graves, non æquè excusatos, quod nimirùm aleret homines concessa mercede Potentes, & aura populari validos: qui ipsius privata adversus publicam utilitatem foverent desideria ac tuerentur. Incusabat dein Principis causa rupta esse Coronationis Comitia. Pacta Matrimonalia cum Domo Austriaca inscia & inconsulta Rep:, dum ipse, dum magna Senatus Pars dissuaderet, inita esse. Super Pacta Conventa cum Restrictione mentis Jusjurandum à Rege præstitum, constanter asserebat. Rupta iteratò Regni Comitia: ut circumscribendæ Domus Regiæ fervens in Populo studium evanescæret.* Reliquum temporis minaci contentione ac violento feruore circa materiam Judiciorum: ut Thesaurarius Regni (qui pro munere Officii sui Cracoviam pro insignibus Regni adferendis abierat) publico interdicto à functione Officii arceretur, donec judicatum Reip: pertulisset, consumptum est.

Undecimo Cal: Septemb: Martialium operum Præside ejus diei Marte nimio fervori vel potius furori simillima in Atrio Libertatis fuère consilia. Præscribebatur Maresçalco Equestri, ut in Senatu Judicia adversus fontes Perduellionis urgeret; tum quoque ut Illustrissimus Regni Primas objecta Principi dilueret. Utque publicâ per Legem assecuratione & concesso præmio Anonimus Delator initam in Principis & Reip: salutem detegere non metueret conspirationem, ac tandem Deputatio ad Exercitum Regni ut festinaretur; simulque pernitiosæ Hybernorum rationi per summam bona Regalia expilandi licentiam obviam iretur. His desideriis in Senatu coram

ram Principe à Maresçhalco Equestris Ordinis magnâ specie prolatis ardentibus omnium animis: subierat interim faciem Senatus Illustrissimus Regni Primas. Tum Tribunitiæ Potestatis ex æquo Arbiter in ejus præsentia Literarum ab ipso ad Nobilitatem Palatinatus Siradiensis Scriptarum publicationem à Rep: petiit; & annuente Principe; à Nuntio præfati Districtus magnâ omnium attentione pro Concione recitatæ sunt. Igitur Reverendissimus Archi-Episcopus magnanimitatis & magnæ indignationis manifestus, occupatâ voce, ingens vi dicendi & arguendi peritus. Plenus insuper confidentiæ, eadem constanter (dum ab Equestri Ordine suffecturus discrimini non speratur, & à Senatu metuitur; ne si succumberet; manifestæ Partium secessioni locum daret) nec velut dubia objiciendo, sed quasi vera exprobrando, disseruit: *Meminisse in ea Rep: se natum esse, in qua sentire quæ velis? quæ sentias, dicere liceat. Nil se in iis Literis quas famæ sacrasset, nisi vera & certa mandasse: neque potuisse pro primatiali Officii sui debito ac dignitate & illæsa conscientia, ex jurata fidei obligatione; quidquid nocivum scivero, avertam: ultra dissimulare serpentia mala, quæ non modo afficerent, verum etiam premerent, ac fortè opprimerent Reip: statum. Etiam gloriosos Antecessores Majestatis Vestræ si quid illis in Principum Regimine displicuisset: pari semper coercendis Dominationis Artibus usos esse Libertate. Meliora equidem & faustiora tranquilliora in posterum Reip: status sumpti ex æqualitate Principis speraſſe omina, quam nunc doceat eventus. Postquam Princeps observationem Pactorum Conventorum penitùs contempserit, ad quam quoq; nullâ teneri se Religione existimat: quando me præ-*

sente

sente & tot conscius in ipso Coronationis Actu evulgavit: sese cum Restrictione mentis super Pacta Conventa Jusjurandum præstitisse. Id sperare se Principem ingenita ipsi magnitudine animi non negaturum, quod si inficiari constanter placuerit: recurrere sese ad Testimonia summorum in Rep. Virorum. Eam porrò mentis Restrictionem causasse in Majestate Vestra: ut verso suo ac Ministrorum suorum omni studio postpositis Reip: curis & Patriæ commodis, privatis Aulæ suæ negotiis studuerit: Conjunctamq; seu verius clausam intra unam Domum suam Remp: haberet: adhibitis duobus aut tribus ad cuncta Arcana Reip: arbitris: Inde illum emanasse defectum: levem quidem prima facie; sed si penitius inspiciatur, indignitate Majestatis Regum Poloniæ insignem, neque minus cum Reip: periculo conjunctum: illud scilicet Aureum vellus, hoc tintinnabulum, avidius quàm consultius à Majestate Vestrâ amblexum. Quo suscepto: Juramento sese, cum summâ indignitate Reip: & diminutione Majestatis ad defensionem honoris Ducis Burgundiæ ac Regis Hispaniæ obligavit: licet non indigus esset exemplorum magnanimitatis Regum Poloniæ: ac præcipuè Vladislai IV, qui eandem sibi Aurei Velleris à Legato Regis Hispaniæ oblatam prærogativam, rejectâ penitus omni conditione ac vinculo Juramenti generoso & verè Regio spiritu ægrè suscepit. Ex hoc restrictæ conscientiæ fonte emanasse causas Convulsionis Comitiorum Coronationis, male tractatis ac studio difficultatis, deniq; elusis Exulum desideriis, ut moti impatientiâ contradictione suâ Comitiorum molem distraherent. Ruptis Comitiis consultus de matrimonio Majestatis Vestræ per ludibrium Senatus: cùm tamen Lex in Centuriatis Electionis Comitiis lata fuisset; appellare se in eo fidem & conscientiam Equestris Ordinis, ne Princeps insciis aut non assentientibus omnibus Regni Ordinibus Matrimonium contrahere

here præsumeret. Quod nocivâ, nescio cujus in damna publica sagacitate, cum intollerabili bonorum Civium dolore eliminatum esse. Neq; etiam sese in eo Consilio multosque insuper Senatorii Ordinis summos Magnates, egregios Præsules, propensioni ad Augustam Imperatoris Domum contravenisse (quamvis vetera nec spernenda Vaticinia summorum in Rep: Virorum aliter suaderent, & occulto ideoque inevitabili metu futuri terrerent) sed tantillam suasisse moram: ut grande negotium, intimum Reip: Arcanum sine scitu & Authoritate Ordinum Regni non ageretur. Verum enim verò tantum negotium in Senatus Consilio cum illustri decore publicæ famæ agitari cæptum, in privato Conclavis recessu non sine deterioris suspitionis ignominia expeditum est; contra morem ab ævo receptum, & à nemine unquam Regum Poloniæ violatum. Nam licet non eam inficias Senatus Consilii complementum, esse Principis Declarationem: tamen egregiæ consuetudinis nullum extare exemplum: Senatus consilia in abdito terminandi. Ita Veterem à sæculis morem, ita considendi Naturam, ipsam deniq; publicæ negotiationis jubere honestatem; ut ibi expediantur Consilia, ubi cæpta sint. Eodem æstu præcipitata esse Pacta Matrimonialia, cùm tamen nullam ob aliam causam jungendorum Hymæneorum moram à Principe petierim: quam ne hæc ad præsens, talia in futurum malo exemplo insciâ Rep: Rationes Status perverterent; cum gravi dispendio publicæ opportunitatis: cum nulla esset magis amica temporibus Reip: occasio, recuperandi ab Imperatore super Electionem Principis è Domo Austriacâ, dati afflictis Reip: temporibus Diplomatis, restituendorum Wielicentium Contractuum, postremò ejurationem ad Prussiæ Provinciam omnis Juris prætextus. Jam propitiæ faventesq; Bono publico prærogativæ, privatæ Matrimonii Principis commoditati aut ingenio cedere

dere debuerunt. Eandem laxatæ Conſcientiæ Libertatem, ad præteritorum proximè Comitiorum luctuoſam jacturam ſuffeciſſe. Non alia cauſa Reip: concordiam ac tranquillitatem miſcente, & velut ex inſidiis pervertente: quam privato conatu, augendæ in immenſum Principis potentiæ: Ne illâ Comitiali temporis commoditate unico Libertatis firmandæ ſubſidio: continuum in Populo ſtudium: circumſcribendæ Domus Regiæ coaleſceret. An & Podoliæ Camenecum, unicum adverſus infinitas Barbarorum gentes totius Regni Fortalitium; juſto firmatum præſidio, ſufficienti proſpectum munitione? at unicum hoc & leve ſatis debitum per Pacta Conventa obligato à Rep: Principe, poſt tantas gratias & beneficia ſine modo in Majeſtatem Veſtram cumulata? cùm etiam privati nullis ex Rep: acceptis opibus, de proprio peculio, inſigni fortunarum ſuarum diſpendio ad conſervationem Antemuralis totius Chriſtianitatis ultrò contulerint; & eo uſq; conferre pari in Patriam amore & Chriſtianum Orbem benevolentiâ non deſiſtant. Hæc inconvenientia (ut leviora omittam) cùm gravem quandoq; acceleratura ſint Reip: confuſionem: ut perimentia mala à jugulo Reip: poſſent amoveri. Quamvis fortè minus expedierat; tamen in ea ingenuo Civi vel cum periculo offenſionis honeſtum & neceſſe fuit advertere. Cæterum ut ſemper ſe è ſinu Reip: mala ſubmoviſſe: ita eandem Regiæ Dignitati promptitudinem, cum vitæ ſanguinisque diſpendio, quoties occaſio monuerit, devovere. Altum poſt hæc ſilentium nec vulgaris admiratio; quia ſenes etiam tam familiariter Libertatem cum Majeſtate agentem non meminerant. Cum Illuſtriſſimus Regni Pro-Cancellarius Dignitati in ſummo faſtigio vicem reddens: leni & modeſto ſermone ad objecta non refutanti ſed diluenti proximior reſpondit: *Magnum dolorem penetraviſſe cor Principis, quod*

quod cum nullius ſibi delicti conſcius, ſola modeſtiæ & integritatis famâ dum privatus eſſet, ad tantum evectus faſtigium, nullasq; ad Principatum malas artes attuliſſet; tam iniquâ objectione innocentia ejus gravaretur. Igitur ante omnia ab objiciente oſtendendum eſt: cujus â Principe pretio aut promiſſis tentata fides fuiſſet? Aurei Velleris ſuſceptio uſitata Regibus Poloniæ erga Externorum Principum benevolentiam humanitatis teſtatio. Nec Sigismundum III. quamvis â Septentrionali vocatum Sceptro, hanc prærogativam ſecum attuliſſe, ſed hic delatam ſine onere Conditionum Aurei Velleris Ordini debitorum accepiſſe. Idem Sereniſſimum Regem feciſſe, nullis vinculis & obligationi ſe ſubmittente: cum Regale faſtigium nullo oneri ſubeſſe, quod Dignitatem ejus imminueret, omnium Gentium Nationumque conſenſus permiſerit. Reſtrictionem mentis ad Jusjurandum nunquam adhibuiſſe, atque in ea parte pura reſpondere negativa. Sciſſionis Comitiorum Coronationis, quomodo in ſe jacta cum fide congruerent, non videre. Cum è re Principis fuiſſet, ut coaleſcerent. Palamque ſit; Principem omnes adhibuiſſe rationes, tentaſſe contradicentium animos, & cum Comitia, poſtremo Urbem vecordiâ & inſano impetu deſeruiſſent: Miſiſſe eorum Collegas, qui fugientes ſequerentur ac omni meliori modo retraherent. Sed eluſus circa publicum bonum Principis candor, nunc quoque adverſæ famæ per injuriam conviciorum proſtituitur. Conſilium circa Matrimonium Principis frequenti Senatu expeditum eſſe præſente & conſcio omnium Regni Primate. In præteritis Regni Comitiis redditam ad Imperatorem Legationis rationem: lecta in facie Reip: Pacta Matrimonialia, nihil omiſſum de obſequio in Principem, de fide in Remp. Potuiſſe ab Imperatore tam Diploma ſuper Electionem, quàm Vielicenſes Contractus nullo repeti negotio, ſi quis in tempore tempe-

ſtivam attuliſſet memoriam: cum optimè affectus huic Reip: Imperator, majora etiam ad minimam requiſitionem Ordinum Regni præſtare facilis eſſet, nec quidquam minus prætendere, quam Juris prætextum ad Terras Pruſſiæ. De Proviſione Camenecenſis Fortalitii quod adductum eſſet, quaſi ejus conſervatio cum violatione Pactorum Conventorum à Principe negligeretur: id ex mala informatione initium criminandi traxiſſe notorium ſit: cum ſereniſſimus Rex firmandæ munitioni prædicti Fortalitii, omnia Terrarum Ruſſiæ Telonea applicaverit. Proinde ut hoc, ita & cætera pari licentia ac ferocitate; ſed nulla cum rebus ipſis probalitate allata eſſe. Regreſſus verò à Principe & ſuæ reſtitutus ſedi, acceptâ voce, magno moderationis edito ſpecimine: pro ſe modeſtè pro cauſa fidenter diſſeruit. Non tanquam livori occurreret, quamvis petitus invidiæ telo, ſed quaſi incertitudinem ſuſpitionum deprecaretur, diſſeruit. Hisque velut per tranſcenam præmiſſis; ad publica converſus incurſionem Tartarorum & pericula ex ingenti Belli apparatu à Potentia Ottomannica recenſendo; egregium de Rep: prompſit conſilium; evulgato quantum ſecuritatis ex Coſacorum robore Reip: acceſſerit; quantum ſuperſit Rebellionis ex perfidia Doroſzincii: quid ſperandum ab illo Regni limite, cavendum, metuendumque ſit? Poſitis ante omnium oculos vivâ facundiâ operoſis Principis curis: quò feroces Gentes tot cruentis Præliis, horrendis ſtragibus, perpetuis Bellis, nunquam tamen domitæ; facilitate & benevolentiâ, etiam Barbaris non ingratis artibus, ad magnos Reip: uſus grandi publicæ ſalutis ſubſidio conciliari poſſent. Sermonem Illuſtriſſimi Pro-Cancellarii omnium excepit Silentium: cùm

cùm Vexillifer Sendomirienſis, ſenex juvenili fervore acceptâ voce, accedente privati odii ſtimulo, ſimultates, ex nimiâ impatientiâ profiteri coram Rep: non erubuit: multò Verborum ardore in Primatem acriter invectus; libertate ſua & oblatâ ad publica mala occaſione faciabatur. Eam vocem Reverendiſſimus Epiſcopus Cracovienſis ſuâ excepit ſententiâ, firmiter aſſerens: *ibi non eſſe Conſilia, ubi deeſſet Spiritus Sancti Aſſiſtentia, illam certò deeſſe: ubi à conſulentium pectoribus longè charitas abeſſet; quæ per convitia & probra procul ſubmoveretur.* Poſtremò Illuſtriſſimum Regni Primatem non temerè egiſſe cenſuit. Illuſtriſſimus verò Epiſcopus Cujavienſis, leniter & reluctanti propior incuſato progreſſu Regni Primatis, magnâ locutus de benignitate Principis & ad cives confidentia, tandem Principem per amorem Patriæ, Reip: ſalutem gravi ſermone obteſtatus eſt: ut quidquid eſſet offenſæ, id ſupplicibus bonus Princeps condonaret Civium Votis. Ad eandem quoque operam invitato Senatu; ſubitò conſurgens ac progreſſus ad Principem reliquis quoque Senatorum eandem publicæ humanitatis fecit neceſſitatem. Illo motu & felici occaſione excitus ſede ſuâ Illuſtriſſimus Archi-Epiſcopus, Regni Primas, Primusque Princeps Tronum Regis accedens commiſſâ paucis Verbis ſubmiſſione, Regnantis meruit Reconciliationem. Vix regreſſus erat, cùm Illuſtriſſimus Pro-Cancellarius arrectis omnium animis læta & placentia declaravit: *Regem Sereniſſimum non ob inſcriptos pyramidibus aut tumentibus coloſſis victarum Gentium Titulos; ſed ob paccatos civium animos & compoſitam Remp: Faſcibus Imperatoriis, Laurum addere.*

Proſcriptam & unà non modo injuriam, ſed & offenſſionum memoriam. Quare Magnum Primatem non ſolùm ad ſolitam gratiam & confidentiam recipere; verum etiam illuſtri Domui ejus, opes, honores, Regiam deniqúe polliceri benevolentiam. His peractis ingens Colloquii ejus diei paratus, ſequentis diei fæcundis ſermonibus materiam dedit. Ad regreſſo ad Atrium Libertatis Tribunitiæ Poteſtatis Moderatore; iræ, dolori, indignationi mixtæ Voces; plurimæ non conſiliis ſed minis propiores audiebantur, quærentium? *an illa Deprecatio Primatis ſolida eſſet? an ſolùm falſæ ſubmiſſionis oſtentatio? cùm â renitente & arrogantiæ ac furoris manifeſto fieret: non occultas totâ facie ardeſcentis vultus voluente minas. Legere quemlibet potuiſſe in fronte; quos in pectore gereret ac invitos per ſimulationem premeret affectus.* Verùm ſive vera ſive falſa fuerit, parum intereſſe; dum eâ nullam Reip: datam eſſe ſatisfactionem. Læſam enim ab eo graviter Remp: par fuiſſe ſingulari ſubjectione deprecari. Atrociùs à prudentioribus, qui non uſurpata voce, quò vitarent invidiam, ſed verâ differentium, fama ejus gravabatur, æſtimatio diſtrahebatur. *Cur ſi conſcius eſſet Principem cum Reſtrictione mentis Jusjurandum præſtitiſſe: non ſtatim Regem monuiſſet? cur Coronam capiti ejus impoſuiſſet? quo motivo? quo ſalutis publicæ reſpectu? quâ publici boni utilitate? privatænè an publicæ rei amore tanto tempore intra ſe preſſiſſet? quòd quàm otiùs palam fieri Reip: intereſſet. Demùm ſi quid deliquiſſet Princeps: debuiſſe eum præſcripto Legis inſiſtendo, leviprius monuiſſe ſermone: non vero omiſſis & ſpretis inſtitutis quæ publicus Ordinum juſſiſſet Conſenſus; datis ad Palatinatus Literis, velut ad ſeditionem populum vocare, quaſi objecta Principi crimina*

mina pro approbatis eſſent, nec jam ullo civili remedio (perditis tanquam rebus) niſi civili cruore & Provinciarum cladibus Populique ſtrage vindicari poſſent?

Sequenti die Mareſchalcus Tribunitii Collegii, Propoſitioni ſuæ preces adnectebat, ut ſenſus ſuos vocemque ad Charitativum Colloquium cum Senatu diſceptaturi, inſtruerent. Secutæ Propoſitionem Mareſchalci, velut ſigno dato turmatim Voces. Ut Generalem Ordinum Regni confæderationem urgeret, quæ Jurejurando totius Senatus & Univerſæ Nobilitatis firmaretur. Jam vero ſereniſſimus Rex Legatos Extraordinarios ad ſedem Apoſtolicam deſtinaret: qui Sacrum rerum humanarum Caput obteſtarentur, expoſitis luculenter periculis: è ſalute id totius Chriſtianitatis eſſe demonſtrarent: Ut in cauſa Perduellionis Spirituales perſonas eſſet Reip: judicandi facultas ac de eorum Capitibus ſtatuendi. Cunn eorum audaciâ ſpe impunitatis in dies deteriori factiones ſuſcitentur, impiisque artibus Reſp: propè ad ultimum trahatur exitium. Judicium poſtremo Cauſarum Perduellionis mirâ conſtantiâ & magno motu poſtulabant. Sed poſtquam ad Senatus Sententias ventum, Vinculum Juramenti, tanquam Senatoriam dignitatem ac fidei integritatem afficeret, ſuperfluum viſum eſt. Id Palatinus Lublinenſis egregia Oratione teſtatus eſt, firmis rationibus aſſerens: *Ordinum Regni Confœderationem, tranquillando ab intra Reip. ſtatui apprime neceſſariam eſſe. Sed ſuffecturam publicæ ſecuritati, ſi ad inſtar Confœderationis Tyszovienſis Anni 1662 di, quæ olim Regem Caſimirum Regno reſtituit, ſta-*

tvatur. Diſſonas ſuper eo negotio Senatorum ſententias ſepoſitio in ſequentem diem ſeſſionis diremit.

Decimo tertio Calen: Septembris ob malè cohærentem cum publicis curis Principis valetudinem, irritum opus Colloquii cum Senatu fuit. In Conclavi Nuntiorum nil præter contradictoria audiebantur. Firmiter nonnullis tuentibus Generalem Ordinum Regni Confæderationem: aliis Particulares Confæderationes in Palatinatibus initas ſecuritati Majeſtatis Regiæ ſuffecturas; aſſerentibus petentibusque aliis, Confœderationis Generalis molem ad evocatæ & confluentis Nobilitatis arbitrium rejici.

Vicina luce, magno Nuntiorum aſſenſu iteratæ in Senatu à Mareſchalco Equeſtri, quas pridiè propoſuerat Inſtantiæ. Obdureſcentibus aliorum ad violenta Conſilia animis, frigeſcentibus etiam Aulæ ſtudiis, ſeu indecorum videbatur Principis Declaratione furentis Populi iram accendere: imò datis contrariis eorum flagranti ſtudio reſponſis, actum eſt: ut penes eosdem, confluentibus jam Generalis Motus Equeſtribus Copiis, Judicium & æſtimatio, & ira, & Sacietas eſſet. Seu præſumpta ſpes Reconciliationis in Magnorum Virorum animis, penes quos ſumma rerum utriusque partis eſſe videbatur, fervori multum detraxerit: hinc lenta ab Illuſtriſſimo Regni Pro-Cancellario à Trono Principis & quaſi pertæſa ſtudiorum data eſt Declaratio. Spectata Notabili Senatus infrequentia nihil poſſe de Juramento & petitis Tribunitiæ Poteſtatis ſtatui reſpondit. Reverſus ad ſedem ſuam & accepta Voce de inſtantibus ab Oriente peir-

periculis monuit: utque Literæ juſſu Principis à Wiſocio ad Turcam Ablegato legerentur, poſtulavit. Quibus manifeſtæ præcautiones bellici Turcarum apparatus continebantur vix Literæ lectæ erant; cum adveniente Illuſtriſſimo Epiſcopo Cracovienſi & Digniſſimo Præſule Cujavienſi, aucta Senatus Majeſtas eſt. Ille nondiu moratus ſilentium, impetratâ à Mareſchalco Curiæ Voce: ab Apologia Illuſtriſſimi Primatis orſus eſt. Dein flexo ad Equeſtrem Ordinem molli ſed juncto gravitati ſermone obteſtabatur rogabatque ut in convenientiori honore majorique æſtimatione ſpiritualis Ordo & dignitas haberetur. *Suſpiciones nimirùm & rumorum inania, Infulatorum Patrum tot ſacris in Remp: meritis, non ſine atroci injuria & manifeſto dedecore nocumento eſſe debere: Ut vetuſtiora intacta relinquam Antiquitatis exempla, novum decus ſilere puderet: pietatem ſcilicet & hæroicum pro Patria animum Magni Præſulis Illuſtriſſimi Epiſcopi Cracovienſis; qui nondum ſepultis magno temporum intervallo à noſtra memoria civilibus Bellis obviam iturus, cùm Senatus Conſilium à Caſimiro Rege coactum eſſet: an latum in Lubomirſcium Mareſchalcum Regni Decretum, executioni mandari expediret? ſede ſuâ conſurgens ad Principis Tronum, quaſi Jovem oraturus, compoſitis manibus proceſſit, parumque abfuit, quin ſupplex rogaret; immemor dignitatis ſuæ, quam pro ſalute Reip: devoverat: ut Princeps rigorem ſuum mitigare dignaretur. Cùm ſe indè manifeſtò cernere atrocem turbandi Reip: ſtatus confuſionem, & inæſtimabilem civilis ſanguinis jacturam in perniciem Regni erupturam fateretur. His ab ævo mediatoribus feliciter uſam eſſe in arduis Remp:. Tandem magnificis Verbis commendata Principis clementia; quâ ſola Principes Divinæ Majeſtatis*

attri-

attributa æmularentur. Violentis porrò Consiliis Civium sanguinem spirantibus, cur Principis benignitas onerareturr? quando nullam ex Bello salutem esse; & potissimum quod in subditos geritur. Inclinatos proindè ad Pacem & publicam Regni tranquillitatem animos, quisquis ille impio molimine distrahere intenderet: illum crudelem sanguisugam cruoris Patriæ esse; illum sævas Reip: clades & extremum excidium meditari. Secutæ posthæc multorum non alienæ à temperamento sententiæ: nisi quod nonnullorum aucta odiis vecordiâ & nimio adulandi studio turbabantur. Demùm Marcschalco Equestri revocante petitam à Principe Deputationem ex Senatu ad Regni Exercitus; data est ore Illustrissimi ProCancellarii Declaratio: siquidem militares Deputati jam advenissent, brevem moram negotiis esse indulgendam, donec proximâ luce in facie Reip: sua expedirent desideria. Simulque postquam accepisset à Mareschalco Equestri Deputatos jam esse ex Collegio Nuntiorum ad causas Perduellionis: judicia in sequentem diem destinavit, dicto sessioni fine.

Aderat tranasctæ proxima dies, cum in Conclavi Nuntiorum prout cuique ars & ingenium & placendi per diversa studium Variæ in ostentationem erumpebant sententiæ. Querebantur alii Tribunalitia Regni Judicia illusisse Majestati Reip:, judicando Causas post emanatas innotescentias Evocationis Equestris Ordinis ad Generalem bellicam Expeditionem, omnino postulantes; ut ejusmodi Decreta Literis Universalibus præventa, irrita esse per Constitutionem declararentur. Nonnulli majori cum jactantia pluresve, quia commoda & in speciem justa adu-

adulandi occasio, pertinaciter urgebant: Eliminationem Literarum Illustrissimi Archi-Episcopi ex Actis Siradiensis Castri, nonmodo vigore Mandati à sacra Regia Majestate dandi, sed publicæ Legis authoritate. Jam verò magno impetu ab universis postulabatur; ut Confœderatio Ordinum Regni Generalis, cujus Unio & Stabilimentum fidei atque Conscientiarum obligatio esset, non modo Senatus, sed & Universæ Nobilitatis Jurejurando firmaretur. Operosiore omnium & magis anxia contentione, præcipuè Vexilliferi Sendomirienses fervore & flagranti elocuentiâ Judiciorum Perduellionis inania Arcana & in summam nihil profutura, asserebantur. Bis duodenos Judices ad causas Perduellionis Mareschalcus Equestris ex Collegio Nuntiorum deputaverat. Id Grachorum Genti cæterisque Tribunitiâ potestate alios prægravantibus pulcherrimum visum, nonnulli Legi publicæ 1588*ui* standum esse censebant, quæ solùm bis quaternos ex Atrio Libertatis Deputatos indigitaret. Quare ipsi Deputati ob Legis reverentiam pudoremque ire ad Judicia tergi versabantur, ne fortè Senatus, præscriptum Lege numerum excedere Lægibus tueretur: & hinc non incerta confusio oriretur. Sed Vexillifer Sendomirienses exempla Majorum afferens, consvetudine Leges impugnabat. *Hanc praxim ac saluberrimum modum pridem Equestri Ordini placuisse etiam cum minoris momenti causas & velut privatim læsæ Reipublicæ judicandas haberet: Obuchovicii nimirum Palatini Smolensiensis & Korfii, ratione proditi Moscò Smolenscii, Boratinii ob cupreæ Cussionem monetæ, quod privatâ quasi lucri cupidine, enorme publicarum opum caussasset dispendium. Nunc postquam non de Unius Urbis jactura,*

ſed de ſecuritate totius Reipublicæ agatur, non deniqúe exigua opum publicarum pars, ſed univerſæ Patriæ fortuna & ſalus periclitetur, bis duodenorum Deputatorum ſperni ac rejici debere ordinem? quisque apud ſe in ſecreto receſſu conſcientiæ examinet? an obnitendo tam pio voto Equeſtris Ordinis dignitati, debitæ Patriæ charitati, Collegii noſtri authoritati non velit eſſe derogatum? & cum pro more ad cauſas Perduellionis comitaturum Deputatos Univerſum Collegium Nuntiorum ſpopondiſſet, velut numeroſos Ordines ſecuritatis cauſa in aciem deducturus, ita in conſilio multitudine, non Legibus agi poſſe, tandem ut irent ad Senatum, impulit. Ibi Mariſchalcus facta Interceſſione, ut cauſæ Perduellionis in Judicium Reipub: vocarentur, Deputatos ex Equeſtri Ordine recitavit, quorum de more Cathalogum Mariſchalco Curiæ in abſentia Mariſchalci Regni tradidit. Itaque Princeps invitato ad ſe univerſo Senatu petitoque conſilio & accepto, per Illuſtriſſimum Regni Procancellarium declaravit: *Cum ſuper propriam conſcientiam etiam Legibus ac Pactis Conventis ad manutenendum Jus publicum obligaretur, non poſſe expreſſam Octuageſimæ Octavæ Legis mentem violare, imò requirere & poſtulare ab Equeſtri Ordine, ut Octo tantum Judices legerentur.* Non quod revera, talis numerus Deputatorum placeret, ſed ut ad illum acceptandum, magno motu populi & vi Equeſtris Collegii condeſcendiſſe videretur, & vindictæ cupiditas, renitente ad duriora Principe, oportunius in Equeſtrem Ordinem conjici poſſet: qui ut mediocritate Fortunæ non ita Invidiæ obnoxius, ita ipsâ tutus multitudine atque excuſatus. Eâdem die Illuſtriſſimus Primas relicta reditus famâ Varſaviâ Lovicium abivit,

vit, ſive ut munimenta urbis coram perficerentur, ſeu ſpe gratiæ fruſtratus, confici tædioſâ morâ & velut ſub ictibus inimicorum vivere, grave ſibi & minimè tolerandum eſſe arbitrabatur.

Pridie Calendas Octobris Mariſchalcus Equeſtris binos ex Gentibus ad Rationes expenſarum Artilleriæ aſſignavit. Cui Deputationi ab Illuſtrimo Regni Enſifero adjecta fuit præcautio; ne Illuſtres Deputati peracto Ratiocinio quietationem dare præſumerent, ſed eam obtinere Magiſter Artelleriæ per Conſtitutionem more Theſaurarii Regni teneretur. Communicata deindè notitia aduentus Deputatorum exercitus Regni, conſuluit Mariſchalcus Collegium Nuntiorum an ipſis danda eſſet audientia? & poſtquam conſenſum percepiſſet, obviam eis progreſſus ſolito loco cohoneſtavit, arrectis omnium auribus, unus illorum orationem prompſit, non vulgarem militari ingenio; comptam ſcilicet & ſenſibus validam: at ubi ad Inſtructionem ventum eſt, nec aculei pro telis deerant. *Petebant imprimis magnificatis in immenſum Ducis ſui meritis, vulgati ipſius per Articulos Palatinatuum & publicæ inſtrumenta quærimoniæ, honoris reſtitutionem. In militaribus menſibus lege circumſcriptam Principis Diſtributivam Juſtitiam ſervari contendebant. Amneſtiam præteritorum recommendabant, ac ne Judicia Perduellionis commotum Reipub: ſtatum magis exaſperarent, urgebant ſuadebantq;. Dimiſſionem non modo totius exercitus, ſed ne diviſim quidem per Partes, prout in Ala Subdapiferi Sendomirienſis tentatum eſſet, minimè paſſuros; donec Juſtis Univerſi exercitus deſideriis & integritati prius intaminati ſemper Ducis ſui honori à Republ: conſultum fuiſſet. Deniq; E-*

queſtrem

queſtrem Ordinem ad favorem Zamoiſcianæ cauſæ invitabant, & ut Princeps Aſſecurationi per Illuſtriſſimum Epiſcopum Cujavienſem & Regni Procancellarium datæ, cum Electionis Actum contradictione morarentur, annuere dignaretur ambitioſis precibus poſtulabant. Expeditâ Legatione, quod ſupererat temporis, de numero Deputatorum ad Cauſas Perduellionis, digladiantibus invicem rationibus in prædam ceſſit. Eadem die cum Cancellarius Reginalis Majeſtatis annulum nomine Sponſæ Pronubo offerret, in oratione ſubitò obmuteſcens, ſilentii Deos veneratus eſt: non ſine adſtantium pudore; quod Dialis in Veneris ſacrario malè ageret Amoris miſteria.

Primo Calendas Octobris cum difficultatem Deputati ad Theſaurum Regni miſſi pro adferenda Corona objectis à Theſaurario Regni quæſtionibus, incuſarent: quòd una tantum Corona extradi conceſſa eſſet, ipſi duas requirerent, deniqúe quod nullus Senatorum compareret, in cujus præſentia reſerari Theſaurus & extradi Regni diademata poſſent; miſit Collegium Nunciorum Deputatos ſuos ad Principem, qui rogarent, ut quam citius ſupplementum Diplomatis mitteretur, ac unus ex Illuſtriſſimis Senatoribus Cracoviam iret. Quibus inſimul injuncta erat interceſſio ad Principem, ut exulum Smolenſcenſium, Starodubenſium, Braclavienſium & Czernichovienſium deſideriis iterata Deputatione ex Senatorio ordine ac juſtis remediis ſuccurreretur. His velut præmiſſis, rurſus ad Judicia Perduellionis revoluti, magno impetu urgebant, ut viginti quatuor Deputatis judicandi cauſas malegeſtæ Reipublicæ facultas eſſet. Ejusmodi cona-

conatibus tanquam parum profuturis diu obnitens Uſtrzycyus Judex Sanocenſis, tandem in conditionatam conceſſit ſententiam: *Videre ſe equidem fruſtra hoc voto fatigari tempus, & in captivando omnium conſenſu hebetari rationes, ſterileſcere ingenia, cum nulla Lex bis duodeno Deputatorum numero ad cauſas Perduellionis ſuffragari velit, nec nobis tantum poteſtatis ſit, ut ſine ſupremo ac intermedio Ordine Legem ſancire poſſimus, & quamvis conſenſu trium Ordinum tanto numero Deputatorum è Collegio Noſtro in modernis Comitiis cauſæ Perduellionis judicarentur, tamen effugere non poſſemus juſtas inculpatorum quærelas? quod Equeſtris Ordo ad ſervandas delicatè Leges Juriſjurandi nexu obligatus, non ſcriptæ Legis authoritate, ſed propriâ libidine, in tantum è medio ſui Judicum numerum in prævarications Legum ad eorum oppreſſionem conſenſerit. Iis licet rationibus & juramenti vinculo ad tuendas Leges, ſacra ſcilicet conſcientiæ meæ dictâ Lege in propoſito meo obſirmatus ſim, tamen ne univerſali omnium conſenſui deeſſe videar, ita huic ſubſcribo Voto, ut ſi Magnifici Deputati è Collegio Noſtro ad Principem mittendi facultate inſtructi in eo negotio cum Senatu colloquendi, non aliam nobis declarationem attulerint: quam Legibus ſtandum eſſe: nullâ ratione ſe amplius inducendum, ut in hac materia publica conſilia tanto temporis diſpendio afficiantur.* Deputati igitur è Conclavi Nuntiorum ad Principem, poſt tædioſam moram redierant. Quorum Anteſignamus Vexillifer Sendomirienſis cum cætera ſibi Commiſſa breviter expediviſſet, Pathetico ſermone mixtis gravibus quærelis, Declarationem factæ ad Senatum Inſtantiæ fecit, ut Equeſtris Ordo circa Poſtulationem Deputatorum ope Illuſtriſſimi Senatus conſervaretur: at quam contrariis & acribus eorum ſen-

tentiis oppugnati essent, cum dolore & indignatione referebat: tandem Principem convocato ad latus suum frequentissimo Senatu declarasse: Perspecta notabili sententiarum Senatus varietate, non posse se commodiorem Equestri Ordini largiri Declarationem, quam concedendo illis liberam cum Senatu Colloquii facultatem. Hac occasione elusæ toties à Senatu Collegii Nuntiorum instantiæ, plures ad sententias invitati: Capitareus Livensis acceptâ à Marischalco voce differuit: *Si testificando dolori meo daretur modus, ingens profectò Reipub: pateret, ob dimiuutionem dignitatis Equestris Collegii, quæ ob spretas magnæ olim authoritatis enstantias, indies violentius gravaretur: nec mirum: tam crebras enim Colloquii cum Senatu usurpationes, non modo extra indulgentiam Legum esse, sed etiam extra necessitatis rationes, quibus rectè solerti Mojorum Nostrorum prudentiâ olim provisum; ne Secretæ Artes, ne ultima remedia Equestris Ordinis vulgarentur, ut si quando gravior dissonantia inter Principem & Equestrem Ordinem, aut Senatum & Ordinem Equestrem, ob malè tractatas Leges, læsas aut inversas consvetudines orta fuisset, hoc solo extremæ velut lenitatis medio, Colloquii ope reconciliari posset ac reparari.* Nonnulli tanquam minimè necessariam ejus Colloquii rationem improbabant, & maximè Opacius Dapifer Varsavienſis asserens: verendum esse, ne sensim Collegii Nuntiorum & dignitas & Libertas per ejusmodi vulgarem quotidiani usum Colloquii ad Senatum transferatur. Vicit nihilominus voto suo Vexillifer Sendomiriensis, adjecta tot insumptorum irrito conatu huic negotio dierum strage. Decretumque ore Marischalci, sequenti

quenti die cum Senatu Colloquium, & positus ejus diei Sessioni modus.

Primo Nonas Octobris Marischalcus Equestris Sole jam medium tenente diem cum in Propositione sua declarasset: minimè se sperare, ad Colloquium hodiernâ die cum Illustrissimo Senatu deveniri posse; ob distractum & illigatum duplici Provinciæ Senatum: Conferentiæ nimirum cum militaribus exercitus Regni Deputatis, & conscribendæ Instructionis Ordini tandem petiis ab Universis; Ut Conceptus Legum ferendarum in medium proferre posset, sed erumpentibus Vocibus ac multorum divis obtestationibus cohibitus est; Protestantium: nullam materiam tractari se esse passuros, id vel maximè præcauentibus Lithvanis: donec illis consensu Senatus certus Deputatorum numerus liquido constaret & Judicia Perduellionis inhoarentur: tota fere ejus diei Sessio in longum extracta mutuo certamine evanuit. Accidit fortè eâ die, ut Succamerarius Calissiensis ex Deputatione Conferentiæ militaris rediens ac in tumultùm à famulitio & milite excitato incidens parum abesset, ut à Prætoriano milite violaretur. Irrumpens in Conclavè Nunciorum, magno quæstu, lacrymis prorumpentibus, & intollerabili dolore omnium impleverat aures: quare in instanti Marischalcus Equestris singulos ex Gentibus ad Principem Deputavit, qui publicæ injuriæ vindictam expostularent. Nec defuit Princeps publicæ instantiæ, statimque Officiales, quibus ea tempestate statio excubiarum contigerat, arestо publico notati sunt.

Secundo Nonas Octobris Marischalcus Equestris fretus

fretus declaratione Principis quaternos ex ſingulis Gentibus ad Judicia Perduellionis Deputatos invitaverat: Cum ſupplex Morſtinius veneratus de genu Tribunitiæ Poteſtatis faſtigium: impetrata à Mariſchalco voce (neque ſupplicibus eam ex Lege æqualitatis denegare mos eſt) doloris & ſubmiſſionis manifeſtus ſollicitis precibus petiit, ne frater ſuus Regni. Theſaurarius ſummario Proceſſu, ſcilicet in ſummo Jure ſummâ injuſtitiâ opprimeretur. Supplicem ejus Libellum ſecutæ plures ſententiæ, id ſummo conatu præcaventium, comminata quoque intercedendi libertate: niſi præſcripto Legibus Judiciorum ordine cum ipſo ageretur. Gliſcentibus ſtudiis & erumpentibus ad certamen turmatim vocibus; Mariſchalcus conſurgens invitato ad Judicia Univerſo Nunciorum Collegio importunitati opportunè ſuccurrit. Ubi ventum ad Principem circumfuſi magno numero frequentiſſimo Senatui Equeſtres Tribuni. Modicum ſilentium, ſed magnæ notorium expectationis rupit: petita voce Illuſtriſſimus Epiſcopus Cracovienſis: *Ac imprimis Velut in publicum Vocata teſtimonium conſcientia ſua, ſuſpitionem Partialitatis ex omnium animis exemiſſe videbatur, tandem in effæto quamvis corpore, coacto undique in ſubſidium fervoris ſpiritu, ſummo impetu auctionem Deputatorum ex Collegio Nunciorum ad Cauſas Perduellionis oppugnabat, recitata ex Volumine Legum Octuageſimi Octavi Conſtitutione, quæ ſolum bis quaternorum numerum præſcripſiſſet, adducto in ſubſidium Legis exemplo: quod Respublica judicaſſet quidem Anno* 1555to. *Palacinum Smolenſcenſem, aucto ad bisduodenos Deputatorum numero, ſed eâdem Lege proſpectum eſſe, pro una tantum Vice eam Ordini Equeſtri conceſſam eſſe Judicii formam, nec*

nec ſimulato dolore aut ambiguis Verbis, ſed palam indignabundus, quæſtus eſt; quod tam præcox Declaratio à Throno Principis obnitente Senatu ac ſeſe aliisq; contradicentibus priscum morem Senatus ſubverteret, & publicæ libertati palam adverſaretur: quem, ne quis imminutum iret, ſe conſtanti oppoſitione nunquàm permiſſurum. Perſtricto obliquè Illuſtriſſimo Procancellario, qui ejus conſilii author eſſe Principi videbatur. Cujus excelſus animus moræ impatiens donec cuncta proferret, petitâ Voce, poſtquàm finierat: Pauca præfatus in laudem Regis. *Debuiſſe inquit, repetitis Equeſtris Collegii inſtantiis annuere; & quod juſſiſſet Populus, bonum Principem facere.* Tum prompto ingenio rationes, ac exempla rebus ſuis accommodans, magni Principis Miniſtri officium ſuperavit. Hebeſcere itaque acumina rationum Epiſcopi Cracovienſis ad Lydium plusquam lapidem rarioris eruditionis Reverendiſſimi Procancellarii æſtimabantur, niſi ſolidioris Prudentiæ ſubſidio digniſſimi Præſulis rurſus acuerentur. Acriter ille in Populi impetum invectus, *Senatoriæ Dignitatis proprii muneris eſſe aſſeruit: Legum cuſtodiam. Quarum mutatio; ſi Uſui Reip: eſſet, repudiatæ Leges contrariis Legibus ſufferrentur, non vero novæ impetu & furore quodam ad pernitiem rogarentur: ita morem Gentium Nationumque voluiſſe, ut prius publico Leges Conſenſu ſcriberentur, & poſtquam ſcriptæ eſſent, inviolabiliter ſervarentur. Religioſe Majores Noſtros Leges ſervaviſſe: cùm enim judicandam proditi Moſcis Smolenſci cauſam ſuſcepiſſent, ne præcipitantiâ & temeritate Statum Reipublicæ affligerent, in alteris Comitiis reſolutâ priori Lege, Conſtitutionem Auctionis ex Ordine Equeſtri Judicum ſanciebant, in alteris demum Judicium*

exercuêre. Verùm nec illud de Woynicio Sacri Ordinis Viro allatum exemplum ſuffragari poſſe; ad majorem evincendum, quam Lege conceſſus ſit Deputatorum numerum, cùm id olim benè diſpoſitæ Reip: uniformitas obtinuiſſet, ad præſens verò obſtantibus multorum Senatorum contradictionibus, diſtracto Univerſali totius Reip: conſenſu; nullâ cuiquam ratione imponi poſſe: ut omninò ſentiat, quod nocivum eſſe Reip: haud falſo augurio prævideat. Caſtellanus Cracovienſis ut conſilii ſui rationem aliorumque Senatorum Sententias tueretur, naturalem genii ſui ſecutus ductum, Sacro quodam & malè compoſito defendit impetu, quæ ratione & authoritate Legum tuenda erant. Illum excepit M. Ducatus Lithvaniæ Cancellarius, multis concinnâ Oratione in favorem præmiſſis, datæ à Throno Principis Equeſtri Ordini Declarationis promulgato ſuo & Univerſi Senatus conſenſu ſuper numerum Deputatorum ad cauſas Perduellionis ex Nuntiorum Collegio aſſignandorum. Adjecit: *duo denarium numerum, quem Equeſtris Ordo requireret; non modo Legibus minimè adverſari, verùm etiam uſitatum morem & exempla in ſui ſubſidium trahere, quò minùs novitatis argumento, malignitas ad invidiam uti poſſit. Ad cauſam ex Remiſſis violatæ erga Patriam fidei Woynicii quamvis initiatæ Saeris perſonæ, admiſſos fuiſſe Anno* 1661mo *Deputatos Magni Ducatus Lithvaniæ: neque modo ullam iuſtæ æſtimationis ſubeſſe cauſam, cur debito reſpectu & pari ſemper ad quascunque functiones cum Regnicolis communione, Gens Noſtra arceri deberet? non ſine manifeſta æqualitatis jactura gravique Unionis ſed & animorum læſione.* Suſpenſi reliqui Senatus animi, & intenti vultus cernebantur, quid tantum in Rep: certamen

tamen portenderet? aut quis exitus florentis ſed corruptæ Libertatis eſſet? quæ cum translata è Veteri Sede: Populi ſcilicet pectore, in aſſentationem deflexiſſet, ubi infauſtam Aram proxima ſervitus ſtruxit Dominationi, ore Procerum & robuſto Senatoriæ magnanimitatis temperamento mediocritati reſtituebatur. Nec vulgarem hæc Scena parabat eventum, niſi de conſtantia ab Illuſtriſſimo Epiſcopo Cujavienſi remiſſum fuiſſet: ſive egregius civis cùm temperamenti non egeret, modeſtiâ cunctas Virtutes, Imperatorio ſcilicet decore illuſtrabat. Is acceptâ Voce, *cedere ſe equidem publico conſenſui* dixit: *Ut duodecem Deputati ex Equeſtri ordine ad Cauſas Perduellionis admitterentur. Salvo nihilominus libero arbitrio Illuſtriſſimi Ducis ſeverienſis Epiſcopi Cracovienſis, cujus ſentimento, præjudicare nec vellet nec poſſet.* At ille ſilentio uſus, nec diſſentire ſatis nec aſſentiri viſus eſt. Tum Deputati Tribunitii Collegii in medium progreſſi Pro Cancellario Regni Rotam Juramenti exhibente, Jusjurandum præſtiterunt. Illatæ faces: nam ſol diem deferens lucem ſubtraxerat. Tum per Referendarium Regni Spiritualem juſſus eſt miniſterialis in Judicium vocare Reip: Chriſtophorum Grzymaltovium, & poſtquam nemo ejus nomine comparuiſſet: Inſtigator Regni Decretum ſuper eo dixit in Contumaciam, Miniſterialis promulgavit. Poſtremò Theſaurarius Regni in Jus vocabatur. Sed Inſtigator Regni Venerato Principe, *nullo ſe equidem favori obnoxium eſſe, dixit: ſed pro conſcientia Illuſtriſſimi Theſaurarii honorem ſimili condemnatione gravare non poſſe: cùm Lex expreſsè doceat, Literas Citationis*

in causa Perduellionis sex septimanis ante Comitia Regni extradi debêre: quod hic omissum esset. Sed & pietas Morztynii fratris Thesaurarii multorum animos ad misericordiam flexerat: dum Legum auxilia in subsidium vocat, ac miserabilibus verbis Principem, Senatum, Rempub: denique compellat; miscebat precibus & rationis pondus, quando peremptorio termino Thesaurario diem dici nec potuisse nec honestum Reip: esse: inter preces & lacrymas contendebat. Quare Princeps Vocatis ad se Sigilli custodibus atque dimissis: Senatui ac Judicibus Equestris Ordinis dicendarum Sententiarum spatium dedit: cùmque pluralitas Votorum libertatem à termino decrevisset; Princeps eandem per suum Mareschalcum promulgare jussit. Positusque magnæ Sessioni, summâ contentione exacto medio Comitiorum tempore inter acerrima certamina, & metum transferendorum ad Campum Comitiorum humilior multorum votis, omnium & Civium & externorum angustior expectatione limes.

Pridie Nonas Octob: Vexillifer Sendomirienſis acceptâ à Mareschalco dicendi facultate, requisivit: *Ut non alii conceptus Constitutionum in vim præparamenti legerentur, quam quæ proximis post Coronationem Comitiis in Legum Volumen in ferri consueverunt: qualis esset Denuntiatio Coronati Regis, Literæ præstiti à Principe Juramenti, Approbatio Generalium Regni Judiciorum Capturalium & Laudorum per Districtus Terrasuè sancitorum: denique Diploma Confirmationis Furium. Illud ad extremum adjecit: cùm suam fidem Articulus Instructionis in proferendo obligaret: detrahere de fide & conscientia non posse; quin publico nomine à Principe peteret, quò pro-*

promissis suis Regiâ fide datis, dimisso scilicet peregrino habitu, sueto patriis moribus gratoque cultu conceptis de se Populi votis satisfacere dignaretur. Votis & affectu certabatur cùm invitati à Mareschalco Deputati ad Causas Perduellionis, Universis eundi ad Senatum necessitatem fecêre. Ibi imprimis Decretum Libertatis à Termino Thesaurarii Regni per Mareschalcum Curiæ publicatum est, at acclamatâ Causa Castellani Posnanienſis, unus clientum ejus petiit Patroni additionem, & ex Privilegio miserabilium personarum de more additus est. Ita eâ die dirempta Judicia Perduellionis, & Mareschalcus cum Tribunitio Collegio secessit ad Atrium Libertatis, simul præscriptum Legum sequendo terminos ex Minori Majorique Polonia ad Remissas Deputatos, duos ex M. Ducatu Lithuaniæ assignavit: reliquum tempus Sessionis inter incerta discursuum evanuit.

Ipsis Nonis Octob: factâ Mareschalcus Propositione; Instructionem ad Exercitum Regni Deputatis conferendam semotis arbitris recitavit: quæ modestos sensus ac Verba cùm præseferret, de Dignitate Reip: nihil remitteret, præter singularem omnium assensum, etiam applausum meruit. Ingens exindè de sufferenda militarium Hybernorum licentia exorta cura, multis rationibus mediisque & vehementi contentione agitabatur: nec una dies tantam negotii molem & impetum sustinuisset, nisi in duodenarium Deputatorum numerum ex Minori Majorique Polonia consensissent: qui in vim præparamenti adhibitis ab Exercitu Regni Militaribus Ablegatis, summam rei & ipsum difficultatis nu-

cleum, tantò facilius; quia ardui operis nodo conſtaret ſcirpus, ſoluendum Reip: arbitrio relinquerent. Ea rapacis licentiæ crudelitas non ita pridem Remp: inundavit, ſed inveterata Reip: mala, nocendi malignitate, & in malitia Velocitate exitii ſuperavit. Niſi quòd cum corruptiſſimis Reip: moribus ſociata, ex ipſis originem traxiſſe videtur, quo cunctis remediis grandior eſſet. Nam prout cætera in Rep: Vitia ex vilipendio Legum, aut per interprætationes trahendi ad illicita Uſu; dum privatæ Utilitati poſito Boni publici ſenſu vel corrupto in occultam ambitionem aſſentationis ingenio parentatur: ita ob nimias Strategorum Reip: ſpes reſoluta per conniventiam malasque artes militari diſciplina; peſſimorum ingenio, prono omnium ad deteriora aſſenſu provenêre Hyberna: quæ Ducum gratificationi per ſummum Reip: dedecus, militi in prædam & licentiam, ex ultimo Patriæ diſpendio ſufficerent. Hinc Centurionibus, Tribunis & profligatiſſimo cuique Præfectorum, ars & ratio; raptis militum ſtipendiis, & in muliebrem cultum fædumque converſis luxum, conceſſa Vulgo licentia per publica ſpolia pauperumque ſanguinem ſuccurrendi. Supremum hoc propè urget fata Reip: malum, magna Græcorum Romanorumque Imperia celebrem ſpirantia è notis ruderibus ruinam, monent noſtram Rempublicam ſenſus & prudentiæ. Sed interim Polona Reſp: cum feroci Caſtrenſi licentia, non pro futuris certat diſcurſibus, & quod ſtrictus tuetur enſis, acumine linguæ ſtudet corrigere. Ita Comitia objecto ab Exercitu Tractatu, & mox ex difficultate negotii temporis tractu: tandem & Reip: Majeſtas eluduntur. Poſtremo Sacer & Equeſter Ordo, Regalium bonorum Securitatem ingenti redimere à ſuis militibus coguntur cenſu; & quod flagitioſius eſt: inermis accipere, dum armata Leges dare poteſt Reſp:. An non in, de bellorum motuumve Civilium ſeges: nam miles ubi timere deſinit: terrere aſſueſcit. Diſciplinam reverentiâ tuentur Reſpublicæ quam metus parat. Ubi enim manu agitur: modeſtia bonæque artes & ipſe æqui juſtitiæque titulus in Fortunam Superioris tranſeunt. Ac proindè bellandum adverſus contumaces: vel ſi parcendum ſanguini: dimiſſo veterano, recens delectu parandus exercitus ac firmandus uſui Reip: ſimul & priſcæ modeſtiæ.

Primo Idus Octobris ante Propoſitionem Mareſchalci, impetratâ Voce Dapifer Smolenſcenſis magno fervore petiit à Collegio Nuntiorum, ne in communi Libertatis cauſa Indigenis Diſtrictus Piltenſis deeſſe dignarentur, utque illos ab impetu & iniquâ Ducis Curlandiæ prætenſione tuerentur: quod facile eventurum eſſe, ſi circa Conſtitutionem Regni *16ti* fuerint conſervati. Cùm verò alii Commiſſionem Lege publicâ præſcriptam neceſſariam eſſe in Diſtrictu Piltenſi cenſerent: ut Reſp: in futuris Comitiis ſufficienti informatione inſtrui poſſet; ſinceriores & publico Bono conformiores ſententiæ fuêre; ut tam Duci Curlandiæ, quàm Nobilitati Diſtrictus Piltenſis Lege publicâ Terminus in proximo Regni Conventu aſſignaretur, producendorum utrinque documentorum; cùm nonmodo ulla

ulla neceſſitas, ſed nec honeſtus prætextus inveniri poſſit expediendæ in loco Commiſſionis, quando non de limitibus Ditionum Regni, ſed de Juribus Provinciæ ageretur. Hanc porro Materiam ignavo tranſire ſilentio, quæ tum in levi habita eſt; Verſis omnium ad interna diſſidia animis, præcipuè verò Nobilitatis, in qua plus fiduciæ & ferociæ erat, ob præſentem armorum terrorem, conſcientioſum: quia in bonum publicum damnoſum. Non enim à Duce Curlandiæ de media Jurisdictione, quæ ſine diminutione Jurium Majeſtatis Fiduciariis conceſſa Principibus, agebatur; ſed de ſumma, ſublatis nimirum Appellationibus, mala cupidine Dominationis corruptâ Religione & obſequio Feudi, ſupremum Jus Directi Principis invadere. Sed de hoc uberius, ubi de Rationibus Sarmatici Imperii ſcribens, ſtudium meum curamque Optimo Principi feliciter Regnanti dedicavi. Maturiore deliberatione res egere videbatur: cum fataliter erumpentibus operoſi certaminis indiciis, Mareſchalci Propoſitio interrupta eſt. Omnium prævalente conſenſu; ut conceptus Conſtitutionum legerentur: ſcilicet Literæ Denunciationis Coronati Regis, Literæ Juramenti & Confirmationis Jurium, ſtatimque exiguâ interpellatione publici conſenſus approbatæ ſunt. Interim Tribunitius Ordo à Principe ad Judicia Perduellionis nuntio evocatus, Senatui denſo agmine circumfuſus eſt. Tum Inſtigator Regni patheticè in Caſtellanum Poſnanienſem invectus, enormi ſcelere reum urgebat; (crimina enim læſæ Majeſtatis & Perduellionis, tanquam majora omiſerat; quæ cum parri-

parricidio comparentur, Exempta vocari aſſerens) *quod Senator Jusjurandum Senatorii Ordinis atroci perjurio violaſſet. quando peregrini æſtus impium precium Sexaginta Millia ad ſubvertendum civilibus diſcordiis Chriſtianum Imperium venali in omne nefas conſcientiâ à Lione Legato Regis Galliarum recepiſſet. objiciente ei tantum ſcelus in Generali Conventu Majoris Poloniæ Equeſtri Viro Kaczkowſcio; interceptis Literis à Palatino Breſtenſi Cuiavienſi ad eum miſſis, id ipſum quod obiecerat, probando. quod familiariter in mutua confidentia Kaczkowſcio dicta, quæ ab Illuſtri Notario Theſauri Regii Madalinſcio ſibi communicata eſſent: nunquam in opinionem admiſiſſe, ut in publico vulgarentur, tantæque ſibi confuſionis ac diſcriminis cauſam allatura eſſent. Hinc ſumpto impetu Inſtigator Regni, miram ipſius animi inconſtantiam exagitabat; quamque ſubdolo ingenio erga Patriam ſæpiùs charitatem ſimulando; continuâ Virtutis oſtentatione & populari amore, ad privata commoda ac pernitiem Reip: uſus fuiſſet, demonſtrabat. Ita ſub Caſimiro Rege, cum metus periculum ſubruendæ liberæ Electionis Univerſi Equeſtris Ordinis graviter animos commoviſſet: atque in Conventu Generali ſredenſi Majoris Poloniæ Senatores poſt expedita Vota de more ad propria à Nobilitate deducerentur hoſpitia: Caſtellanus Poſnanienſis velut publicus aſſertor Libertatis in pomerio Templi, in media Nobilitatis Corona honorificentiſſimo loco donabatur: ut ab Univerſis videri, & quæ pro Concione dixiſſet, velut ſacra Jovis Servatoris Reſponſa percipi poſſent. cumque à quodam ex illo Nobili cætu interpellatus publicè fuiſſet: an eandem excelſi animi conſtantiam erga Equeſtrem Ordinem & Remp: perpetuò ſervaturus eſſet? reſpondiſſe innexis obligationi conſcientiæ Verbis, adjecta inſuper gravi maledictione (quaſi ab effato Divino*

communicata malorum ſuorum ſcientia. an ſit nocentium pectori vi fatorum impreſſus quidam futuri terror, qui certo quodam ſeſe futurorum prodat indicio) ſi quando devotum ſemel animum libertati labefactare contigerit, vitam ſuam in pretium læſæ fidei omnium telis obruendam, non modo libenter offerre, verum etiam eam ultionem quodam modo à DEO hominibusque expetere. Sed ſtruentibus jam Cauſas Fatis, modico interjecto tempore, ad id flagitiorum ſupplicium devenit: quod ſollicitis Votis optaverat, impietate meruit. Fortè Kaczkowſcius objecerat ei in Conventu ſredenſi ſub tempus Interregni, externi avaritia lucri corruptæ fidei crimen: utque magis indicio percelleret, Literas à Palatino Breſtenſi ad Waywodam Poſnanienſem ſcriptas in ſubſidium veritatis producens; tantum Populi motum adverſus eum ſubitò concitaverat, ut in inſtanti è medio Nobilitatis conſeſſu ſtatimque & Conventu cum ſumma ignominia pulſus fuerit. quam vindicaturus: ad Caſtrum quidem Radziejovienſe feſtinus perrexerat, & contra præfatum Nobilem & nonnullos, quaſi contra Pacis violatores ac publici motus concitores; Proteſtationem fecerat. Verùm cùm illi in objectione infractos ſe confiterentur & deductione probaturos, quæ vulgaverant, conſtanter aſſererent: Caſtellanus Poſnanienſis tam periculoſam honori ſuo cauſam non modo proſecutus non eſt; ſed etiam cum adversâ parte factâ reconciliatione, compoſuit. Hoc facinore arrepto Inſtigator Regni objecta crimina velut approbata convincebat. nam cum gravia contenta objectorum Grzymaltovius in ſua manifeſtatione publicaſſet, injuriam verò proſequi flagitioſâ induſtriâ neglexiſſet, objecta ſibi eo ipſo pro approbatis agnoviſſe. demùm quod majus ad convincendum ſcelus in Jure documentum haberi poſſit? quam propriæ oris Confeſſio. Literas tandem à Theſaurario Regni ad eum

Anonimo

Anonimo characterе ſcriptas, eamque ob cauſam in Conventu præſentia Comitia proximè præcedenti gravem ejus convulnerationem. juſta nimirùm cæleſtis iræ vindictâ noxium Reip: caput monſtratum. Inerant & alia hujuſcemodi, rationis egentia, vana: ſi mollius acciperes miſeranda; ſi prudentiùs, omittenda. At Patronus cùm ſe ægrum metu fateretur & ob terrorem trepidare dixiſſet: non quod cauſæ diffideret, ſed quia ingentem Delatorum numerum, appropinquantibus tum maximè evocatæ Nobilitatis Equeſtribus copiis, ac univerſam Majoris Poloniæ Caliſſienſis & Poſnanienſis Palatinatus Nobilitatem cometueret: Libertatem à termino; vel ſi non concederetur, deliberationem ad tres dies ſimulque munimentorum communicationem ſollicitis à Principe precibus petebat. Sed datis à Deputatis Judicibus & Univerſo Senatu ſententiis, Libertas à termino concedi non potuit (cùm ſuper extradendis Literis Citationis quas ex Senatus conſilio dari Lex velit, non modo præſentes Senatores, Culmenſis ſcilicet & Podlachienſis Palatini conſulti fuerint, ſed etiam abſentium per Literas conſenſum Princeps requiſiverit, adeoque Mandatum tempeſtivè fuiſſet extraditum, & quamvis ſubſcriptum Mareſchalci manu non eſſet, cum ipſius nihilominus notitia & aſſenſu, prout Legis mens diſpoſuiſſet, extraditum eſſet) Deliberatio nihilominus ad triduum, Lege publicâ ſuffragante, ſuper tam arduo negotio Patrono conceſſa eſt.

Secundo Idus Octob: lectus à Mareſchalco Equeſtri conceptus Approbationis omnium Actorum Interregni & potiſſimum Judiciorum Capturalium ſummo animorum motu & certantium rationum pertinaciâ agitatus. contentiosè requirentibus nonnullis, parum attento quòd Judicia eſſent ultimæ Inſtantiæ; ut non modo eorum judicata, verùm etiam ipſi Judices ob malè latam ſententiam in Judicium Tribunalitium Regni vocarentur: aliis anxiè ferentibus ad eam revolui indignitatem. ſatis eſſe contendebant: ſi judicata eorum Caſſationi ſubeſſent, ſervatâ perſonarum immunitate; cui Statutis Herburti ſatis proviſum eſſet. inſuper Lex 1633*tii* cum tam Judicum dignitati, quàm læſæ parti iniquo eorum judicato aggravatæ ſufficienter proſpexiſſet, veteri Legis authoritati parendum eſſe contendebant. ducebantur ratione & reſpectu Reip.: ne ad illam infelicem deveniret notam, quæ olim Romani Statum Imperii afflixerat: quando in illa ſelectiſſimâ quamvis Rep:, prout vitiis, ita Legibus ad exitium laborabatur. licetq; ad adoleſcentem veſperum ſeſſio extracta fuiſſet, nil tamen certi concludi potuit: præter quòd plurimi antiquæ Legis dignitati, ut nihil addendum, ita nec derogandum eſſe cenſerent.

Tertio Idus Octob: prælecta Mareſchalcus Generali Confœderatione omnium Regni ordinum: cùm ad Juramentum ventum eſſet, quo univerſa Nobilitas ad illud explendum obligabatur: Electionem Regis quæ in Majeſtate ejus libertatem ſuam firmaret; non ope ſuâ quemquam non Conſilio violaturum; imò Liber-

Libertatem Electionis & dignitatem Principis quidquid virium eſſet fortunarumque, ad extremum ipſo vitæ diſpendio propugnaturum. id Nuntius Terræ Varſavienſis multorumque Diſtrictuum Terrarumque Tribuni interceperunt; magnâ animi contentione aſſerentes: id oneris inconſultis fratribus in ipſos ſine ipſis imponi non poſſe. potius conſulturum quemque armatos fratres ſuos Literarum miniſterio, an Jusjurandum placeret? ſi non renuerint, libenter ſe ad communem Conſenſum promptum Reip: addituros ſuffragium. Eâ tum Methodo honeſtiſſima quæque pro Rep: conſilia eludebantur. In procinctu erat Judicii cauſa Caſtellani Poſnanienſis ex additione Patroni, Tribunitium tantum Collegium expectabatur, quod poſtquam ſenatum auxit. Gilbaſzevius inculpati Patronus nil intacti ſinens; quod non ſeriò diſcuſſum, operoſius refutaret: acerrimè objecta urgendo, Delatorem juxta ac Delationem ſubvertebat. non obſcuris multorum Equitum Senatorumque vultibus ac Vocibus, quàm levibus documentis, fatigaretur Senatoria dignitas, periclitaretur vita & carior ſanguine honor. Arguebat enim prudenter Patronus, præcipuas explodendo objectiones. *Recepiſſe Caſtellanum Poſnanienſem pecunias à Lione Miniſtro Status Gallici. quo teſte vel auctore? nempè famâ publicâ! at quem ex fama publica damnari aut convinci poſſe quærendo rogabat? ſed aſſeveraſſe Madalinſcium Supremum Notarium Theſauri Regii id ſe à multis audiviſſe: verum eundem ſcripto dicta refutaſſe, nec id pro re certa de Caſtellano affirmaſſe, ſed velut vulgaria, nil ſilentio prætermittentis vulgi ore jactata in commune protuliſſe. lectæque*

ſunt publice à Madalinſcio ad Caſtellanum Poſnanienſem Reſponſoriæ: quibus nil ſeſe in perſonam ejus injurii commiſiſſe excuſabat. Undè non poſſe familiariter alteri dicta, in diminutionem ejus & periculum trahi. Cæptam Proteſtatione Cauſam in Judiciis Regni Capturalibus contra Kaczkowſcium, Zbijewſcium, Cikowſcium non proſecutum eſſe? verùm id non culpâ aut ignaviâ Principalis ſui ſtetiſſe, ſed præcipuorum Regni Procerum ad Clavum Reip: ſedentium inſtantiâ & ſedulâ operâ factum eſſe. cum eâ actione multi illuſtres Viri & magna nomina involuerentur. Datur inſuper vitio Caſtellanum Poſnanienſem præterlapſo anno & ſex Septimanarum ſpatio ad Proteſtationem agere præſcripſiſſe. næ ille nimis in Leges Patrias injurius fuerit? cùm id tantum tempore Pacis & concordiæ non guerræ intelligatur. computato verò Interregni ſequentiumque Comitiorum interſtitio; ne medio quidem Fatalia conſtabunt tempore. In Criminalibus inſuper actionibus quæ Nobilitaris honoris excidium minarentur, nullam allegari poſſe temporis præſcriptionem. Literas Anonimas ad Principalem ſuum à Theſaurario Regni cifris ſcriptas innocuas eſſe, non minus oſtentatione Verborum quam arte ingenii demonſtrabat. legitque Literas quas Caſtellanus propriâ manu ad Regni Theſaurarium dederat, in quibus deprompto quis eſſet illius de connubio Principis aliisque publicis negotiis eâ tempeſtate ſenſus, rogabat Regni Theſaurarium; ut pro ea quâ polleret apud Magnum Exercituum Ducem amicitia, in cauſa ejus interponeret Inſtantiam: ne illius bona Regalia ad ruinam à milite fatigarentur. Epiſtolam porrò quæ crimini datur, ad Principalem ſuum à Theſaurario Regni ignoto charactere ſcriptam, Reſponſoriam eſſe ad prædictas Literas aſſerebat. atque etiam ut ex omnium animis evelli iniqua ſuſpitio poſſet, clavem ad enucleandas

das cifras Principali ſuo adhuc ſub Interregno à Theſaurario Regni communicatam obtulit, in quarum commentatione nihil atrox deprehenſum eſt. Poſtremò ne in aliquo Principali ſuo quod ad ejus defenſionem conduceret deeſſe videretur: Appologiam manu ipſius Caſtellani ſcriptam clarâ voce vulgavit. in qua acerbiſſimè callidum & perfidum Radolinſcii animum incuſavit; quod in Conventu Sredenſi ſurreptis ex Poſta, violato Gentium Jure Literis à Theſaurario Regni ad ſe datis, intercepto ſenſu eas legerit ſubdolâ arte disjunctis invicem verbis, quæ ſeparata non erant. ſuſpitionem in Populo primùm moviſſe, dein poſtquam nullam in Nobilitate videret reſolutionem, crebris interrogationibus & ſeditioſis exprobrationibus accenſo, gravem ſui cauſaſſe convulnerationem, Templi Altariumque ſanguine effuſo reſperſionem, & ſine Judicio innocentis condemnationem, proculcato panè tam execrando facinore Jure humano Divinoque. Expeditâ lectione magnâ Verborum conſtantiâ Gilbaſzevius petiit: cùm nulla deprehenſa eſſent notoria & luce meridianâ clariora documenta, prout Regni Lex juberet; à cauſa & actione Libertatem. contra Inſtigator Regni cum fatiſcente Delatore, Convictionem Caſtellani inflexo ſermone urgebant. expectabanturque ſollicitè à circumſtantibus, Senatorum ſententiæ. cùm Illuſtriſſimus Regni Pro-Cancellarius aſſurgens; ne quid tædio cauſæ aut vitio noctis committeretur, ut plerumque in recentibus Populi affectibus evenire ſolet: quorum inclinationes huc illuc faciliùs eloquentiâ, quàm innocentiâ trahuntur. author Principi fuit, ut in ſequentem diem Judicium ſeponeretur.

Quarto Idus Octob: propoſitis Mareſchalcus omnium

mnium deliberationi maturâ à se meditatione noviter partis Legibus, egregiè publico bono suis & alienis litabat consiliis. Acceptâ interim à Principe imminentium Judiciorum denunciatione, antequam ad ea Universum Collegium Nuntiorum invitaret, assignatos ad Hybernorum rationes ac Remissarum causas Deputatos placide monuit; ne functionis suæ oblivisceretur. simul privatis uniuscujusque Palatinatus instantiis diem lunæ dixit: dum modo maturè convenire dignarentur. At in Senatu postquam adesse visum Equestrem Ordinem, in promptu erant Senatus Sententiæ. cùm Instigator Regni acceptâ à Mareschalco dicendi Veniâ, repetitis rursùs objectionibus addidit; *Novum se reperisse documentum: Literas nimirùm à Lione Ministro Status Gallici ad Balussium furtivo idiomate scriptas, ac modo recenter repertâ clavi Gallico idiomate commentas: cùm gravem in Remp: & Regiam Majestatem contineant Conjurationem, à se autem legi non possint, ideo adhibitis Interpretibus verti eas petebat.* Cùm verò Patronus respondentis ex reatu partis, Dilationem quoque ad deliberandum peteret, Literarumque ab Instigatore Regni communicationem: datum est à Principe Interlocutoriis spatium. Ubi plurimi improbatâ ea objectione; tanquam illegitimè nec juxta contenta consuetudinis Legum, debitoque tempore allata esset. Illustrissimo potissimum Episcopo Cujavienſi insigni suâ sententiâ, in corruptæ rationi, egregio Judicio integræ conformi conscientiæ, eam penitus damnante. *Cùm enim claves, à primo formante ad libitum sonantis dictionis diversæ pro capacitate cujusque ingenii reperiri possint: etiamsi in*

in his Literis aliquid insolens contra Castellanum inveniretur, nihilominus id ad eum convincendum sufficiens & suppletorium documentum esse non posse. Sed superante Votorum diversitate, Princeps per Mareschalcum Curiæ suam quoque promulgavit Sententiam: conservando ad triduum partibus terminum, assignatis ad decifrationem Literarum binis ex Gentibus tam Senatoribus quàm Deputatis Judicibus, earundem etiam Citatæ parti postquam commentæ fuissent communicationis indulgens Libertatem.

Pridie Idus Octob: recitatis, Tribunitium auxilium invocantium, supplicibus libellis, dein factâ Mareschalcus Propositione, ad proferendas quemque Nuntiorum Palatinatus sui instantias invitavit: igitur Succamerarius Calissiensis *inter cætera Superiorum Palatinatuum Vota, flagrantissimum Nobilitatis desiderium esse asseruit: ut summæ in Rep: Officiorum Potestates; utpote Primatialis præeminentia, Strategorum in Rep: valida authoritas, Sigilli Custodum ingens Potestas, splendida Mareschalcorum Dignitas, Succamerarii Regni Magnus Principis contubernio honos: non suetâ Distributiuæ Potestatis Regali manu; Sed Electione Populi & Universorum consensu, quo optimus quisque monstratur, dispensarentur.* Vexillifer verò Sendomirienſis dum magnam molem materiarum continuo trahit sermone. illud tandem, quâ Reip: honestum, quâ Principi decorum ac necessarium protulit: *Ne Princeps externo cultu sua promissa fidemque fruſtraretur; nevè suspicacem Populi animum, peregrino habitui Externos mores affingendi, alendo pararet.* Interim instantia Perduellionis Judicia, sequentium Palati-

natuum Propoſitiones cohibuerunt. In Senatu Illuſtriſſimus Epiſcopus Cujavienſis affluente Tribunitio Collegio factâ declaratione: translatarum Literarum ex incognita ambiguitate ad compoſitorum Senſuum culturam, cenſuit: *eas nullius eſſe ad præſentem cauſam importantiæ: cùm nullarum in ſe perſonarum ſpecificationem contineant; & arcanæ in illis reperiantur notæ, quarum abſtruſus non poſſit Senſus penetrari. cætera in ambiguo eſſe. illud ſolum patere: requiſiuiſſe Miniſtrum Galliæ tria à Conjuratorum factione: Validum imprimis ſitu munimentisque Fortalitium, ad quod tutè exponi poſſent robora Exercitus, Comitiorum Regni convulſionem, Exercitus Reip: confœderationem.* Tum Inſtigator Regni rurſus accuſatione infeſtâ eloquentiâ redintegratâ, convictionem Caſtellani urgebat. cùm verò pars Libertatem de plano & pænas ſuper Delatore peteret: ille publicam Palatinatuum Majoris Poloniæ delationem uni concivium commiſſam eſſe aſſerens, nullas ſequi poſſe pænas conſtanti affirmatione demonſtrabat. Impoſito demùm à Mareſchalco Curiæ Partibus ſilentio, Reverendiſſimo Epiſcopo Cracovienſi data dicendi facultas. qui multâ verborum copiâ ſufflaminato pectoris Spiritu, eò fervoris ad extremum provectus eſt, *ut Decreta de plano libertate, Delatorem ad pœnas ex arbitrio Principis deſtinandas damnaverit.* & cum dictis omnium ſententiis ſuffragiorum pluralitas tribus tantum calculis, Libertatem ex integro evadendi neceſſitate fruſtraverit. adeò præſenti Judicio & præcipuè Deputatis M. Ducatus Lithuaniæ infenſus eſt: quorum ſuffragiis ſtetiſſe pluralitas videbatur, ut expeditis omnium Sententiis, una

una diſtante hora à mediæ noctis tempore, in eam Vocem proruperit: *Lithuanos parum honeſtatis memores fuiſſe, in dicenda ſententia.* Quâ ſuâ ferocitate ſequenti die grandem in ſe Tribunitii Collegii motum excitavit, nihil infractâ apud prudentiores exiſtimatione, perſeverâ quamvis morum ſuorum conſtantiâ, benè fundata Senatoria authoritate. Igitur proximâ luce Nuntii Terreſtres M. Ducatus Lithuaniæ interruptis Declarationibus, excitato ingenti motu ad vindicandam læſionem Genti ſuæ non procul à convitio diſtanti ſermone Epiſcopi Cracovienſis illatam, Minoris Majorisque Poloniæ Nationum implorabant ſubſidium. neque contenti medio ſolennis ex Equeſtri Ordine ad Principem Deputationis; identidem repetentes: privatis hac methodo rationibus & levioribus negotiis occurri ſolere; publicam injuriam non niſi authoritate omnium eſſe repellendam. nullus dein diverſa ſvadendi aut dicendæ in tranquillo ſententiæ locus: ſed clamor & quæſtus & mixtus furori dolor. loqui cæptantes, cateruatim erumpentibus vocibus obturbabantur. igitur quando nulla dabatur mitigandi facultas, feſtinantes ad Principem pro Tribunali in Senatu ſedentem Mareſchalcus ſecutus eſt. ibi leni ſermone expoſita Principi quærela, convenienti juſtum Equeſtris Ordinis dolorem lenimento refoveri poſtulabat. Princeps conſulto de more Senatu, ore Illuſtriſſimi ProCancellarii reſpondit: excuſato modicè fervore Epiſcopi Cracovienſis, ut Verborum ſuorum interpres eſſe velit. Regreſſo ad Sedem ſuam ProCancellario, Mareſchalcus Forenſis Regium latus occupavit, gerens dexterâ

Decretum : quod facto omnium alto silentio publicavit. Præscripti Decreto amplissimi Tituli : Equestris Ordinis, Senatus & Principis insignes juxta ac privato cuique metuendi. Contenta ejus in hanc formam vulgata erant. *Quoniam sereniſſima Regia Majestas, nulla notoria & manifesta documenta adinvenit. ideo Convictionem sequi non posse, sed propiorem ad evadendum cum Sex Testibus sibi Genere similibus ac benè possessionatis censuit. idque in duabus coram Deputatis tam ex Equestri quàm Senatorio Ordine & Judicio Terrestri Varsaviensi coram Actis Castri Varsaviensis. in casu verò non præstiti Juramenti decreta pœna Infamiæ, reservato in futuris Regni Comitiis Termino peremptorio.* Forma Jurisjurandi quæsitâ verborum asperitate referta erat, omnibus ferè contentis libelli exquisitè condita. adeo, ut etiam morientis sensum excitasset. Hic exitus respersi Civili cruore Conventus, sparsi per Vicinos & Externos ad primum Sanguinem metus, ad tanti motus horrenda initia exterritæ factionis. integro ferè Comitiorum Regni tempore insumpto Perduellionis Causarum funesto molimini. tractis quæsitâ diu arte & longâ morâ Judiciis: quò fama primum patrios dein exoticos pervagata terminos; apud suos terrore exercitæ Majestatis insurgentis Dominationis firmaret primordia, apud exteras Nationes latè sparsa gloria, cujus major è longinquo reverentia; spes & ambitum ac lubricam opinionem (de alienis certandi Regiam laudem esse) succideret ac frustraretur. Tandem cùm Universi tristis Tragædiæ funestum exemplum expectarent: non procul à Comico accidit. nisi quod subitus rumor eodem tempore allatus mæstâ facie

facie scenam mutaverit. abiisse in Confœderationem Exercitum Regni dato Zamoiscio famoso Mareschalcatus Officio. Is rumor eâ tempestate non sponte natus esse videbatur; sed re verâ instante in Remp: discrimine & parato exitio: si Judicia Perduellionis ad debitam sæveritatem fortuna deduxisset. nam nocentissimus quisque & præsentibus rebus infensus Castra velut Asylum petebat. Unde gravis in omnes terror. cùm non inconsulto Populi impetu, sed Potentiorum vi & impulsu, consilio prudentiorum ingens in Remp: malum urgeretur. sed obstabat ea tempestate validissimorum Civium præcipitibus consiliis insignis moderatio summi exercituum Ducis; cujus Prudentiâ atroces impetus & in cladem Reip: erupturi attinebantur. Porrò conduxeritne Reip: stricto Jure proditionem vindicasse? an remissâ manu (prout factum est) Judicia exercuisse? priùs asserit ratio & consilium: posterius non improbare Reip: fata videntum. Omnem certè proditionem non tam puniendam esse, quàm opprimendam. id apud Gentes Nationesque Summo Imperio instructas saluberrimum. in liberis Rebuspublicis & ex æqualitate ad licentiam flexis, non perindè utile & quandoque periculosum. in quibus cùm aliud Leges Institutaque præcipiant: minimæ quæque res magnis motibus non sine exitio Reip: agitantur. Igitur cùm ægrè in concitata Rep: & accensis ad dissidia animis, prudentissimi quamvis Civium in hoc temperamentum consentirent: fata illud posuisse videntur. Verùm cùm non semper eadem meritis nostris fiducia & cælestis Numinis in nos gratia;

tia; ſperanda ſit verendum eſt, imò ut præſenti malo occurrendum: ne per tam crebras factiones Reſp: ad interitum præcipitetur. porrò magnis ſæveritatis exemplis facilè malitia coercetur, & ad deſperationem Vitiorum contumacia cogitur: ſi impunitas nocendi apud perverſos procul & velut ex oculis ſubmoveatur. Potuerat tum Reſp:, bonâ malorum metusque veniâ, grande juſtitiæ conſtantiæque dediſſe documentum: quia armata & validior. quod ſi enim bonos ſpe præmiorum & veniæ Privilegio ab obſtinatis diſſociaſſet: nullo negotio reliquam turbulentorum colluviem oppreſſiſſet. Cæterum mitiora, periculorum terror & Media obtinuêre conſilia. per quæ pavidi Conſultores nec ſatis auſi ſunt, nec in poſterum quieti aut ſecuritati Reip: providêre. Eâdem die Campiductorem Regni ſplendidè Arcem ingreſſum, Primatibus Regni debito tantùm honore Princeps venerando, auxit dignatione. diductis ultimi Cubiculi foribus in marmoreo conclavi excipiens.

Idibus Octob: continuabantur deſideria per Declarationes Palatinatuum. immutato quidem religioſo venerandæ antiquitatis inſtituto: apud quam excolendæ privatorum votorum obligationi; dies Saturni quâlibet Septimana velut ſacrum quoddam privatæ Religioni tempus deſtinabatur. nunc converſo rerum uſu, ex neceſſitate ingentis publicorum negotiorum molis, ſeu potiùs quod ſenio enervis hominum virtus: non pari ut olim ad honeſta feratur alacritate, prout utilia amplectatur. poſtquam per ſummam humani Generis ignominiam, privatæ ſpei, decus publicum ceſſit & omnis hone-

honeſtas in ſinum fortunæ tranſiit: iſta quoque Reſp: velut contagione & contactu communem traxit labem. quarè magnâ congerie materiarum auctas privatas inſtantias vix tertio Calen: Octob: expedivit. Perverſam Methodum agendorum negotiorum omnes arguebant: laudabilem eventus docuit. nam ſi prout cuique cupiditas vel reſpectus mutuò acceptus; diſſidere rationibus, continuo cæpiſſent convenire certamine, non modo præſcriptâ publicâ Lede, quinta die ante exitum Comitiorum Principi ac ſenatui unitæ Reip: Sponſale non attuliſſent decus, communem: ſcilicet concordiam, ſed in transverſum acti: dum ſuis quisque rebus pro ingenio & affectu conſulere parat, non modò maturum Deliberationibus Comitiorum tempus, ſed nec confectus diebus annus diſcordibus conſiliis ſuffeciſſet. Igitur lenitis eo temperamento univerſorum animis, erumpentes adhuc nonnullorum voces tempeſtiva Mariſchalci dexteritas pacavit; qui modum amplexus celebrem temporum illorum ingenio, quos ratione flectere non poſſet, privatim accedendo mitigavit. dein ad ſuam regreſſus Curulim, aſſignatis ternis ex ſingulis Gentibus Deputatis ad formandam Inſtructionem Commiſſariis à Rep: ad Magnum Moſcoviæ Ducem pro imponenda Tractatibus ſupremâ cum hac Gente manu, ſolenni facta gratulatione univerſalis omnium animorum concordiæ, excuſata meritorum ſuorum tenuitate, cum ſe imparem beneficiis & plusquam fraternæ reum fateretur benevolentiæ, nihil ſuæ ſpei & obſequiorum alacritati reliquum, quam cujusque animum, quâ privatim quâ publicè demereri,

mereri, tum insigne Directionis manumittens, à Capitaneo Osviecimensi magnificâ exceptus suadâ, per grati animi totius Epuestris Collegii vota ad Senatum publicâ fortunâ & veneratione Equestri provectus est. Ibi velut ex tempore nata eloquentia, accomodata rebus negotiisque Reip: præfatus, ad ea legenda, quæ Coronationis Actum subsequi soleant, descendit: Litteras nimirum Denuntiationis Regis Coronati, tum præstiti à Principe Ordinibus Regni Juramenti. Jam seræ noctis initium & disceptabiles succedaneæ legis conceptus facilè persuasère, ut in sequentem diem Sessio destinaretur.

Quarto Calendas Octobris, cum Marischalcus Equestris in continuanda lectione Literarum Confirmationis Jurium ad punctum Specialium Pruthenæ Provinciæ legum & Nobilitatis Terrarum Lemburgæ & Bytoviæ prærogativarum juxta Pacta cum Principe Brandeburgico Bydgostiensia servandarum pervenisset, à Palatino Lublinensi rarioris eruditionis & judicii viro interpellatus est. Is accepta voce: *Pactorum Bydgostiensium in literis Confirmationis Jurium levem equidem videri mentionem. at si penitus res introspiciatur, gravissimam eo ipso patere occasionem ad Reip: læsionem. Nam cum hic Princeps multa è Rep: Pactorum Bydgostiensium medio lucratus sit, sublato fere radicitus & re & nomine Feudi, nec ullam pro tam prodiga Principis Casimiri beneficentia exolvendæ grati animi contestificationi obligationis reconventionem fecerit, præter duorum millium juvandi socialibus copiis externas belli occasiones. dein brevi post, velut pœnitentia superfluorum promissorum ductus, cujus in animo pridem*

pridem immotum fixumque esset, nullis Reip: obligari conditionibus, Rescriptum facili ad omnia Principe obtinuit, ut mille solum quingentorum subsidiarias copias ad Reip: bellicos usus præstare teneretur. Intercepto dein sub Inter Regno Trahimo, ad quam Præfecturam vi doloque occupandam, atque eo progressu violandam dignitati junctam Reip: securitatem, modico fretus prætensionis prætextu. non aliud vicinum hunc Principem meditari, quam ut suam per dispendia Reip: meliorem perpetuò reddat fortunam. Quare aut prædicta penitus verba eliminanda, aut molliora; quæ nihil præjudicii Reip: adferant majestati, nec de æquissimis ad Electorem Brandeburgicum detrahant Prætensionibus, specificatarum Conceptui Literarum esse inserenda. Hinc arrepta occasione, cum plurimi urgerent Pactorum Bydgostiensium publicationem, de quorum Tractatu nullam penitus Equestrem Ordinem in hanc usque diem habuisse notitiam, ita eorum contenta cum approbarentur, rei ignotæ stetisse ratificationem. Sed Princeps à throno alterius negotii objecta deliberatione, Pactorum Bydgostiensium die Lunæ per publicam eorum lectionem facturum sese notitiam promisit universis. Tum Mareschalcus Equestris lecta consueta Comitialium operum Aringa, primam in ordine legit Constitutionem Approbationis Actorum Interregni. Verum cum plurimi de Judiciis & judicatis Actorum Interregni disceptarent, Castellanus Leopolienſis nonnullis præmissis materiis, in Articulum Pactorum Conventorum de Juribus Majestatis & Supremi Dominii in integrum restituendi acriter invectus est; magnâ animi contendens asseveratione: *Eas legum ambages, ut summo Reip: ita communis li-*

berta-

bertatis constare periculo. nec diu cunctatus Illustrissimus Regni ProCancellarius, quem magnitudo animi & conscientiæ innocentia impelleret, accepta voce, ita orsus est: *Auctorem sese specificati in Pactis Conventis Articuli profiteri: sed id gravioribus impellentibus causis, sed publicâ exigente feciſſe necessitate. etenim cum perspiceret quo res majestatis Regum Poloniæ & Reip: vergerent: cum Dux Curlandiæ absolutum sibi jus in Districtum Piltensem usurparet, qui & re & nomine Episcopatus Samogitiæ juris est, fretus Rescripto, quod à Joanne Casimiro Rege obtinuerat, adeoque gravis esset Nobilitati, ut etiam Appellationes ad Serenissimum Regem, uti supremum Dominum interpositas, vi aut dicta pœna inhiberet. Cum Magistratus Gedanensis Privilegium super Bona Caduca subreptitiè à S. R. Majestate cum summa Furium Fisci ac supremi Maris Sarmatici Portusque Dominii non modo læsione, sed subversione obtinuisset. Princeps quoque Brandeburgicus non dissimili arte beneficio Rescripti à Rege Casimiro sibi concessi contra expressum Articulum Pactorum Bydgostiensium jurejurando firmatorum ex duorum millium Auxiliari subsidio quingentos subtraxisset equites, vulgo Raitaros dictos. Nec illud amplius Remp: latere debere Livonensium nobilium quasdam Familias à Casimiro Rege Privilegium impetrasse retinendarum eousq; concessarum sibi Præfecturarum; donec universæ Livoniæ corpus ad Jus & Imperium rediret Reip:. Cui hoc in passu graviter illusum esse manifestum est. cùm enim Princeps Casimirus omni Juri ad Livoniam per Pacta Olivensia in perpetuum renunciasset: quomodo æquum esse possit, contra salubrem Legum publicarum dispositionem in certis Familiis perennem esse Reip: bonorum Possessionem? Hæc & alia mala, quæ in dies Majestatem & Dignitatem Reip: imminutum irent,*

irent, Majestatica ac Reip: Jura pessundarent, statum denique Regni inverterent, obligatam integritati Reip: conscientiam sibi persuasisse: ut inserto prout Legum Volumini, ita utinam propitium faxit Numen Principum pectori, studio suo & innocenti industriâ Regum Poloniæ ac Reip: indemnitati prospiciatur. Igitur Castellanus Leopolienſis rursùs impetratâ voce: *abundè sufficientiam responsi Illustrissimi ProCancellarii testatus est. Sed cum semper Interpretatio Legum periculosa sit Reip: Statui: & eo periculosior; quo diuturniori tempore Legis ambiguitas in subsidium inveteratorum Reip: malorum coaluerit. dum insciam anteactorum aut plerumque dubiam posteritatem, antequam in consiliis salutem reperiat, perverti aut penitus opprimi. cum rarò admodum Rebus publicis Magni Cives contingant, qui non modò rerum eventus, sed initia eorum causasque prudentiâ suâ complectantur. Proindè obnixè petere, ut præfatus Articulus eâ Declarationis methodo, prout allata esset, illustraretur.* Votum Fredronis Palatinus Smolenſcenſis firmavit: eandem illustrationem Articuli petens, adjecto: *quòd muldum ab Historicis Augustus Cæsar reprehensus fuisset: quia Legem Majestatis revocasset.* Posthæc Princeps invitato ad se Regni ProCancellario ob instantem Sereniſſimæ Sponsæ suæ Coronationis actum, maturè Sessionem solvit. manſitque Materia illa indecisa, & Fatis potiùs ac vi Fortunæ, quam humanæ dispositioni aut prudentiâ refertunæ, quam humanæ dispositioni aut prudentiâ refertata. neque fortè & Authoris mens alia; quàm ut proferret ingenium: studioque suo, si tempora moresque Principis paterentur, gratiam apud insurgentem Dominationem pararet.

Die quo cessavit Omnipotens ab opere manus, illustrem

Iuſtrem Coronationis actum dignæ Cœlo Sponſæ amicus Principi ſuo ſereno oculo Sarmaticus vidit orbis. Hora ferè undecimâ Rex Arce digreſſus, ſeptâ undique Prætoriano milite viâ, Univerſo Senatu ac ſplendidiſſimo Equitum Collegio præeunte, Regali Paludamento & Diademate inſignis, Præſules Cujavienſem & Poſnanienſem Pontificalibus indutos ſequebatur. Reginam Maximi Legati Summi Pontificis & Cæſaris ſuſtinebant. Ubi ventum ad Baſilicam, Theatrum in medio extructum Eccleſiæ, Theatro impoſitæ Currules, quarum alteram Rex Majeſtate implevit, Regina ſub Baldekinum concedente; ne loci Religionem nondum Coronato Capite imminuere videretur. Sacra Illuſtriſſimus ArchiEpiſcopus peragebat, ubi Evangelia ſtans Mortalium veneratio excepit, ArchiDuciſſam Auſtriæ ad Altare progreſſam Coronatus Sponſus ſecutus eſt. pro gradibus magnæ Aræ recubuerat utrinque inſignis Tyaris Sacra Infulatorum Majeſtas, quam intermedia ſuſtinebat Primatialis Magnificentia: eam decenter Rex veneratus, oblatis pro conſuetudine auxit muneribus. rurſusque ad ſuas Sedes à Principibus utrinque diſceſſum eſt. agebatur interim tremendum Sacrificium, & iterum poſt Miſterium incarnati in terris DEI, Sereniſſima Princeps Altare accedens, accepta à Primate benedictione, ad Templi ſacellum receſſit; ibi exornato Capite æmula Phæbo coma inſigni quemque crinem decore diſtinguente ad Sacrum reverſa Epiſcoporum Collegium, accedente quoque Rege ſtratis Mortalibus exuviis uterque Divinum Numen in Venerabili præſens, venerati ſunt. Tum

Regni

Regni Primas expedito cærimoniarum ſplendore, auguſtam Reginæ frontem, revinxit Diademate. pro gradibus Altaris Rex cum Regina Devotioni vacabant: ſed ubi Sacrificium finem ſpectabat, aucta Majeſtate Regina cum Rege Thronum aſcendit. Ubi exitus rebus ſacris impoſitus: à privato Regis Theſaurario ob abſentiam Regni magni opum publicarum Præfecti miſſilia numismata in omnes partes & in multa ſterilia affectus in Principes pectora ſparſa ſunt. inter fauſtas Populi acclamationes, *vivat Regina:* quibus. non modò ingens Templum ſed & circumjectæ Templo ædes magnificum lætumque reſonabant. Rex fauſto omine & propriâ lætitia Populique auctus in Arcem reductus eſt, modicâ jam lucis libertate. ac ne anguſtum tempus exquiſitæ magnificentiæ derogaret convivio: ad quod omnis Senatus & ſelectus Eques, Univerſa velut Reſp: vocabatur; proxima nox in ſubſidium lætitiæ adjecta eſt.

Septimo Calen: Octob: paſſim Epiſcopis & Sigilli Cuſtodibus favonios pro Ducali Pruſſia ſpirantibus: cùm apprimè neceſſaria, tum magnæ utilitatis Pactorum Bidgoſcientium per publicam lectionem totius Reip: Informatio, in aliam commodiorem temporis occaſionem rejecta, evanuit. Cum igitur juxta reſpectus malè ageret Imperii honor, metulit Genius & futurarum in proximo turbarum prævisia perſuaſit, ut intercederem. ne quidquam de Ducali Pruſſia in gratiam Pactorum Bydgoſtienſium literis Confirmationis Jurium adjiceretur. ſed Illuſtriſſimus Procancellarius & nuper Caſtellanus.

nus Culmenſis activitatem vocis Nuntiorum Terrarum Pruſſiæ reſtrinxêre, aſſerentes: poſt ſciſſum Graudenti Conventum; quamvis cum particularibus Inſtructionibus ad Comitia Nuntii veniſſent, attamen formandi novas vel vetandi Leges non habere poteſtatem, ſed ad defendenda tantum Jura Provinciæ Tribunitiam Libertatem uſurpare poſſe. Dederat equidem & alias Princeps initio Comitiorum pro inſtaurando Generali Pruſſiæ Conventu literas ad requiſitionem Palatini Pomeraniæ. qui turbatas res ſuas & malè apud Principem audientes, tempeſtivo officio; publicâ ſcilicet ſtatuum Pruſſiæ feſtinans reſarcire benevolentiâ: hoc medio ad invento, delinito ad præſens Principis animo, optima ſpe plenus hilari animo Varſaviâ eruperat. Verum poſtquam Dzialiniis in fama Palatini Pomeraniæ artes. accelarata Palatinatus Culmenſis Particularis Conventus convulſio, Generalis quoque Conventus poſt diſpercuſſionem prioris ruinam traxit. Nunquam his Familiis convenire in unum Fortuna conceſſerat, perpetuo velut diſſidio ſemina contumacis diſcordiæ propagante. & certabant manifeſtis plerumque odiis, quandoque ſimulata amicitia quo melius ſuis quisque conſulerent reſpectibus profeſſas ſemel ſimultates tegebant: donec rurſum tempus & occaſio deterſo fuco, ad naturam ſuam quemq; retraheret. Cauſa diſcordiæ præcipuè ex eo, quod hi longâ fulgentes propagine Gentis, & aſſueti avitâ in res Pruthenas Potentiâ: poſt attritas publicâ belli Svetici calamitate opes; emergendi induſtriis occaſionem dedêre. ubi convaleſcere opes & inſurgere iterum fortunis cæpere,

cæpere, quando & benigniorem Domui ſuæ Principem nacti eſſent, hactenus preſſum acrius ſtudium exarſit, priſtinum decus & antiquam in Provincia retinendi dignitatem. obſtabat Palatini Pomeraniæ ingens animus & authoritas; qui ut monſtraret, quanti faceret invidiam, quâ ſuperior eſſet, dicere ſolitus eſt: *ſervire fortunam rebus, non Nominibus.* Hinc continua inter infenſos odia, hinc in Graudentinenſi Conventu ad arma ventum. inferioris partis læſus honor, ſub velo rupti Conventus delituit & ſecundi quoque parem exitum acceleravit. Eo usque provecta erant odia, ut ne Poſteritatis quidem memoriâ, à publico diſpendio deterrerentur. Sed me longius amor Provinciæ & veritatis tulit, nunc ad incepta redeo. Igitur Reſp: quaſi inani cura exoluta, quia tum maximè vis & arma Equeſtri ordini placebant, univerſi ferventiſſimo ſtudio incubuêre; ut ex facultatibus bonorum quisque ad militare ſervitium teneretur. At Palatinus Lublinenſis manſualem aut Fumalem diſſuadens expediendi militis rationem, adjecit: ſi veteri inſtituto ex bonis Ragalibus militaris expeditio ageretur; poſſe & Spiritualem ordinem perſuaderi: ut pari ad auxilium Patriæ non renuat ſubſidio concurrere.

Supremâ Comitiorum die, frequentes ad Principem à Generalibus copiis Equeſtris Ordinis commeabant Deputati: offerentes alacritatem & in tuenda ejus Majeſtate fidem & conſtantiam. ſepſerant quoq; circum circa urbem poſitis è vicino caſtris, & intra paucas horas commeantibus ultro citroque Nuntiis, publicorum Conſiliorum tractatus, vel quid quisque diceret aut quomodo diſſen-

dissentiret, fremendo accipiebant. & quamvis tot millium armatorum strepitus telorum, & loricati terror furoris nondum propalàm aspiceretur auresque vellicaret (molestior fortè futurus crinibus quam auribus) suberat tamen justus in nonnullorum pectoribus metus: quem intendebat odio provecti rabies Belli. Verum eodem tempore ut valida Principi in popularem Equestris Ordinis favorem fortuna: ita apud Exercitum Regni improspera fuit. cum coalita Confœderatione Deputati à Republica ob allegatam summi Magistratus absentiam, debitâ apud Exercitum audientiâ frustrarentur. Universâ velut dignitate totius Reipublicæ à paucorum arbitrio pendente. Hinc prudenter arguere licet: grandioris fortunæ nemini tam placabile ingenium contigisse: ut non summis casibus & consanguineis magnæ ruinæ periculis sustineretur. quod sæpe magni viri quamvis non vi fatorum suis tamen moribus in præceps vergentibus ad exitum quandoque impellantur. Sed summus exercitus Imperator sapienter moderans; cum inculpatos, ne ob suspicionem perderentur, Cives servasset; valentioribus, ne præcipiti vindictâ contaminarentur, providisset, sibi magnam gloriam, mox summam Fortunam & excelsum fastigium comparavit. adeò non semper turbæ occasio malorum: sæpius si Prudentiam ad amussim Fortunæ adhibeas, aliena mala in occasionem gratiæ favorisque trahuntur. At in Senatu rursus ex facultatibus bonorum præstandi bellici servitii, arduum conciliandæ concordiæ opus: cùm & Equitum & Senatorum plurimi intercederent. è quorum numero

numero Palatinus Czerniechovienſis Magni Vir ingenii disseruit: *Antiquis temporibus tentasse Remp: magnâ curâ & labore ex facultatibus bonorum militarem juvandi Expeditionem: exigentibus id olim ancipitibus Belli Turcici periculis. & quo feliciùs hæc ratio publicæ Regni totius utilitati succederet, Universalem bonorum omnium Taxam Lege publicâ assignasse. sed postquam eam Concilii vim haud sufficientem eventus docuit: cum ejusmodi progressu magis Arcana Imperii vulgarentur, nudata velut publica Regni fortuna, expositis nimirùm Externorum etiam oculis, privatis omnium Indigenarum facultatibus; quæ magnifico publicarum opum nomine meliùs continebantur: à tàm arduo opere non invitam, subtraxisse manum. Proindè Agraria Militia transmissa, utpotè Universis onerosa & in publicùm non profutura. suetum Militem, Patrio vocabulo, Quartianus dictum: quasi ex quarta bonorum Regalium parte perpetuò alendum, Resp: in armis potiùs ad custodiam Regni limitum, excursiones, excubias, cæteraque Belli onera sustinenda retineret: extremum Universæ Equestris Ordinis Militiæ robur; antiquitùs recepto more supremis periculorum casibus reservaret. spretis ac rejectis inventionibus: quæ magnificâ Virium specie, plus confusionis in Remp: inferrent: quam certi auxilii firmitatisque pondus haberent.* At Vexillifer Sendomirienſis pro Aris focisque & Libertate certamen aggressus, repetitis identidem vocibus, miscendo dolorem verbis, quæstum affectibus: *Illud esse, illud intollerabile malum quod præcipuum Libertatis fundamentum communem Equestris Ordinis æqualitatem violaret, & publicis in defendenda Patria detraheret viribus, clamitabat. cùm quisque Nobilium tenuissimæ quamvis fortunæ, objectu proprii corporis, arcendo Reip: occur-*

rat excidio; idem illi quoque nec plus Patriæ præstent, qui amplissimis instructi facultatibus magno fortunæ vivunt censu: ingentibus opibus in pace ad luxuriam, in Bello ad segnitiem utentes. Quodsi ex facultatibus quisque Nobilium ad præstandam Reip: teneatur defensionem: duplicari copias, immensum augeri magni Exercitus corpus, Generali bellicæ Expeditioni pristinam apud Exteras Nationes restitui gloriam, apud Vicinos metum & ex terrore, venerationis opinionem parari; invictam demùm propriarum virium consideratione, sine ullo externæ potentiæ adminiculo fore Remp:. neque id sese ab Universis petere, quasi rationibus mens esset publicum lucrari consensum; sed enixè obsecrare omnes; ne Leges publicæ Saluti repertæ, quæ ex facultatibus Bonorum bellicæ Expeditioni Ordinem præscripsissent: & imprimis Statutum Casimirianum, tum Constitutiones 155 *quarti,* 155 *quinti,* 166 *septimi perverterentur.* & postquam omnia tentasset media, quibus persuadere posset, metum quoque addiderat: *rejiciendam ad Fratres pro mœnibus in Castris excubantes eam negotii difficultatem, ut illi resolverent: quid utilius pro Rep: haberetur? & an Leges Sacrosanctè servandæ essent?* Tandem ut Legi adjiceretur ex facultatibus bonorum tollerandum in posterùm bellicum servitium: nemine palam refragari audente; sed ut vultus monebant, tacito multorum resentimento & pudore, pervicit. Nihilominus tamen quò convenientiùs tanta difficultas negotii expediri posset, atque hoc velut amoto obice, cætera liberiùs tractarentur negotia: publicus Consensus obtinuit; ut Princeps ex Senatu, Mareschalcus Equestris è Collegio Nuntiorum Deputatos assignaret. Actum deinde de Arrianis & Menonistis Regno pellendis.

dis. Præcipuus motor ejus Legis Vexillifer Sendomirienſis, nonnullos ex Præſulum Ordine adverſos habuit: ſed à Caſtellano Leopolienſi in inſigniter adjutus; eam quoque Legem, ut in volumen Legum referretur, obtinuit. is favorabili Oratione diſſeruit: *Regi Hiſpaniæ fertiliſſimas divitiarum novi Orbis à DEO conceſſas eſſe ditiones, non alio argumento, quàm quod ex univerſo Imperio ſuo Saracenorum & blaſphemas Judæorum Gentes proſcripſiſſet. nec ob aliam cauſam meritumvè piè ſeſe credere: Divinam providentiam, eousque Remp: noſtram, tot per annos variis jactatam caſibus, vicinorum fraudibus, inimicorum æſtu, perverſis domi conſiliis convulſam, civilibus Bellis oppreſſam, Externis laceram & fatigatam ſuſtinuiſſe: niſi quod in primis Comitiis poſt fatale Belli Suetici experimentum Resp: ad Religionem cultumque numinis converſa, ſæveram Legem de pellenda fædâ Arrianorum ſuperſtitione ſanxerit.* Poſtremò Illuſtriſſimus Mareſchalcus Equeſtris Legis conceptum; Præcuſtoditionis titulo Regalis Dignitatis inſignitum vulgavit, in quo continebatur: Eliminatio Literarum Primatis, & ne amplius ejusmodi conſvetudo monendorum Principum licita eſſet: ſed antiquus uſus & Sigismundianis temporibus latâ (*non tamen ſine præjudicio libertatis Lege*) præſcripta methodus retineretur. Placere admodum familiaris Regnantibus Lex, Proviſoribus dominationis Artium videbatur: quâ ingens Nobilitatis Privilegium de non præſtanda Obedientia, reſolutum. dum delinitus facilitate Sigismundi Tertii Equeſter Ordo, & exindè remiſſior in agendis Libertatis excubiis. Leges, pro quibus usque ad arma civilia actus, Legibus & præmeditata Principis benevolentiâ

lentiâ ſubverti paſſus eſt. Nam circumſcriptum Jus de non ſervanda Regibus Obedientia; ſi fidem publicæ Libertati fallerent: perplexis monitionum circumſcriptum ambagibus ac penè obliteratum. cum Regnantibus Imperii poteſtatem firmaſſet, reliquit in incerto Libertatem; & imminuit quodammodo adverſus extrema mala Dominationis Civilium armorum remedium. Igitur Epiſcopus Cracovienſis acceptâ Voce: *eam ſeſe Actis publicis ingroſſari Legem nunquam permiſſurum conſtanter aſſeveravit. niſi is quoque Legis conceptus, Univerſalem delictorum condonationem, Generalem ſcilicet Amneſtiam contineret.* Regis per hoc tentari, recentis Arcana Imperii videbantur, & qualis eſſet ad clementiam animus, quosque Princeps futuris rebus ſpiritus retineret. Itaque vocato Senatu & expenſis conſiliis, ore ProCancellarii: magnitudinem negotiorum cauſatus, quæ in tam arcto tempore ac in ſeram deducto noctem commodè expediri nullâ ratione poſſent, Tribunitiam Poteſtatem ad Prolongationem Comitiorum invitavit. Tum data à Mareſchalco Equeſtri proferendarum per Palatinatus Declarationem facultate, uniformibus omnium Sententiis concluſum eſt: ut Comitiorum tempus ad diem Solis prorogaretur.

Prima poſt Prolongationem dies, malè diſſimulatæ diffidentiæ, flagitioſo interiit certamine. Exagitatus primò Illuſtriſſimus Regni Primas à Capitaneo Radomienſi, dein graviùs à Caſtellano Cracovienſi Satyricis & de induſtria non excultis verbis laceſſitus. quaſi multùm ſuperque patientia ejus gravaretur: factâ Manifeſta-

nifeſtatione de oppreſſâ liberâ Voce ſuâ, ad Conclavè Palatii retroceſſit; parans à publicis conſiliis ſeceſſum. à quo Propoſito magnâ mole intimorum amicorum, Illuſtrium Senatorum, & potiſſimum Cancellarii M. Ducatus Lithuaniæ induſtriâ revocatus eſt. Caſtellanus Cracovienſis, joco jacta jocando referens: ſapientioribus ludibrio fuit. nâm quid ſupremo in ſæculari Statu & grandævo Senatori cum levitate? quæ viliores animas inter ludicra Proſcenii vix deceret.

Decimo Cal: Octob: Diploma Livoniæ nobilibus à Caſimiro Rege conceſſum reliquis materiis obicem poſuerat: ad quem ſubmovendum Deputati à Principe ex Senatu ab Illuſtriſſimo Mareſchalco Equeſtri ex Ordine Nuntiorum lecti. qui excuſſo Diplomate, an Juri publico præjudicioſum non eſſet? Livonenſium paccarent animos, aut integrum negotium ad Remp: referrent. Ingens deindè exarſit certamen, vetantibus Lithuanis, ne Relatio fieret Rationum Theſauri. non quod publicum aliquod intereſſe in cauſa haberent; vel manifeſtum ſubeſſet detrimenti Reip: periculum: ſed pro ingenio ſuo violento ſtimulati obſequio, non obſcurè monſtrabant: cujus Tridente DEI in innocuum Referendarii caput tempeſtates cierentur. Verùm certamina quæ ad vexam non ex honeſto fiunt, velut in laborioſa ſcena, poſtquam finis Comœdiæ; Actiones & perſonæ in lucro vanitatem habent rerum quas geſsêre: ita illi malè affecto tempore iniquo certamine, tandem publico ceſsêre juſſui. Igitur Reverendiſſimus Epiſcopus Poſnanienſis & Caſtellanus Culmenſis: partes quoque

Relationis ſibi ſumpſerat primus tum in Ordine Nuntiorum Ducatus Zatorienſis Tribunus, cæteris Nuntiorum interloquentibus Relationem in Senatu fecêre: licet in Atrio Libertatis ob multitudinem negotiorum expedita non fuiſſet. & quanquam exactus Ratiocinii conſtaret calculus, nihil tamen in eo negotio concludi potuit, turbantibus rurſùm Lithuanis. hinc cæteris quoque intercedendi impetus venit, ut operoſa nec facilè à Populi ingenio diſcutienda Theſauri rationum moles, ad omnes Conventus Nobilitatis remitteretur. Porrò neceſſariam aſſerebant Equeſtris Ordinis Informationem: an concedenda eſſet probè calculi realitate examinatâ, Regni Referendario per Legem publicam Quietatio.

Proximæ diei Senatu, Reſp: egregio Judicio impunitatem facinorum faſtidiens, & quamvis publicæ honeſtatis retinens, priſcæ tamen impar ſæveritati; Amneſtiam publicis ſceleribus ſub titulo Oblivionis conceſſit: ne metus & deſperatio fatalis ſtimulus eſſet, extrema conſilia flagitioſis contra Patriam arripiendi. Tum Illuſtriſſimus Archi-Epiſcopus, an quod diutius gravem injuriam, læſo pectore retinere non poſſet? an opportunam præteritorum Oblivionis, nactus materiam? ſuum dolorem firmiùs pectori ſuo quàm marmori hæſurum, eruditâ impatientiâ ſed minus laudabili teſtabatur. *Quod iniquè gravatus invidiâ velut nocens & convictus tot damnis plecteretur, tam fœdis injuriis poſt laceſſitam famam fortunas quoque ſuas perverti videret. Quærulabatur atrociter Diſtrictum Zdunenſem à militaribus copiis Nobilitatis Pala-*

Palatinatus Inowroclavienſis non exiguam Archi-Epiſcopatus ſui Patrimonii partem, funditus planè deſolatam, centum quinquaginta Millium æſtimationem excedentibus damnis. Cæteri Pontifices in communi cauſa arbitrati ſilendo committi piaculum: exundantem Primatis dolorem continuâ Oratione refovebant. ſic non vulgaris injuria, grandioris quærelæ titulo nobilior, ſilentio tandem transmiſſa eſt. Caſtellanus enim Inowroclavienſis Jacobus Albertus Sczavinius, Ductor copiarum, Vir mitis ingenii & facilitate morum ac tranquillitate vitæ inſignis, neutiquam ex injuria alterius decoris avidus, ſed quietâ induſtriâ notis ignotisque commendatus, quando famam ſuam periclitari ſenſit, coactâ militari concione facilè Univerſis perſuaſit, ut Caſtra aliò transferrent. ſed non ſecuritati non indemnitati quamvis à volentibus conſultum eſt: ſtatim in ditiones Archi-Epiſcopatus irrumpentibus numeroſis Majoris Poloniæ Exercitibus, qui quoniam Majores, ideò intollerabiliores Subditorum fortunis fuêre. cùm ingens calonum lixarumque numerus & inſolens ſervitiorum turba: quæ in Pace privatas Dominorum opes arrodere, in Bello Patrium ſolum velut hoſticum exercere injuriis ſolet, à rapinis & violentia, non imperis non pœnis coerceri poſſet. Hinc difficilis admodùm Spiritualis Ordinis Liberalitas in concedenda Militi pecunia; ne exitioſam hybernandi in bonis Regalibus uſurparet licentiam. nihilominus tamen poſt multas rationum ambages Sacer Ordo temporis faſtidio & continuis Equeſtris Ordinis precibus flexus; poſt operoſam licitationem, quingenta Millia, 500000

ad

ad Millionem è Bonis Regalibus contribuendum, magnâ in publicum parſimoniâ adjecit. Iſtius porrò renitentiæ in Communi erga Patriam ſtudio diverſas fuiſſe cauſas comperio. inerat quippè Præſulum animis, quædam Religio compaſſionis Archi-Epiſcopi fortunæ, cujus ditiones utpotè Patrimonium Chriſti, quando ab omnibus oneribus ſingulari immunitatum Privilegio exemptæ eſſent: tamen per licentiam rapinis, per temeritatem & inſtructam malitiam injuriis affligerentur. movebantur & metu ſimulque non vano judiciò terrebantur: ne Uſu & ultrò velut conceſſo exemplo ad perpetuam contribuendi neceſſitatem traherentur: cùm immunitati Eccleſiaſticæ tot Principum Privilegiis, Patriis denique Legibus ſatis firmitèr proſpectum eſſet. idque cum quadam ſui Veneratione jactabant: ſparſerantque ſummariè complexos propria Jura Libellos. ſed ut eorum Apologiam Apophaſimque ſeu veriùs Apotheoſim omittam: quæ aliundè cupientibus innoteſcere poteſt. Neque enim diſputare de Religione animus eſt; quæ ſanctius pectore exercetur, quam ore profiteri poteſt; ſed de Statu Reip: dicere: qui nominis communibus Ordinum ſubſidiis adverſus publicas neceſſitates retineri poteſt. Achilleum velut argumentum pro retinenda immunitate à tributis, potiſſimùm verò ab Hybernorum onere Sacri Ordinis eſt: quòd bona Eccleſiaſtica, ſi per ſummas Exactiones, Contributionum onera & militarem Oppreſſionem ad extremam deſolationem deducantur: relapſura omnia onera in bona Terreſtria cum excidio Status Reip:, cujus pro-

proxima & notoria cuicunque Mortalium Civilem prudentiam præbere documenta. quòd olim Reſp: Unius Agrariæ tributo ſtipendia cæteraque Pacis Bellique onera expediverit: nunc in eosdem ſumptus multiplicatis quamvis Agrariis ægrè ſufficiat. Sit igitur ut Sacer Ordo ſine moleſtia Jus non contribuendi in publicum retineat. Regalibus bonis contributionum. Et ſuſtinendi Exercitus omne onus incumbat. Attritis porrò opibus verſisque funditùs Regiorum bonorum fortunis, quæri poteſt? quas miles Satrapias, quas Ditiones hybernaturus peteret? vel ſi pro limite Imperii excubandum eſſet, undè ſtipendia & in neceſſitatem victus Diaria Seditioſis Vocibus & minis armorum exquireret? Falluntur nimiùm, qui extremâ neceſſitate Equeſtris Ordinis facultates Militari licentiæ monſtrari arbitrantur. vana ſpes eſt. nam quis cum valentiori certare vellet: pro lucro nimirùm meritorum reportaturus, aut turpiter fuſum ſanguinem, aut ſui excidium. ergò gradiori mole majorique malo eadem adverſa in fortunas Sacri Ordinis reciderent, non diſparem eorum fortunis, quem fortè bonis Regalibus facerent, exitum exitiumque allatura. Jam quandò in communi & miſeriæ & injuriæ facilius tolerentur: quid ni Sacer Ordo publicam calamnitatem ſalubriori Conſilio cum Rep: æquo animo ferat? diſtractas diviſasque vires faciliùs opprimunt onera: alienatos invicem animos & velut partes Seceſſionemque meditantes; antequam pœniteat, deſerit ſubitò Conſilium & fortuna. Porrò Privilegiis ſe tueri adverſus vim & neceſſitatem, neutiquam

ex Areopago Consilium. quandò ita Ordine naturæ factum est : ut non Privilegia de tempore ; sed Tempus de Legibus constituat : de utrisque judicet Fortuna. Sit salvus maneatque Sacro Ordini splendor & Jurisdictio. neque enim profanam Magistratus Celsitudinem, de Divinæ Majestatis Ministris eorumque datâ è Cœlo fas est disponere Potestate. sed conservationi Reip: Statui per negationem subsidiorum è Reip: sinu penuque acceptorum, detrahi indignum : & detrahentibus non modò minus consultum, verùm etiam contumelioſum. Duci igitur exemplis, quàm rationibus flecti ; quandò minus asperum animis est : sequenda prono affectu magni in Patriam zeli Magnorum Statuum documenta, quamvis ea externa suggerat Pietas. Ita adversus periculosos Alphonsi Lusitani conatus Ferdinando Catholico Regi 147. septimo, Ordinum consensu non sine magna Antistitum alacritate concessum fuit : ut Templorum aurum dimidium, ex parte mutuum sumeret. In Bello Franciæ adversus Sectarios, Sacer Ordo maximis pecuniæ subsidiis Ludovicum XIII. quotannis juvit. Referri insuper ordinaria Cleri & ingentia tam in Hispania quàm Gallia in singulas Regni necessitates subsidia; superfluum est. quòd Sacrum Ordinem non aliâ conscientiâ in Externis Imperiis facere certum est, nisi quod præ oculis habeat: has opes quâs Respublicæ in sinum ejus deponant: ad juvandam potissimùm Remp:, dein ad honestam non luxu enervem Cleri sustentationem & corruptos malo divitiarum usu mores concessas esse. Sed ut rerum Or-

Ordini restituam calamum. Errabat tum rumor & fortè ab errantibus sparsus : obstare Cleri conscientiam, transactæ cum Exercitu Regni concordiæ, ratione præstandæ ex bonis suis hyemalis Stationis. quidam metum interpretabantur : ne si rescinderentur semel coalita, immensis oneribus pro bono publico implicarentur ; cogerenturque amittere magnarum opum partem ; quæ aut luxui impenderetur, aut privatum in nullos usus ditaret ærarium : corradente undique magnâ curâ, nulla necessitate sollicitâ manu opes : quas postea ignobilis propinquorum turba distraheret, vel primus à funere raperet speculator. Compositis arduo quamvis Spiritualis Ordiuis consensu exigendæ Hybernæ rationibus, reliquæ publicæ consultationis materiæ, ad Comitialium operum fortunatam properare videbantur stationem. Cùm à Mareschalco Equestri jactus fomes prægrandis materiæ : Auctionis nimirùm stipendiarii Exercitus Regni : qui cùm duodena Millia non excederet ; ut pari numero firmatus Reip: Vires attolleret. Obtendebatur fatalis semper Imperiis Belli Turcici moles. & inerat necessitas, sed major in occulto stimulus : ut si proni ad seditionem Militum animi rerum novandarum cupidine insolescerent ; essent ad manum vires, quarum respectu tumidos cohiberent Spiritus : vel si turbare persisterent, coerceri possent. Quarè utile Exercitus supplementum. destinabatur enim sive in Turcas seu veriùs in Cosacos Expeditio ; cùm nondum propalàm constarent Orientalium armorum molimina : & Princeps avidus decoris fide & obsequio Horodo-

venſium & Niſenſium Coſacorum ad datam cœlitùs occaſionem recuperandæ Ukrainæ, fertiliſſimæ totius Sarmatici Imperii Provinciæ ardenti pectore anhelare videbatur: extimulabat quoque Doroſzynko rebelli-Coſacorum Ductor non temnendis viribus agens: cùm ſuper dena exercitatiſſimi militis Millia, innumeram ad famam moti Belli præſtò haberet multitudinem, armis exercitam & ingenio Ducis æſtimatam: qui quantò magis luxum ſimularet, tantò acrior in negotiis & ad curas Belli intentior ferebatur. Sed tum potiſſimum malignitate & perfidia impellebatur, ut præſtitâ paucorum Miniſtrorum ſuorum conſilio Sultano Turcarum (inſcio quamvis Populo ac Civitatibus præcipuè Urbe Humanenſi) ſubmiſſione: Ottomanicis armis & obſtinatis in ditionibus Reip: hoſtium moliminibus locum patefaceret. Super has publicas neceſſitatis rationes, quibus identidem triſtibus nuntiis ac repetita de imminentibus periculis fama, ſatis egregiè conſulebatur: ſupererat adhuc ſummæ rei Argumentum. non enim vitari occultæ Domi poterant factiones; quæ licet premerentur, tamen in turbas trupturæ certis indiciis conjectabantur. quod ſi inſuper domeſtica perfidiâ, Colligatorum ope Belloque Externo juvarentur, periculum erat: ne inermem Principem ac Remp: fatalis caſus ad excidium poſceret. Undè prævenire potiùs quàm præveniri Bello conſultum fuit: & Externo armorum pararu, ferocientibus Civilis Belli auferre meditationem: tum exoticæ Machinationis flagitioſam turbandorum Regnorum cupidinem, radicatâ in Civi-

lium

lium diſcordiarum fundamento fiduciâ, ab auferenda Imperii excutere Securitate. Sed inter Tribunos Equeſtres acerrimè certabatur, integræque diei inter rationum abſumptæ digladiationes: inſomnis etiam nox adjecta, donec eam vigil excepit dies. Cauſa tantæ concertationis potiſſimum ex eo: quòd novâ Exercitus auctione Supremi Ducis Exercituum Authoritas imminutum iret, & potentia ad exitium vergeret: inſtructa viribus & Legibus acri Campiductoris Regni æmulatione, quando diſtribuendi in Hyberna Militis, utrique Ducum Lege publicâ communicata poteſtas, valido ad hæc Sulta ſubſidio novi Exercitus accendebatur. qui commotior ingenio, ſuper Nobilitatem Generis, præſenti etiam fortuna immenſùm extimulabatur: nec modo iis, quos neceſſitate, quaſi oblatâ æmulatione, fuerat complexus; ſed iis etiam qui futura ex præſentibus Caſibus Reip: mala inſitâ ſagacitate colligunt, terrori eſſe cæperat. Verùm Nuntii intercedentes Exercitus Auctioni, cùm Vires copiarum Regni quamvis bis duodenis millibus firmarentur: ſi nihilominùs adverſus Ottomanicam Domum ſuſcipienda eſſet Expeditio; minimam eas Copias in comparatione Turcarum roboris proportionem virium habituras. ſuper rationum validitatem, notam Reip: paupertatem obtendebat. Jam in eo negotio frigeſcere promoventium ardor videbatur: cum Palatinus Lublinenſis acceptâ Voce impetum fervoremque reſtituit. *Juſtas ſtipendiarii Exercitus vires anteacta Patriæ exigere pericula. quandò Reſp: Generalibus Equeſtris Ordinis viribus nimiùm confi-*

dens, pœnè se Imperiique Majestatem ac Potentiam in ultimum casum adduxisset. referebatque: magnas equidem eas esse vires; sed tardas & in Bellis, quæ celeritate geruntur Reip: improsperas, Expeditione Zbaroviana didicisse: in qua nonnullorum Districtuum Terrarumque Nobilitatem, quamvis strenuè manus conserentem, hostili ferro cecidisse. nec minus Berestecianâ clade fædatas & afflictas Regni vires. Utrobique infaustæ rei causam: quòd è longinquis Terrarum spatiis confluentes bellicæ Generalis Motus copiæ, post fortunam victis aut perculsis Reip: Exercitibus serum ac sterile auxilium adferebant. Fatigata omnium ingenia, ad Consensum Illustrissimus Regni Pro-Cancellarius acceptâ dicendi facultate impulit, ad metum & terrorem dispositâ vi dicendi: qui tum affectus, imminentibus ab Oriente periculis, pronis omnium animis accipiebantur. *Deplorato Magnorum Imperiorum, Consilio & armis apprimè instructarum Rerumpublicarum funesto constare experimento: quàm efficaces & terribiles sint infractæ Turcarum potentiæ vires: non modò ad unius alteriusvè Regni, sed totius fere Orbis ruinam & validarum excidium Nationum. nostrum robur famâ potiùs & existimatione apud Exteros constare. nam introspicientis penitùs Regni vires citiùs consternatio & pavor animum irrumpet, quàm fiducia excitabit. Falli enim Remp: Generali bellicæ Equestris Ordinis spetioso Expeditionis nomine, cui tantum per publicam decessit calamitatem; quantum post Occasum Solis Orbis Universi splendori derogatur. Eximit se imprimis Ducatus Masoviæ, undè non exigua virium pars Reip: esse posset ab onerr Belli, ob publicam Nobilitatis paupertatem. quando multis Nobilium ex nimia Generis Propagine arcta domi fortuna modicæque*

res,

res, vix ferro ad colendos agros; ne dicam ad justa adversùs hostem comparanda arma sufficiant. Dives commertiis & opibus valens Provincia Prussiæ, singulari Jure Legibusque sese tuetur adversus incommoda in longinquum hostem belligerandi; & quamvis aliquando Borussorum querelæ in Curia resonuerint: quod adversus Paganos ducti in aciem non fuissent: attamen generosi fervoris potius jactantia, quam virium confidentia fuit. Jam Terrarum Russiæ Satrapia, virorum armorumque ferax aut suis sese viribus confecit, aue alienis in spolium cessit. dignæ quondam ingenti æstimatione vires, modò vix considerantium admirationi sufficiunt. quas si fortuma publica voluisset concordes, habuisset ad Usum Reip: Dexteritas, domari Oriens poterat. nunc Reip: sæpius periculosæ quàm utiles; hostibus despicatui extitêre. Czerniechovienſis enim Districtus Moscoviæ Duci concessus est: Kijovienſis & Wolynenſis Palatinatus, adeò hostili ferro flammaque exhausti; ut præter. illustria Manorum olim auxiliorum Nomina, nihil amplius ad publicum Regni Præsidium conferant. In auxiliis Septentrionalis Ducis, ut parum fidei, ita nihil spei. converso etenim ad curas domestici atrociter flagrantis dissidii, externa libenter transmissurum. cùm super difficultatem Belli, virium quoque prematur tenuitate. cujus notorium indicium; quod Kijovia universum ferè deduxerit præsidium: quò rebus suis in arcto positis possit succurrere. Quarè Reip: nihil ad præsens utilius; quàm ut Pactorum Podhaiecensium approbationem publicâ declaret Lege & Rebellem id temporis Doroszynkium Ducem, quò magis addictiores Reip: Cosacorum Gentes in obsequio & fide firmentur, pro hoste Patriæ faciat publicari. Cùm ex Inferiori Moldavia continuò certis nuntiis adferantur præcustoditiones: ne tam grande metuendi

Belli

Belli discrimen, nostris viribus fucatâ rerum ducti opinione sufferri posse arbitremur, nisi Externas quoque bonorum Vicinorum vires in subsidium nostri ad manum habeamus. quid enim aliud Remp: ex atroci hostilis Suecorum tempestatis inundatione discusso Belli turbine, propitio jam rebus Polonis Polo serenavit? si non externorum obligata mutuæ amicitiæ commertio Principum potentia. qui per diversiones Belli, imparem simul Martiis operibus Suecum, interque continua fatiscentem discrimina & de Victoriis & de Vitæ illecebris spoliarunt. Magnum profectò in eo Bello à Cæsare Occidentis præstitum esse solidioris benevolentiæ Reip: experimentum. at eundem Principem non ita pridem Turcico Bello ingruente, cùm ad Universos Christianitatis Principes auxilia petiturus Oratores ablegaret: Nostram Remp: nullâ penitùs Legatione compellasse. quòd amicitiæ Nostræ seu diffideret, seu nimis arduum esse censeret: aliquid in Rep: & discordi & suspitionum plenâ obtinendi. Hæc & alia dum animo meo assiduè obversantur, plurimùm ad salutem Reip: conducturum puto, si Lege publicâ sanciatur: Ut Principi ex Senatus consilio cum Augusto Cæsare cæteris q; vicinis Principibus ex necessitate Reip: liberum sit mutuæ Conferentiæ commertium. Plus in ea Oratione Magnificentiæ & ingenii erat, quàm quòd ita penitus sentire videretur. Jura enim Legationis eripi Reip: & ad Jus transferri Dominationis firmandæ Majestati: quis in libero Patriæ Statu æquo ferret animo? & quamvis artificiosæ sagacitatis occultus aliquis Dominationis Provisor toto hallucinetur ore: id fieri ex Usu Populorum & potissimùm in Rep: turbulenta; ubi iniquitas Regentium, bono publico compensatur. quia habet aliquid ex iniquo omne magnum exem-

exemplum, quod contra singulos utilitate publicâ rependitur. Verùm eæ Artes in liberâ & sui Juris Rep: sine flagitio usurpari non possunt. nam præposterè Polona Resp: turbulenta, rectè turbata dici potest: quàm Casimirus Princeps turbare ipse aut turbantibus nimiâ facilitate fomenta præbendo inquietam transmisit ad successorem: & semel placitæ artes, ab iis; quibus honesta æquè atque inhonesta Principum laudare mos est, ad huc exercerentur: parum attentâ Rep: ad occultos conatus: dum inanibus, & specie necessitudinis falsò capitur. Inficiari equidem nemo potest, ratione & experientiâ edoctus: fœderibus cum Externis Principibus, virium combinatione, mutuis utrinque animorum colligationibus plurimum Imperiorum juvari securitatem, & ne facilè vi hostili doloque lædantur provideri. Sed ea iniri inscis Reip: Ordinibus; ad quos vetus Regni consuetudo, receptus mos, fundatæ longâ praxi Leges, ipsa denique Legibus ad Libertatem provecta Reip: natura, cuncta negotia referri jussit, Libertatis exitio propius est, quàm auxilio. Magnam olim in Romana Rep: ejusmodi Arcanorum fuisse curam; proindè talium consiliorum tædium, publicis commodis & sæpè Salute Reip: pensabatur: eædem, nec aliæ prudentiæ Rationes etiam conversâ Rep: (Augustum quò securius regnaret) intaminatè servarunt. tantæ Civilis sapientiæ Testis, Suetonius inquit: *quam ob causam Senatui reliquit Augustus sanxitque; ut de bellis Triumphisque Senatus consuleretur.* Enim verò hac speciosâ & fallaci modestiâ Augustus tot per annos Imperium Romanum continuavit & quietem Dominationi

conciliavit. Minor olim metus ſub Sigismundo III, periculi non adeò metuendi, translati in Domum Regiam Epiſcopatus Varmienſis, oneratique à Regina Hypotecariâ Summâ comitatus Zywiecenſis univerſam commovit Remp:, & Comitia Regni 1624*ti* ſæverioribus quærelis afflixit. ne Princeps aquirendo Poſſeſſiones Equeſtri debitas Ordini, ſuam extolleret Potentiam, Nobilium arctatæ vires opesque periclitarentur. Hinc emerſêre de Bonis Jure Caduco ad Principes devolutis Leges: ac ne Principibus ſanguinis, ſita in confiniò Regni tenere fas eſſet Fortalitia. nunc miſſo in receſſum publico decore; verſis omnium ad privatam utilitatem ſtudiis, cum externis Regibus paciſci Fædera, Jura Pacis Bellique excluſò Equeſtri Ordine tractari, miſeram nequidem advertere Rempublicam. His artibus dehoneſtari fines Imperii, integras à corpore Reip: avelli Provincias, periculoſa demùm inſenſibili malo Vicinorum Principum, nec minus magnis diſſitorum ſpatiis Regum, ſi quandò Remp: nimiùm proſperi vel multùm adverſi turbaverint caſus, Bella provocari. Sic Bygdoſcienſia cum Brandeburgico Principe Pacta inſcio Equeſtri Ordine coaluiſſe, & amiſſo inclyto Feudo ac nobiliſſima Provincia: quò dedecus Transactionis velaretur, ac ne ex Fiduciario Abſoluti Principis inſolita Remp: ſpecies offenderet; Lemburga & Bytovia opulenta in Feudum conceſſa ſunt Territoria. Hinc juſtæ bonorum Civium quærelæ & Equeſtris Ordinis fremitus; ob continuos in triſte ſervitium projectæ Nobilitatis gemitus: manus pro auxilio velut è limbo ad Patres conſcriptos Fratresque tendentium. Hinc in

in præſentibus Regni Comitiis auditæ Voces; an inſcio Tertio Ordine Pacta in damnum Reip: ſanciri potuerint? Verùm prudenter reſolvit Poſthumius ille, magnus in Rep: Romana Civis, ingenti Patriæ charitate ſæculorum memoriæ commendatus: *Sponſione, inquit, quæ injuſſu Populi Romani facta eſt, non teneri Populum Romanum.* Hac reconditâ occultæ ſolertiæ meditatione, exitioſam irrepſiſſe Artem: quæ dum firmat Majeſtatem, univerſam corrumpit Reip: Dignitatem. Vix equidem ſenſibile malum, ſed atrox malum eſt: eò deterius; quia occultius. Commeantes porrò ab Externis Principibus ad Remp: Legatos; nunquam in Curia Patrum ſpectari, nunquam eorum Legationes in facie Reip: audiri; non demùm in Senatus conſilio expediri. Sed paucorum miniſterio, de commodis & incommodis ad Univerſam Remp: ſpectantibus tranſigi. Fortè privatis inſtructas Mandatis Externi commertii Legationes, nihil commune cum rebus Reip: habere? ſed illud convincit rationem: quòd ſolùm ſub tempus Generalium Regni Comitiorum ſpectentur? quia in exactâ proximè ætate, omnes Legationes in facie Reip: expediebantur. & ſi fortè aliquando privatam Principum rem complectebantur: quemadmodum poſt Bonæ deceſſum Reginæ; proponebantur Reip: vel certè non occulebantur privata quamvis Principis intereſſa. nunc iteratas ab uno Principe & omnibus Comitiis Regni ſpectatas Legationes: quid velint aut portendant Reip:, penitus ignorari. Bellicoſæ & modeſtæ Dominus Gentis, Rex Sueciæ, ad Comitia Coronationis Extraordinarium miſerat Legatum. ad ſequentia infeli-

citer convulsa destinaverat Rex Angliæ. modernis Comitiis à Svecis & ab Hollandiæ Ordinibus visi sunt Legati, non auditi. Quid si Legationis ad Regem Sveciæ pro conservanda mutua Regnorum amicitia differretur destinatio? an non posset ei amica esse Resp:? nisi Privatorum indecora in comparatione, in præferentia publicis flagitiosa, prius interessa firmarentur. Ergò nil magis est in apertò publicæ expectationis, quam ut sensim publicum vilescat decus, Reip:, & vetustis Legibus & longâ authoritate subnixa imminuatur authoritas: utq; silenda taceam, quæ hinc ad interitum Libertatis emergere possent Artes; invento aliquo Tiberio spernendis rumoribus valido, dum adipiscendæ Dominationi consulitur. Sed ut ad rerum Ordinem redeam: non fastiditum longâ morâ tædium, non nox provecta consilia dirimebat, & quasi nimiùm adhuc consultandi supereset spatium, privatus quoque publici Scenam Consilii irrupit ambitus. deferente quærelam supremo M. Ducatus Lithuaniæ Exercituum Duce, ac urgente vindicationem calculi duodecies centenorum Millium à Successoribus Leonis Sapichæ magni olim Lithuanicarum copiarum Strategi. & quamvis illi Commissoriali Actu perfectum calculum produxissent; arsisset nihilominus Resp: privato certamine; nisi per Mareschalcum M. Ducatus Lithuaniæ Princeps declarasset: eam Actionem nullam habere cum præsentibus Reip: negotiis competentiam. Jam dies totâ luce comitatus in publicum prodierat; cùm vix concessâ modicâ rebus Divinis reverentiâ, reassumpta rursùs Sessio inter certamina, Danâidum opere ad

ad prodromum usque noctis fatigabatur. donec ad Instantiam Spiritualis Ordinis ob infaustum consulendi sacris diebus omen soluta est.

Duodecimo Calen. Octob. Capitaneus Radomiensis præoccupando consultationis fervorem, dignum moribus suis facinus ausus est. scilicet à Sede Principis ad latus Illustrissimi Mareschalci Equestris progressus; excusato impetu suo solennem Illustrissimi Archi-Episcopi fecit deprecationem; silente Primate. Debitam nimirùm Dignitati suæ censebat submissionem; nec quidquam ultra civilem modum, fatigatæ nimium existimationi suæ contigisse. Tandem Lex Auctionis Exercitus Regni victis contrariarum rationum impedimentis in Consensum publicum evaluisse videbatur, jamque Mareschalcus alterius negotii projectum Reip: modificandum objecerat: cùm Sarnovius Succamerarius Lencycyensis accepta voce ad materiam Auctionis Exercitus revolutus; captiosè eam stetisse Legem asseruit. Perculsus hac voce Director Equestris Ordinis; cùm pauca de modestia sua & inconcussa in Remp: fide præmisisset, unico vocabulo captionis, suam virtutem & cuncta Gentis suæ convelli decora acri conquestus est eloquentiâ. postremò impatiens doloris, satiandæ magnitudini illustris animi sui, cujus ferocitas partus est, sive ut se injurias segniter non laturum ostenderet, an ut ægrescentem animum quocunque solatio deliniret? ferociter protulit: eam equidem se libenter largiri Communi bono læsionem, dum icti violati honoris alibi vindicandi locus supereset. Eam Vo-

 cem

cem Succamerarius Lancycyenſis Vir ingenio ferox, modeſtus ſermone ſed ſenſibus violentus, acriori ultus eſt eloquentiâ. Micielſcius quoque SubJudex Syradienſis impetratâ voce: cùm diverſa ſe de ingenio Mareſchalci ſperaſſe dixiſſet, neque pro effuſâ in ſuum honorem decusque Fraternorum affectuum benevolentiâ ingrati animi manifeſta unquam exhibiturum ſigna in animum induxiſſet (promptum ad mitiora Mareſchalci ingenium, poſtquam deferbuerat) ad moderationem flexit. quam ille egregiè retinens; commotis multorum animis in tempore occurrit. Tum rurſùs Sarnovius acceptâ dicendi facultate nullius materiæ permiſſurum ſeſe tractatum, niſi prius Ordines Reip: ad Domus Regiæ condeſcenderint Circumſcriptionem. eodemque impetu calentis generoſâ animoſitate pectoris multa locutus de meritis Wiſnieviecii Ducis, Campiductoris Exercituum Regni, fidâ oratione magnam Virtutis ejus laudem præmiſerat. poſtremo adjecit: *Non modò Duci Wiſnieviecio, quo excuſatior ab invidia foret, verum etiam univerſæ Reip: plurimum expedire ſecuritati: ut Illuſtriſſimus Regni Campiductor, Legem patiatur ferri; quâ ab ambitu Sigilli & ultrò eum maximis quibusque ſequentibus honorum faſtigiis, ſit immunis. Minor olim cura immenſum Reip: affecerat Ordines, & ſuper ſparſas toto Regno querelas Nuptiæ quoque Vladislai IVti inſolitâ Principibus Polonis agebantur ſolitudine: quòd Regina Cæcilia, alibi quàm Cracoviæ Coronaretur. nunc futuri pavor, & in æquali Reipublica, ſemper domeſtico reſtinctus ſanguine Civium Exceſſus, tum vergentis Reip: debilitas & præteritorum ac inſtantium metus: quandò*

dò corruptâ Republicâ; miſera paſſim Libertas prout cuique neceſſitas aut occaſio privatæ utilitatis, nullo diſcrimine Ordinis, ætatis aut dignitatis obtentui ſumatur! paucas Voces exigui in publicum zeli è pectore bonorum Civium elicuit, velut fatuum è ſtupa ignem, quem nulla in rebus glorioſè propoſitis conſtantia ſequeretur. denique his transmiſſis, aliis compoſitis negotiis Conſtitutionum conceptus promiſcuè à Mareſchalco Equeſtri legebantur; & quamvis inſomnis labor à ſuo Officio excluſerat noctem, tamen adhuc fervebat juvandæ Patriæ in omnibus Conſilii ardor, donec dies maturo jam ſole Principem ac Senatum & feſſam irremiſſibili opere Tribunitiam poteſtatem, ad quietis interſtitium, Simonisque ac Judæ Apoſtolorum Sacrorum ſolennia evocaſſet. Proxima die lectæ ſunt ante omnia ab Exercitu Literæ, quas Deputati Reip: ad mitigandam militarem contumaciam ablegati attulerant. Intima Exercitus deſideria perſcripſerant: læſi nimirum Ducis ſui honoris reſtitutionem, præteritorum facinorum beneficio Amneſtiæ condonationem, & deſervitorum inſtantaneam ſtipendiorum exolutionem. quæ niſi cæteraque eorum poſtulata, accommodata præſenti uſui conniventia Reſp: pronò ad Seditiones Militi indulgeret, non occultas addiderant notas, quid Reip: expectandum eſſet. preces erant, ſed quibus contradici ſine manifeſto non poſſet periculo. Verum tamen memor Reſp: Majeſtatis ſuæ, quo inanem terrorem proſcriberet: pauca ex ſolita in Concives clementiâ indulſit, cæteris ſpretis aut rejectis ad futura Regni Comitia Inſtantiis. Jam alter in ſe-

met

met Comitiorum revolutus Menſis, & inquies cura, noctesque ſine ſomno actæ perſuaſerant univerſis conſiliorum Ordinem feſtinare. Igitur deſcenſum ad Declarationes Palatinatuum (quibus publicorum conſiliorum materias obſignari conſuetum eſt) quantum quisque Contributionum expediendis publicis neceſſitatibus largiretur. cùm propter diſcordes animos expediri minimè ſperarentur, multâ nocte tædioſa Seſſio dimiſſa eſt. Sequenti luce continuatæ Declarationes. verùm cùm Univerſæ Terræ ac Diſtrictus tres agrarias, nonnulli Palatinatus ſex Fumalia in exolutionem emeritorum militi ſtipendiorum offerrent, & largitio ac neceſſitas erogationum minimè inter ſe congruerent, iteratæ denuò Declarationes, & tum primùm exoluendæ apud Exercitum publicæ fidei omnium deſtinati conſenſu duo Milliones. ad cujus ſummæ proportionem: conceſſa ſunt decem fumalia cum Abjuratis per hoſtilem fundorum deſolationem, juxtâ Tarifam 166 primi, cujus Reſp: in Generalibus Regni Comitiis, magno labore curaque inſumptis ſemiduabus ſeptimanis vix adinvenit ordinationem.

Decimo quinto Calen: Octob. Magni Ducatus Lithuaniæ Nuntii ac proceres, continuatum per integram ferè ſeptimanam in receſſu conſilium, ne Regnicolarum turbarent conceſſum, aut ab illis turbarentur, magno negotio perfecêre: præſentato in Senatu per Mareſchalcum Licenſem (perpetui apud illos Officii Genus eſt) ſuarum Conſtitutionum parte. Sed poſtquam ad ſubſidia Reip: Bello Orientis juvando ventum eſt:

eſt: non debitas tanto periculo Communis Motus copias, non ulla Tributa concedebant, quidquid denique ab ipſis peteretur, omnia publicâ egeſtate ac tenuitate excuſabant. Verùm ſi id omninò ab ipſis Patriæ charitate, Supremo erga Civium Conſenſum Argumento exigeretur? petebant: ut denuò Regni Conventus, nimirùm Convocatio à Sereniſſimo Rege in eam neceſſitatem indiceretur. nec enim ſe tantis negotiis promptam operam accommodare poſſe, niſi prius Univerſa Magni Ducatus Lithuaniæ Nobilitas conſuleretur. & allegabant vetera Statuta Legesque de Contribuendi rationibus, non niſi ex omnium conſenſu concedendis; quibus præjudicari non poſſet. inſuper nullam in Univerſalibus Literis tantorum negotiorum factam eſſe à Principe mentionem teſtabantur. quarè contrarias datas eſſe Nuntiis à Nobilitate Inſtructiones, ne ullum penitus reciperent onus Contributionum. Fortè ominabatur Princeps, varios in diverſis eorum Palatinatibus Terrisque futuros ſuper eo negotio Articulos, & hinc diſcordiam inter partes emanaturam: at evinci facilius deſtinata poſſe ſperabantur; ſi intactam eam Materiam in omnibus Inſtructionibus transmiſiſſet. ſed Paceana ad id ubique ſuæ fortunæ præſens advertit ſolertia. Contumacem Lithuanorum animum Palatinus Lublinenſis argutâ oratione modicè viſus eſt flexiſſe. *Cur enim à defenſione Patriæ in ſuprema ejus neceſſitate debitam naturali auxilio ſubtraherent manum? itane ex vi Unionis, non dicam charitatis unius Reip: corporis ad ſubſidium Regni Ordinum non teneantur? an concuſſo Regni Statu, quod DEUS avertat,*

Leges inter arma retenturos ? Usum porrò Convocationis Magno Ducatui Lithuaniæ concedi non posse, nisi cum evidenti Unionis periculo : ne fortè tracta in prævum morem licentia, diverso Regni Conventu sua expediendi consilia, Generalium Comitiorum ruina acceleraretur, in tantum nihilominus posse indulgeri ; si præsenti Lege Magnus Ducatus Lithuaniæ cavere velit, quòd in quantum futurus Convocationis Actus disrumperetur, esset Principi facultas Nobilitatem M. Ducatus Lithuaniæ ad Martios labores evocandi. Hac discordiâ nil aliud quæsitum : quâm Paceanis viribus securitas & subsidium ; contrarius rei eventus, & repentina animorum docuit mutatio, non aliam fuisse intentionem. cùm enim ipsis conniventibus prævaluisset Pars urgens Exercitus dimissionem : neque enim sine stipendiis diutius sustineri poterat : secretioribus artibus & toto ingenio Paceani desudabant ; ut vetus miles & favore non modò Ducis, sed Gentis quoque ejus imbutus, pecuniâ, quæ pro dimissione contributa esset, Exolutione stipendiorum factâ, in novam militiam authorisaretur, ac penes eadem signa propitiosque sibi Mercurium Martemque Deos remaneret. Id unicum Paceanæ authoritatis ac fortunæ robur subverti, nullis Terræ Cœlique favoribus compensabile damnum, dum putant, haud falsò judicio æstimabant.

Igitur Pridie Calendas Novembris placatis Lithuani animis meliora spirantes, expetitam prius deseruêre Convocationem, promissis in omnem eventum Reip: subsidiis. Tantâ nimirùm mutatione agebant : apud quos cuncta Reip: decora, privatis respectibus viliora duce-

ducebantur. Nulla amplius materia restare videbatur, quæ optato Comitiorum fini negotium posset facessere, vel fatigatam tot certaminibus concordiam, fastiditis iterum implicare discursibus ; cùm incessit rursùm necessitas ob non correspondentem summæ vigesies centenorum Millium Contributionem, tertiâ Palatinatuum Declarationes repetendi instantiâ. Obluctabatur nimium in proferenda sui Palatinatus Declaratione Dembicius Vexillifer Sendomirienſis ; modica admodum concedens Tributa, quo cæteris Tribunis Equestribus majorem obluctandi occasionem non præberet, si suâ authoritate (quâ jam multis nimius erat) cæteros ad assentiendum trahere videretur. an id quoque Veteranus Reip: ex antiqua sibi usurpans consuetudine authoritatis, ut ad publicam munificentiam precibus Senatus flecteretur ? integra ferè nox in expeditione Declarationum albescentis diei canitie conspersa consenuit : tum primùm concessa ab omnibus Terris, Districtibus ac Satrapiis, quatuordecem Fumalium Contributione, publicæ necessitati subventum est. Nuntii Terrarum Prussiæ ex antiquo Provinciæ Instituto ad Conventus post Comitiales quantitatem qualitatemque contribuendi, acceperunt. Palatinatus Culmensis & Mariæburgensis Nuntii Mareschalco Equestri reddiderunt Declarationes, nil Functionis suæ derogando Activitati : diversam Nuntii Palatinatus Pomeraniæ dedêre Declarationem ; dum ingeniis Magnatum malè inter se cohærentibus, ad publicam trahuntur discordiam. Status Provinciæ rationes ab ipsis prætendebantur, sed immanis

privatæ ſpei rerumque reſpectus tegebatur. Properabat interim Mareſchalcus felici publicorum conſiliorum periodo inſignire fauſtam lætâ fortunâ diem, promulgatisque nonnullis Legum Conceptibus, quibus favor Exercitus & ſatisfactio quærebatur, quin plura in rem militis pararet, fremitu aſpernantium cohibitus eſt: erumpebantque turmatim voces, & Proteſtationibus ferociores minabantur, ut pro more Principi valediceret. nulla enim ſeſe permiſſuros in Volumen Legum, dum ſatis publicis proſpectum eſſet, privata inſeri deſideria. nihilominus tamen impetratâ Mareſchalcus audientiâ, tenuitatem proventuum Principis profeſſus eſt, petiitque ut Generale Regni Teloneum eo usque uſui Principis concederetur, donec bona Reipublicæ, Juribus Reformationis Sereniſſimæ Reginæ ſubjecta, ad veram ejus pervenirent diſpoſitionem: in eandemque formam recitatus eſt ab ipſo Legis conceptus. Igitur orto initie à Komorſcio Palatinatus Sendomirienſis Nuntio, alii quoque id Principis deſiderium difficultabant; donec apertè Vexillifer Sendomirienſis acceptâ Voce contradiceret: cæteri Nuntiorum tam arduum poſtulatum mirantes magis quàm probantes; ordinarios ſcilicet Regni Proventus, quibus extraordinariis Reip: neceſſitatibus ſubveniretur, ac ne Equeſtris Ordo exhauſto penitus publico ærario ſupervacaneis Contributionibus oneraretur, hoc olim beneficium à Principibus frugalitatis exemplo & benevolentiâ in Remp: certantibus acceptum eſſe prudentiorum plerique in mentem revocantes; ſilentio invidiam deprecabantur. contradictionis

nis Vocem, quo mitius acciperetur non fucato Dembicius ornaverat Principis commodo. nimirùm nullâ ratione ſe in eam conſenſurum inſtantiam; niſi prius debitas menſæ Regiæ proventibus Oeconomias, in Priſtinum Princeps Statum vindicaſſet. Adverſari ſanè Principis utilitati Vexillifero Sendomirienſi mens non erat: ſed quo nimii jam Regis ſuſpectus favoris, non tantùm Regiæ aucupator gratiæ, ſed boni quoque publici amans apud Populum haberetur. quæſierat etiam hoc medio, obtentum ferventi in Principem obſequio; ut ſecurior ab invidia hac velut rerum occaſione & impetu actus, futuris Regni Comitiis liberiùs in Poſſeſſores Oeconomiarum, ſuo graſſaretur ingenio. ſive expiſcandæ Populorum voluntati id uſurpatum: quò ut cætera, ita hoc quoque Principis placitum, lætis Equeſtris Ordinis acclamationibus firmaretur. poſtquam immobile omnium ſilentium, in proximò publicæ diſplicentiæ ſignum habebatur: irriti pudorem moliminis, velut ſeriæ contradictionis compoſitâ conſtantiâ velaviſſe. Secutæ dehinc nullo Ordine continuæ per tumultum Voces: quibus Mareſchalcus ad explendum valedictionis Officium ſine intermiſſione urgebatur; donec Secretarius Regni pro gradibus Majeſtatis conſiſtens, aſſignatos pro ſingulis Trimeſtribus Senatores in biennium Reſidentiæ cauſa promulgaſſet. obturbabatur rurſùs clamore & incompoſitis Vocibus Mareſchalcus; nec prius ſibi audientiam & quietem animorum apud cunctos, quàm lecto Comitiorum Receſſu, conciliavit. ex nunc itaque Inſtigator Regni ad thronum Principis

progressus, Decretis Comitiorum proscriptos, promulgavit. Tum Illustrissimus Marescalcus Tribunitiæ Potestatis toto vultu & corpore compositus ad venerationem; publico in Principem Equestris Ordinis affectui, verbis comptâ, auribus gratâ facundiâ, in ea prorumpens verba parentavit: *Ergò dum nullâ concussam protervià Rex Serenissime Domine Dne: Clementissime & jam jam optatissimâ publicorum Consiliorum floreſcentem prosperitate; posita in Auge Orbis Sarmatici Majestate, manifesta pudoris Virtutem Fortuna veneratur. neque aliter decebat: nisi ut fortunam Virtus præveniret. quandò amor Pacisque concordia comes, & firmata Legibus felicitas, unicam spem decusque suum Majestatem nimirum Serenitatis Vestræ, prosperè transactis Regni Comitiis omnes eluctata suspitionis difficultates, sincero in venerationem ruens, modò primùm Voto salutat: ego valedico. quandò antiquitatis gloria, illustris inclytorum Polonorum Virtus, candor, promptitudo & fervor, glorioſum Majestatis præsidium, & immemor vitiorum, efficacium olim pro Salute publica Consiliorum fama; ab ea pridem devia orbita, ad Sacra felicis throni Serenissimæ Majestatis Vestræ, discordi hucusque fessa labore dum regreditur limina, nos quoque revertimur. cedimus felicitati Tuæ, desunt jam aspera: ut tentatæ Dominationi serviamus. Ingens olim gloria & ob partam, magna inter avidi cruoris martis certamina Virtute laurum, insignis lætitiâ Romanorum Hæròs; si quid collisâ fragmentorum hastâ, aut robustâ dexterâ emissa reliquere tela, quòd hiantia non absumpsere vulnera, legebat: & egestâ cum lacrymis humo velut perennatura fido servabat monumento. tum fixis auspicatis Gentis suæ Aquilis, non alios ratus certiores sæculorum custodes memoriæ: infra-*

infractà demùm curâ & animosâ dexterâ projecta in unum spolia; in grandes & decoras firmando Pyramides: Trophæa appellabat, Lemmata addebat. ita demùm magno labore ac Virtute invictæ fortitudinis relinquens documenta; Victricem ensem, gloriosè inter triumphales quieturum lauros, ex acie referebat. Revertitur hodiè ex Palæstra certantium animorum pro felicitate Imperii Serenissimæ Majestatis Vestræ ingenito triumphans zelo ac Virtute, efficax proprii pectoris animorumque victor, fidelitate & amore satis sibi probatus, Orbi monstratus Ordo Equestris. imò ingenuitas, confitendi posuit necessitatem, eum non sine insigni experimento, ex hac descendere arena: dum concordium votorum, addictissimorum Serenissimæ Majestati Vestræ subditorum glorioſis illustratur manubiis, propriâ ejus Clementiâ victus in hoc fortunatè transacto Comitiorum Recessu magno Serenissimæ Majestatis Vestræ nomini consecrat. Dignus eras, à quo tandem vinceretur fortuna. Excellere profectò decore hæc spolia, virescere palmas gloriâ, excelsos trophæorum apices memoriæ inseri æternitatis; quos priùs constans Ordinis Equestris amor, quam demessorum luctuosâ strage hostilium capitum terrore accinctus, Martius extruxit fastus: salvum Regem in aperto Clementia præstabit. Nunquam adeò fidelissimorum Civium pectora, ulla sævientis fortunæ molimina terrori aperuerunt: quin valido robore firmatarum Legum, auspicata Serenissimæ Majestatis Vestræ in securo bearent primordia Imperii. Ortum fortunæ fatisque debet, redivivus ex duorum abortivorum cineribus, hic novus & auspicatò renatus Phœnix: Generalis Ordinum Regni Conventus. enimverò Originem ejus si quæras? Verus Polonæ Aquilæ pullus est: cujus ardorem in Campo Electionali vidit Orbis, nonnè ostendit constantiam? nunc vires & effectum

fectum largiendo Imperio, æternam meruit gloriam. quidquid enim gloriosâ non ita pridem generosi pectoris in Electione Sereniſſimæ Majeſtatis Veſtræ candidi & zeloſi obſequii expreſſit Vote; Vivat: idem non minus grato, quàm perenni in eodem ardore ferventium affectuum firmavit & ſtabilivit concentu; Pacem continuò & concordiam reſonando. Recipit igitur Sereniſſima Majeſtas Veſtra à Valedicentibus, ſed non ſubtrahentibus ſeſe ab expetito obſequio exhibitum qua latè patent famæ termini Majeſtati Tuæ ſtabilimentum. eam autem ſedem ſuperbos Orbis Principum Thronos prægravantem Majeſtate, quam in ſtabilibus inclytæ Nobilitatis ultrò oblatam accepiſti pectoribus, paternâ poſſideas benevolentiâ: ſatis firmàm Legibus adverſus temporum corruptelam & injuriam hominum. Nos verò immutato Gentilitiæ Majeſtatis Veſtræ Aquilæ lentâ ab initio fortunâ magnum expedienti curſum, hucusque ſervienti lemmate; lentè feſtina: hodie perfectiùs adjicimus ſanctiusque; procede & regna. & jam feſtinando cum humili oſculo ad innutritam beneficiis Sereniſſimæ Majeſtatis Veſtræ dexteram, ex manubiis triumphatorum pectorum noſtrorum immortale latarum Legum trophæum Nomini Majeſtatis Veſtræ & ampliſſimæ conſecratum venerationi, in perenne linquimus fœderatæ Civium benevolentiæ documentum. adjecto, quod candor & fides jubet exprimere: Quos verus amor tenuit, tenebit. His adjecit reverentiam & oſculum Principis dexteræ: cujus inſatiabilis apud Polonos dulcedo: quia immenſæ diſpenſatrix eſt munificentiæ. cæterorum deindè Nuntiorum, promptam ad par Officium, ſervato Palatinatuum Præcedentiæ Ordine excivit alacritatem. Jam nox diei lætum fauſtumque manè dicebat; verè illa, de qua Exodi duodecimo,

mo: *Nox iſta eſt obſervabilis Domini*; cùm Princeps publicâ manumiſſâ cærimoniâ, fortunato Comitiorum exitu, velut deſponſata ſibi ſuæque Domui Fortuna, nec vultu nec animo diſſimulatâ lætitiâ rerum proſperarum ordinem inſignivit.

Secundo Idus Novemb: quatriduo agitatum Senatus conſilium Principis Sententiâ reſolutum eſt. egregia Senatorum Vota tradere ſuperſedeo, quamvis illo concilio, neglectu poſtpoſita vel defectu Comitiorum omiſſa compenſari videbantur, *& omnium animos occupaverat pertinax opinio: poſſe Remp: priſtino flori ac dignitati reſtitui, ſi Regnum avitis regeretur conſiliis, & ſolùm ex ingenio boni publici latis ſanctè Legibus Reſp. adminiſtraretur.* Neque dignum erat ea omittere; cùm de Summis Reip: negotiis ageretur: reddenda ſcilicet ab extra fida Patriæ ſecuritate, & muniendi ab intra Rempublicam, ne exitioſiori malo hoſtili vi dolovè, diſcordiâ, tranquillitas ejus ab infenſis ad exitium raperetur. neque feſſis rebus, aliud commodiùs ſubveniendi tempus; dum Horodenſes Niſencesque Coſaci & cum eis Dux Hanenko, in Remp: fide amoreque certant; deliberat in Caſtris Exercitus: utrum plus militaris licentia; quam Majeſtas Reip: & fortuna Imperii poſſit? addiderat enim Bieniewſcius Palatinus Czerniechovienſis; Senator ſagacitate, judicio, experientiâ nulli ſecundus, & ſi recto judicio æſtimare velis, facilè omnium primus: *Ipſis rebus refutari famam, quæ de Principe Tartarorum Chano vulgaretur. quaſi ad ſubjugandam Ukrainam Turcarum potentiæ vires ſuas commodaverit. à quo Propoſito adeò Scyticas abhorrere Gentes; ut potiùs ſua de-*

ferta camposque solitudine gratos relicturi sint, quam accessu Ukrainæ circumseptos se ac penè clausos videre: dum grave illis & vix tollerabile in immensum extollitur Turcarum Dominium. Præoccupandum itaque publicâ Tauricæ Principem Legatione, firmandosque Regi in obsequio sibi ac Reip: ad magna usui futuros, munificentiâ ultroq; oblatâ benevolentiâ Cosacos suadebat: Simul instrumentum cum eis negotiationis, cujus in Generalibus Regni Comitiis rationem reddidisse debuerat, in manus Illustrissimi ProCancellarii, velut magni operis Sacrum deposuit. Similiter Gninscius Culmensis Palatinus Legationem ad Regem Sveciæ, qui iteratis jam vicibus Legatorum suorum officio dignitatem Reip: auxisse videbatur. Principi recommendavit. At Reip: Lublinensis Palatinus internæ Paci, efficatia quærens in consilio subsidia: eliminationem Articuli ex Actis Castri Syradiensis, de dimittenda à Supremo Exercituum Duce Clava, quandò occupata esset Regni Scipione dextera; quo unico medio componi posse animum Magni Ducis. nec aliter id posse fieri asseverabat: quam ut Nobilitas Syradiensis Satrapiæ, magnorum Virorum opera persvaderi, & ad id aut simile adduci possit temperamentum. adjecto quasi per intimam familiaritatem, vel studio de officio certandi; à nemine id efficatiùs præstari posse; quàm si non detrectent laborem Illustrissimus Palatinus Syradiensis & Reverendissimus Regni ProCancellarius: qui magnis ibi affinitatibus & numerosis clientelis abundarent. Sive præparato animo, seu fortuito ea Vox in publicum jacta, apud solertiores certè & cuncta rimantes magnâ invidiâ celebrabatur: tanquam motæ rei Author

thor monstraretur. prono ad deteriora interpretationum vulgo, ob similitudinem ac suspitionem facilè in quævis judicia prono. Verùm cùm in Senatus consiliis vis concludendi penes Principem sit. cui tamen; ut pluralitas Senatus Sententiarum velut mensura esset, insigne libramentum Dominationi prudens Legum moderatio posuit. sufficiet ipsius Principis Voto finire; qui accepto ab universâ Senatorum Convocatione consilio, factâ sibi per Mareschalcos attentione, & consurgente ad venerationem vocis Principis universo Senatu; omnes Propositionis suæ Articulos percurrendo, quid ex iis diligeret aut reprobaret, districtâ retulit oratione. *Felicem Comitiorum Coronidem publicâ equidem fletisse fortunâ, tamen ad huc multum supereſſe molis, in restituenda domi & foris conservationis Reip: tranquillitate. Superat hoc planè quascunque vires opus; ut liberis liberæ Gentis vocibus imponi possit: ne sentiant, quod velint: aut velint quæ jubeantur. in eo tamen promptam se daturum operam, ut magna nomina in futuris PostComitialibus conventibus apud Nobilitatem Palatinatus Syradiensis tantoperè ambitam procurent Articuli Eliminationem. quamvis nihil plus sibi ultra verba arrogans injuria, verbis commodè refelli potuerit, læsionumque quas securus invidiæ publicus commisit error optimum sit ac honestum in oblivione depositorium. Commissiones ad continuandam cum Septentrionalibus Gentibus perpetui Fœderis Pacem, simul qui fluctuantes Cosacorum animos in constantia fidei ac obsequii molli obfirment Tractatu; data sufficienti utrisque Commissariis Instructione sine mora expediturum: dilatâ ad majorem temporis opportunitatem ad Regem Sveciæ Legationis destinatione, quamvis nos & Remp: festinatis Officiis coluisset. At in-*

 gruente

gruente Bello, quod Universæ Christianitatis manus subterfugiunt: cùm certissimum tutissimumque sit in domesticis consiliis viribusque præsidium; quibus concordes aut malè cohærentes Ducum animi, maximum ad fortunam vel calamitatem addunt momentum, similibus commendatum Reip: casibus, libenter sese medium amplexurum: convenienti tempore & loco bellicum destinandi Consilium. Cæterum se animitùs precari, ut idem ac semper sibi constans Cæli favor, qui meam Fortunam auxit prosequendo; Salutem Reip: fovendo, publicæ adsit securitati.

ANNA-

ANNALIUM
LIBER V.
Actorum improsperè

ab DC LXXII. XXVI. Januarii Comitiorum.

JAm vires Rempublicam excisis tot Palatinatibus aut fractis hostili ferro florentissimis olim Provinciis, jam Opes, exangui Moneta in publicam inopiam versæ deserebant: cum rebus turbatis extremum malorum accessit discordia. Igitur inter affines fatali Revolutioni Reipublicæ motus: quando post peracta prosperè licet Comitia, Princeps ob suspecta suorum consilia, ac tardos miscentis sese armati Populi conatus, elusaque subdolo cunctationis ingenio, à Duce Prussiæ fœderata auxilia, diu cunctabundus: tandem Bello se adversus rebellem Cosacorum Gentem accinxit; positâque armorum sede Leopoli vix ingresso in hosticum Exercitu, fusi Rebelles, captæ aut excisæ Urbes, victa demum Ukraina, & statim amissa est. orto velut in publica damna infortunio, ex fœda ac Reip: quamvis labenti contumelioſa Auxiliatricum Magni Ducatus Lithuaniæ copiarum seditione; & prorumpentibus jam acriter Primorum Status Ministrorum malè tectis odiis: quæ præsentem Reip: Statum iniquè

ferentium invidiâ, peſſimè conſultis, & creſcente indies validâ ſeditioſorum Conjuratione aſperabantur. Inter has curas, & ancipites pro Patria conatus: quando non Leges; quæ vi, ambitu, continuò externâ pecuniâ & infami Civium in ſui perniciem obſepuio turbabantur; non Principes in Republica eſſent: quippè ruptis Coronationis Regni Comitiis, iterumque ſequentibus pari fato datis: Quartus qui coaluerat Conventus, contra ſingulas Conſtitutiones factis Proteſtationibus, vinculo Legum, publicâ ſcilicet authoritate deſtitutus, velut diſſolutus enervisque manebat, ac pœnè Principem in incerto Poſſeſſionis Imperii fecerat: Ordinibus Regni decimo quarto Cal: Januarii Generalia Comitia indixit. à fortunato eorum exitu integritatis Reip: expectans Præſidium, vel ſi concordia & unio animorum ſperneretur: Impietas in Patriam, contemptus in Leges, odium & irreverentia in Majeſtatem, atrox proditio in Remp: ſuis quæque vindiciis extrema & infauſta flagitia expiarentur. Quorum initiis modica Nuntiorum Terreſtrium frequentia, in Senatu ſolitudo erat. cùm multi Patrum quamvis Præſentes in Urbe, venire in Curiam gravarentur. Diſquiſitum triduò, quisnam Tribunitiæ Poteſtati præficeretur? ſummorumque in Rep. Magnatum, Inſignes Viri Inciſor & Enſifer Regni, favoribus attollebantur. ſed occultiori Conſilio & inſtructâ ſolertiâ, quæſita Martino Oborſcio ſuffragia. placebat in hoc Viro induſtria, dexter ad res quascunque agendas animus, nec minus tectum quamvis in multâ facundiâ ingenium; Verum ante omnia, fides de-

deſponſa & arcani ſilentium prævalebant. Hoc itaque Demagogo Comitia Regni ab inſigni Civium cæpere diſcordia: ne de tragico eorum exitu ultra ambigeretur. Uterque Magnus Regni & M: Ducatus Lithuaniæ Cancellarius; niſi injurias ferre non poſſe; parvi & anguſti pectoris Nominisque ſit, Atrium Libertatis ingreſſi ſunt: exonerabantque exulcerati pectoris querelas. ille tanquam ſuus honor magnitudine alterius vigoreqne gravatus eſſet: alter læſi nominis ſui Literis à ProCancellario Regni per Conventus Palatinatuum ſparſis vanam injuriam acerbis ſufflaminabat verbis. at quibus ProCancellarii honoris cura inerat, ad quam multi ſanguinis connexione, plures obvio obſequio effuſius ſtimulabantur, indecoris Vocibus obſtrepere (ut meritò quis ſuſpicari poſſet: Mareſchalcum Oborſcium tunc ignobile, Regimen ſupra hominum non humanos habuiſſe mores: adeò eâ tempeſtate priſca gravitas, conſtantia, Civilis fortitudo aberat, ut peregrinos Cives apud aliam Rempublicam loqui facilè exiſtimares) quas tantorum Procerum qualiscunque reverentia retinebat. poſtquam exivêre: ſtatim ProCancellarii Gener Succammerarius Ravenſis arreptâ Voce: *falſa eſſe quæ objicerentur*, diſſeruit. cùmque à Nuntiis M. Ducatus Lithuaniæ magnis clamoribus modeſtiæ moneretur, cultiùs ſe dicturum profeſſus: *Lithuanicam eſſe Impoſitionem*, protulit. ad quam Contumeliam, Univerſa Gens ita efferbuit: ut ſtatim de enormiſſima injuria ſua proteſtati, Univerſi M. Ducatus Lithuaniæ Nuntii ex Atrio Libertatis erumperent. In expoſtulatione à Princi-

Principe Vaccantiarum tardari Reip: negotia, eludi olim publici Consilii magnitudo aut necessitas solebat. tunc ante Vaccantia per integram ferè Septimanam vaccavêre Comitia, donec Regressu M. Ducatus Lithuaniæ Nuntiorum restituta Tribunitiæ Potestati Activitas fuit. Igitur Mareschalcus Equæstris sopitis velut discordiis ad reliqua negotia promptus; ut proferrentur Vaccantia singulos invitavit Palatinatus. cum interim obtrusa Comitiis remora, ab urgentibus, in deterius Reip: fata, inani & subdolo quæstu, distributarum quasi contra Leges, post decessum olim Notarii Campestris Vaccantiarum. cùm tamen dignis à Principe Civibus collatæ essent. Impetebatur potissimum in Palatino Lublinensi ratione solotfinæ ipsi concessæ Regiâ Munificentiâ, verum ipse altâ modestiâ & Principis ope pertinaciorem cæteris subdapiferi Varsaviensis impetum declinavit. Interim à Principe ore ProCancellarii requisita præsentia Equestris Ordinis, Vota Senatus à Primate Regni cæpêre. Is variè incusatis rebus temporibusque occultâ vi fati ad Principem translatis, & exposito immani Belli Turcici periculo: perstricta Principis tenuitate, dum quærit: an Princeps paria ad juvandam Rempublicam in promptu media viresque haberet? manifestæ cogitationis suæ & magni molimnis inditium prudentioribus prodidit. At ProCancellarius Regni deprompto egregio pro Rep: sensu, quibusvè mediis posset Reip: succurri integritati: *quas Dux Minoris Borussiæ ad Remp: prætensiones, quas Resp: ab ipso læsiones & justissimos prætendendi titulos haberet, quodque Ab-*

probatio

probatio Feudi Jurejurando Regis subsequi nulla ratione possit, nisi prius sublatis amicâ compositione abutrinque differentiis. Cætera in se aut præsentem Reip: Statum invidiosè jacta, quibus sine periculo intensioris odii responderi non poterat, alienâ facundiâ exercuit; retentâ modestiæ famâ. non tamen ideo M. Ducatus Lithuaniæ Cancellarii indomitam odii contumaciam lenivit. Protulerat ille in Voto suo salubre de Rep. consilium: & si Orationi affectuique simul posuisset modum, egregium quoque moderationis nomen retulisset. sed curruptum humani ingenii morem secutus: injurias ferrè Sancti & Religiosi Viri; ulcisci, generosi ac magnanimi esse: dum indè gloriam sibi quærit, infamiam non vitavit. quippè infenso animo, flagrantibus oculis, pallente Vultu, turbato magnâ ultionis cupidine pectore: dum singula verba in se dicta scriptaque nimium sollicitè refutat, additis in immensum contumeliis, in venerando Publicæ Pacis theatro, in Augustissima Curia Senatus, ad Aram Majestatis, in facie Reip:, in Sacrario publici Consilii novum criminandi posuit exemplum. Votis Procerum ad optatum magis finem, quam quod Reip: conduceret, deductis: modicus, peractâ Deliberatione, ne importuna sæpè Vaccantiarum instantia Vota Senatus præpediret, Declaratione Principis expeditas Vaccantiarum cursus, addita & Promulgatio Judiciorum in diem Veneris & Saturni Criminalium Causarum, Fisci, in reliquos Comitiorum dies ad Quinquediale tempus rejiciebantur. Nulla jam in proximo discordia, Hostium fortunæ Satelles turbare Remp: videbatur; propitiis

 etiam

etiam si per mores nostros liceret Fatis. cum duodecimo Cal. Februarii nova Erynnis turbarum jecit irritamenta. Accusabat Dzialynius Ensifer Terrarum Prussiæ Mareschalcum Curiæ Rebellionis Juris, petebatque à Tribunitio Collegio instantiam ad Principem, ut post Jurevictum, honorum Insignia & Præfecturæ inter cætera Vaccantia distribuerentur. verum erupêre in diversum sententiæ, & quia gliscebat certamen : remissa eâ die Publici Consilii cura. Iisdem quoque diebus magnæ Sessiones Majoris Poloniæ apud Primatem Regni, Minoris in Palatio Reverendissimi Episcopi Cracoviensis agebantur. nomine facili tandorum Reip: negotiorum prudentiores quoque Viri fallebantur : Comitiale interim tempus periclitabatur. nihil in privato, idem tantumque in Publico concludentibus. Cosacis Zaporovienſibus in Anticamera privatam Princeps largitus est Audientiam. Eadem tempestate Illustrissimus Regni ProCancellarius per Urbem jussit ire rumorem Abdicationis sese Magistratu. seu tædio curarum, sive ad declinandam quæ tum maximè in ipsum sæviret invidiam ; an occultiori solertiæ quæsita fortunæ auspitia: quæ si provenissent, in caput inimicorum periculosiori refluxu recidebant injuriæ. multi inani judicio priora probavêre : vera eventus docuit.

Decima quarta Cal. Februarii Ablegatus Joannis Casimiri olim Regis Poloniarum Literas Mareschalco Equestri ad Collegium Tribunitium dedit, quarum præscriptus ex veteri fortunæ recordatione fuit titulus:

Joan-

Joannes Casimirus DEI gratia Rex Poloniæ Magnus Dux Lithuaniæ &c.

mirumque quam grandi assensu totius Collegii celebratus. verùm quia in liberis rebus publicis Tituli Imperii, Juribus nascendi non trahuntur : intercedere ne legerentur glorioſum duxi amore Reip: & Reverentiâ Majestatis, quarum integritas levibus propalam, sed in occulto gravibus ultròque accitis lacerabatur injuriis. prolatum ad alios studium, celebrabatur Sententiis : donec Marini Legatus irritus abiret Voti, quod non ritè attulisset : dicente Mareschalco Sessioni finem. Sequenti die Succamerarius Calissiensis Tribunitiæ Potestatis Præsidem ad monuerat Deputationis è Collegio ad Principem : ut Pacta Bydgoscientia Electori Brandeburgico Jurejurando confirmare dignaretur. id quando neque pro Dignitate, cujus tum apud prodigos & furentes minima jactura, neque ex securitate salvâ Rep:, nisi prius data à Principe Brandeburgico condignâ Reipublicæ satisfactione fieri posset, intercedendo : rem integram melioribus Reip. consiliis temporibusque servavi. Voluebat interim Ensifer Terrarum Prussiæ quærulo pectore dolorem, & quia non modo non succurrebatur, verum à Tynnitio Nuntio Palatinatus Sendomirienſis asperius verborum acrimoniâ, quam Civis cui omnia volenti in Libera Rep: licerent, impetitus esset ; impetrata voce : instructâ Oratione, quæsito Causæ suæ favore, cujus tum magnam

copiam Patronorum ultrò ſponteque accedentium habebat. multis ſtudio, quibus omnis in turbido ſpes & conſilium: honeſtioribus oblatâ occaſione atrox Reip: parantibus fatum & quemque motum, cujus ſe autorem eſſe pœniteret, dum flagitio occaſio quæritur, alacriter ferentium. poſtquam finiverat; interjectâ Proteſtatione violentus ex Atrio Libertatis erupit. ſtatimque cognitum: plus nocere exempla, quam mores; ubi in ancipiti ſtare Virtutem, & corruptæ Libertatis vim, non niſi depravatis moribus obtentui à civibus ſumi. hoc enim facinore, velut è veteris Reip: glorioſo ſanctoque more invitatus Capitaneus Braclavienſis alter Promethei frater ore & pectore igneus, æſtuantis vocis hianti ſtudio, laudato conatu Enſiferi Terrarum Pruſſiæ, ſe quoque oppreſſum ab Inciſore Regni immane quærulando: niſi ſibi ſuccurreretur, ſimili ſuas læſiones remedio vindicaturum minitabatur. Die quem Numen ſacrum eſſe juſſit peracto in Templis Magni Dei cultu: Deputatis, quos non alias. Nobiliores Exercitus Regni ad Comitia miſit, data à Principe in Senatu proponendorum deſideriorum facultas. Tandem cum honore dimiſſis. Princeps quò diſſimularet Civium conatus, quibus Majeſtas ejus & Reip: ſalus dignitasque in præceps dabatur, ac firmitudinem animi adverſus triſtes malignantis fortunæ caſus monſtraret: tum ne juſto dolori mæſtitiæq; ſe parentante, exlex peſſimorum malitia laſciviret, ſacras Bachi ferias triduano celebravit Convivio. Joviali Genio & morum elegantiâ lætitiæ, quam triſtibus facilior curis. Attratus Cinerum Dies, pullata circa Comitiorum

rum ſalutem reduxit Conſilia. tanto lugubriora, quantò ſublatâ conſulendi Activitate, non jam infortunatus Comitiorum exitus, ſed tantùm Patriæ calamitas, & triſte Reip: Fatum differebatur. Deliberationi tamen commodatæ liberæ Voces: & cum alii Deputatione ad Enſiferum Terrarum Pruſſiæ, demulcendum eſſe ipſius animum cenſerent; ne Conſilii Statum, ne ſupremum in Conſenſu Populi Arcanum, exitioſâ contumaciâ perverteret. reſtitit Capitaneus Oſuiecimenſis, uſurpatâ dicendi libertate, illud feruenti facundiâ celebrans: *Non eſſe tam nocivo obnoxiam undequaque læſioni Remp: more affligendam. nam ſi privatorum ambitus vim Comitiorum naturamq; reſolverit: Bonum publicum, dum illicita prævalent, in publicam calamitatem degeneraturum. nec aliam eſſe originem converſæ in deterius Reip: Formæ. At præſentium Comitiorum malam ſortem hinc eveniſſe: quod ſupremis jam inſtantibus Comitiorum diebus, nondum ritè expedita videri Vaccantia, omiſſam eſſe lectionem Pactorum Conventorum, non reddita Senatus Conſulta, grande Equeſtris Ordinis Arcanum. quibus exceptis: deliberaſſe quoque de iis Tribunitium Collegium par fuiſſe:* Miſſi nihilominus Deputati, pluribus molli manu acerba tractanda eſſe vulnera cenſentibus. poſtquam redierant, retulere de ejus redeundi facilitate: dummodo Tribunitium Collegium Legatos ad Principem mittere dignaretur, qui Caſſationem Salvi Conductus Mareſchalco Curiæ in cauſa ipſius à Principe dati obtinerent. Ea Legatio quoniam ſine Activitate expediri non poterat: irrita fuit. Vigebat adhuc diſcordia, & Capitaneus Braclavienſis intentus ad omnia, nova ſemina cauſasque jecit quæſitâ induſtriâ

Confuſioni. objiciebat Inciſori Regni Bannitionis pœnam, exarſerantque animis, ferociùs quam prima offenſionum facies ferre ſolet. Lukomſcius etiam quaſi in turbulenta Rep: aut Legibus locus, vel Civibus amor recti, ſeu Magiſtratibus Virtus eſſet & conſtantia Magnitudinis ſocia: cum magno doloris ſenſu; gloriosè magis quam opportunè incuſavit. Virum egregium Nobilem Jeczman, qui Cynakium cupreæ Magiſtrum officinæ è Livoniæ Metropoli transvehentem in Ditiones M. Ducatus Lithuaniæ materiam, è qua viliſſimos aſſes cuderet: atque hinc falſificationis Monetæ manifeſtè reum in Præteritis Comitiis detuliſſet: non modo in Judiciis Comitialibus tam honeſtæ cauſæ meritum amiſiſſe, verum etiam quod deteſtabilius pro præmio gloriaque virtuti debitis; Seſſioni Turris adjudicatum fuiſſe. Nec ea quaſi levia cenſenda eſſe, dum peſſimis Reip: temporibus imputantur. quando in miſera Rep: præcipiti Potentiſſimorum Civium ambitui, cum ſumma injuria Boni communis per dedecus publicum gratificari ſuprema Lex neceſſitasque erat. adeò tum inter flagitioſos mores & fædam temporum corruptelam, anceps Reſp: agebat.

Secundo nonas Martii revocatus Enſifer Terrarum Pruſſiæ ad Conclave Nuntiorum, ſpetioſis, quas expreſſerat magnâ temporis jacturâ conditionibus, ipſe jactabat, ideò ſe tantùm veniſſe: ne Deputati Militaris Ordinis honore Deputationis apud Collegium nuntiorum fruſtrarentur. Reſtitutâ itaque Activitate excepti magno venerationis cultu à Mareſchalco, Audientiam habuêre. quorum nomine Eques Maltenſis, non horridos & incomptos

comptos ſenſus militari ingenio, ſed mollibus inſtitutis & delicatæ familiarem diſciplinæ, terſam & fluentem facundiam protulit. Inſtructionis Exercitus Regni præcipua fuêre Puncta, quibus multum è Rep: petebatur. *Nimirum ut Decretum ſuper Sereniſſimo Principe Caſimiro latum in Commiſſione Radomiſienſi ratione Quartæ ab Adminiſtratoribus Bonorum Æconomicorum Wodzicki & Kotowski non ſolutæ, Comitiali Sententiâ caſſaretur. Illud quoque ambitioſis precibus à Rege poſtulabant. ut conſvetudo obtineret, quando per modeſtiam Legis Privilegium non urgerent: quò ad modificandæ Caſtrenſis Ordinis deſideria Rex Sereniſſimus ex Senatu, Mareſchalcus Equeſtris ex Collegio Nuntiorum aſſignare dignarentur. Sed altius penetrabat illa Inſtantia, non ex veteris diſciplinæ modeſtiâ ingenioque ſumpta; Ubi parendi potius amor, quam Arcana Reip: Status irrumpendi ac militari licentiæ conſulendi ſtudium erat. ut Duces Exercitus inſtitutâ Judicii formâ omnes militares cauſas ſine Appellatione ad ulterius ſubſellium, abrogato penitus Tribunalitii Areopagi Militarium Cauſarum Regeſtro, abſolutam haberent decidendi facultatem.* Finito copioſo variorum Votorum catalogo Mareſchalcus patheticâ Oratione delinitis eorum animis, humaniſſimè dimiſit. Converſus deinde ad ea, quæ tempus monebat facundâ comitate univerſum Collegium invitabat: ut Conceſſum Patrum circumfundere vellet; quo Inſtantiæ Enſiferi Terrarum Pruſſiæ ſatisfieret. & quoniam ſiſtendorum in Atrio Libertatis Conſiliorum ſuprema dies adeſſet: inſiſtere una Concluſioni Comitiorum vellent. Id cum aliter fieri ordinarius procedendi modus non permitteret, neq; aliter Patrius mos ferre poſſet, erupêre tamen diſſonæ

multo-

multorum Voces. ſive familiari jam quæcunque loquendi licentia, ſeu effreni immanis diſcordiæ furore fatalem experimento Regreſſum ad Atrium Libertatis poſtulantium. obtendebant in publicum exitioſi Legem 30*mi* tertii, cujus concludendorum Comitiorum Ordinatio eſſet: ut Mareſchalcus cum togato Equeſtri conſilio, non prius Senaculum aſcenderet, antequam publico paratas Conſenſu manuteneret Conſtitutiones. Pauci qui Regreſſum vetabant; flagitioſum Libertatis abuſum, funeſtumque laceratorum Comitiorum Exemplum allegando, improbabant. quorum è Claſſe Succamerarius Caliſſienſis illuſtrem Sententiam prompſit. Damnato triſtibus verbis Regreſſu, poſſe & Legi ſatisfieri aſſeveravit: *Si Mareſchalcus ad Aringam Comitiorum de ſecuritate Reip: Auctione Exercitus firmanda, adderet Conſtitutionem; cujus ſcriptum in Archivum reponeretur. ſic Legem non eludi, nec apparatus bellici rationes hoſtibus evulgari.* obſtitit Enſifer pertinaciter Regreſſum urgendo. undè extractâ in ſqualentem lucem ſeſſione, cujus Reaſſumptio ſequentis diei poſtmeridiano tempore deſtinata eſt. Igitur ubi venit Privilegiata Equeſtris Ordinis dies, quâ unione Tribunitiæ Poteſtatis cum Senatu, miro quondam gratoque Trium Ordinum Conſenſu Univerſæ Reip: ſalus Dignitasque attolli conſueverat: Proteſtantis contumaciâ inter incerta & lubrica diſcurſuum diſtrahebatur. donec per Deputatos alternis vicibus miſſos revocatus Enſifer, miſeram Tribunitio Collegio Activitatem reſtituit. Sed rursùs quando non omnia pro voto ſuo (neque ulli Civium jam pridem in corrupta Rep: ea felicitas;

licitas; dum in Familiis privata cuique utilitas, & multi in degeneri pectore ad inhoneſta ſtimuli, ac vile jam decus publicum) obtinere poſſet. audentior factus ſuis & Reip: malis, dum impunè peccare licet, cum Proteſtatione erupit. quaſi afflicto, ſalutare remedium eſſet: perditâ Rep:, unà perire.

Ipſis Non: Martias ſilentio aut vagis diſcurſibus blandiente infauſto tempori Nuntiorum Collegio: Deputati Hanencii Coſacorum Ducis Mareſchalco Tribunitio Literas ad Equeſtrem Ordinem reddidêre. Iis multùm nec ex ingenio militaris cultus, quæſtus eſt: *quod Exercitus Regni commeatu & copiis validus, quando præmanibus de hoſte Victoria eſſet, ac ſpes votumque recuperandæ Ukrainæ, jam pænè in certum indicium effectumque tranſiierant: reliquiſſe erepta hoſti Caſtella, & partas cruore pancraticoque labore Ditiones, crudo ſuſpectoque triſtes voluente curas conſilio in viſcera Patriæ retroceſiſſe.* enimvero id ſilentio omnium ut atrocius vero transmiſſum eſt. Poſtquam diſceſſerant. cùm plurimi interlocutoriè cenſerent, mittendum eſſe ad Enſiferum Terrarum Pruſſiæ ut Activitatem ſqualenti Atrio reſtitueret. contradixit Capitaneus Oſviecimenſis, uſurpatâ voce diſſerens: *Abuſum eſſe non ſine gravi hujus Sacrarii Libertatis præjudicio Enſiferum Pruſſiæ vocis libertate: quod prolapſâ die à Mareſchalco Equeſtri Solutionem Seſſionis poſtulaſſet, in termino eundi ex lege ad Senatum: quod non niſi omnium Ordinum Conſenſu accedente, fieri potuiſſet pariterque debuiſſet. quare tam nocivo procedendi modo, non tantum Legem* 30mi *tertii & Sacram Ordinationem Comitiorum, verum etiam Conſtitutionem de Vaccantiis, quæ ſolùm Vaccantia ad na-*

turam purè Vaccantiorum extendi permittit, ſub iniquam Legis interprætationem ſuum trahendo privatum intereſſe violaverit. At Legem de excipiendis Senatus Conſultis in præſentibus Comitiis pœnitus oppreſſerit: ipſaque Comitia ita diſtracta, afflicta, & in turbido reliquerit; ut nullam faciem publici Conſilii præſeferre videantur. Tot itaque Deputationibus præcariam contumaciæ neſciam ſervire Dominam & olim ſine Socia felicis Imperii licentia ſui Juris vidêre Libertatem, indignum cenſere. quam indignitatem, ut ferre ſe non poſſe, ita ampliùs ſpectare, intollerabile duceret. Hæc effatus, ex Atrio Libertatis æſtuans, magnosque gerens ſpiritus exceſſit. Torpere hinc omnes & frigeſcere in ſingulis invalida conſulendi libertas videbatur, quando Deputati Senatores nomine Principis & Illuſtriſſimi Senatus Tribunitium Collegium ad debitum conſultationis locum (utinam more & fortunâ Romana ad ædes Concordiæ) invitando: excitavêre fervorem in multorum, gravatis jam, plurium abjectis ad negotia publica animis. Itaque poſt tot conatus fruſtrà habitos misêre tamen Deputatos, quorum operâ reductus Enſifer Terrarum Pruſſiæ. Poſtquam de revocatione ſalvi Conductus ſibi præcaviſſet: ac univerſi publica deſideria Inſtructionibus contenta in Senatu promovendi libertati ſuæ præcuſtodiviſſent: Mareſchalcus Equeſtris accepto Svadæ ſuffragio ad exolvendum uſus Tribunitio Collegio gratitudinis debitum, dimiſit Scipionem: ſimulq; ore Nuntii Poſnanienſis anxiis curis ſuis & illuſtri labori debitam recepit Venerationem. Circumfuſæ ſtatim Senatoriæ Curulles erecta intentaque ad omnia Tribunitia Poteſtate. Verum ubi langueſcente motu

motu reddita audiendi dicendique quies, Tribunitius Demagogus illuſtri Oratione Principem veneratus: lectionem poſtremò Pactorum Conventorum, Caſſationem Salvorum Conductuum in perſonales Condemnationes contra Leges conceſſorum: ſpecificè verò in cauſa Enſiferi Terrarum Pruſſiæ petiit. Exacta jam dies erat, & omnia ingruente nocte confuſioni propiora. hinc arrepto impetu & oblatâ occaſione ferocior, impetratâ Voce Enſifer, in Mareſchalcum Curiæ invectus, Condemnationibus convictum arguebat; & quaſi poſt diminutum capite prærogativas honorum & beneficia Regalis munificentiæ pro Vaccantibus declarari contendebat. At Mareſchalcus Curiæ plenus animi, quamvis dolore & ægro corpore fatigabatur, conſtanter diſſeruit: *Neminem ſanæ mentis mortalium in objectis Condemnationibus perſonalitatem ſuam approbaturum. imò quid ſentiendum eſſet, de projecta Enſiferi audacia, cùm ipſe ſeptuaginta Approbatis Bannitionibus teneretur; anxiè requirebat? ſed quæcunque ſors juſtæ cauſæ affuerit, licet iniquâ impetitione, conſecratum conſtantiæ animum juxta & moderationem ſuam minimè concuſſam eſſe: attamen nonmodo Judicium Reip: ſeſe non ſubterfugere; verum etiam ſolenniter id à Majeſtate & Republicâ ſplendidiſſimo de genu petere obſequio.* Rurſus Enſifer acceptâ dicendi libertate; Judicio ſibi in re Judicata minimè conſuli aſſeverabat: perſtabatque acriter in objectione Loci Standi. Erubeſcentis ad ſua flagitia Reipublicæ facies, ſanctaque Legum Reverentia cùm vincere non poſſet, turpè digladiantium controverſiarum velut in arena tædium obtinuit: ut tandem à Regni Secretario

Pacta Conventa legerentur, Rationibus Senatus Consultorum Principis à Throno Declaratione in sequentem diem sepositis.

Secundo Idus Martii, rursus Ensifer Terrarum Prussiæ, magno Mareschalcum Curiæ exercebat certamine, sed cum nihil post iteratas objectiones proficeret, consensit permissivè in redendas Rationes Senatus Consultorum, quorum novem super dena lecta sunt. Cuncta ferè Consilii capita, non modò cum Rationibus Status Reip:, sed etiam cum opportunitate temporis, quod optimorum Consiliorum indicium est, mirè congruebant. Insignes cæteris candore in Remp: & solertiâ fuêre, Deliberationes: Satisfactio nimirum ratione Elbingæ Principi Brandeburgico; quæ ad totius Reip: Ordines rejiciebatur: susceptâ auxiliorum offerentiâ. sed quia serò & post necessitatem Belli dabantur, in commodius Reip: tempus, maturioremque subveniendi exigentiam, fidemque sepositа. Fædus quoque mutuæ Defensionis & Amicitiæ cum Statibus Hollandiæ initum, quo salvis vectigalibus damnatoque omni majorum Civitatum Terrarum Prussiæ præjudicio, in Portubus Reip: concessa libertas Commertii. & hæc quidem jucundiore verborum apparatu ornata audiebantur: ne Pruthenæ Provinciæ animus alienaretur, quam quod tam levia Hollandis mercari mens studiumve esset. Expeditis rationibus Senatus Consultorum, favorabiliter velut oblatâ occasione justificandæ suæ innocentiæ ProCancellarius Regni acceptâ voce: ab objectione implacabilis pertinaciæ iniqui odii Magni Cancella-

cellarii Magni Ducatus Lithuaniæ orsus est. cùm velut signo dato ex composito prorupit universum M. Ducatus Lithuaniæ Nuntiorum agmen, certatumque dissono clamore & minaci fremitu: dum Regnicolæ Libertatem Vocis Senatoriæ tuentur, illi indita & jussa pervicaciter exsequuntur. donec invitatus à Principe Illustrissimus Regni Primas & Majorum Gentium Patrum potissima pars, quorum studio & lenibus verbis pertractus ad Principem Pac, initâ reconciliatione ante Thronum Principis cum Olszovio amicitiam redintegravit, finemque ominoso Senatus dissidio fecit. ProCancellarius quoque M. Ducatus Lithuaniæ splendidus Princeps, Magno Ducatus Cancellario data in signum mansuræ velut concordiæ dextera, scenam illustraverat. tum cæteri comparticipes læsionis, aut exercitis noti odiis, tanquam ad letheum fontem oblivionis molestiarum, an potius passionum animi vocabantur. Ensifer etiam Prussiæ, medio concedendi sibi Rescripti, authoritate manus Principis, Regni Primatis & Demagogi muniti acquieverat: ut Decreta Tribunalitia in causa ipsius lata, vocare indubium ampliùs jus fasq; non esset, sublato valore Salvi Conductus Mareschalco Curiæ ad Jure agendum concessæ facultatis. Ita absumptus per spetiem publicæ concordiæ dies. Si rectè æstimes: gravioribus jam, ob spretæ Reip: Majestatem, & invalidum, ob publici Juris contemptum, Legum auxilium, ludibriis, quam malis. Et quia nihil in publicum Optimatium Consiliis proficiebatur, prævalentibus ubique Popularibus studiis: conversa Resp: ad gravissimarum

materiarum Tractatum, per media Deputationum. quarum cursum Judex Ravensis interrupit: arguens, Deputatis non exquisito omnium Consensu id provinciæ imponi non potuisse. Verum Mareschalcus Equestris, quo afflicto undique consiliis statu tempestivum solatium sua industriâ adferret: legit Conceptum Constitutionum quæ ad Securitatem Reip: & augendam tuendamque cultus Divini Religionem instruebantur. paulatim hinc nati discursus: agebaturque dies exclusis negotiis vano Verborum apparatu. donec vergente Sole, sagaci ac utili consilio à Throno Principis ProCancellarii ministerio, ab Equestri Ordine Comitiorum Prolongatio requisita est. omnium in eo Consensus. sed multi præcavebant, moram trahendorum Comitiorum non passuros, nisi in solis Rationibus firmandæ Reip: Securitatis. Postquam citantis Mareschalci Album ultimæ clausêre Declarationes: junctissima dies communi Consilio destinata. Igitur repetita in Palatio Principis selecti Senatus Equitisque circa materiam Securitatis Reip: Deliberatio. cui impetus quæsitus ex Literis Supremi Exercituum Ducis ad Principem datis. *Magnificæ erant, & ultrò ambiguo sensu attollebantur. Damnabat reddentæ Turcarum Sultano Ukrainæ Consilium. & rursus utilitates, si Resp: tanto pignore à tam potenti & metuendo hoste Pacis sibi bona conciliaret, edisserens: hæc illavè probaturus, prout invaluissent. Addiderat etiam liberaliori genio expeditius jam censendo; quasi salubrius & à Populi invidiâ remotius Consilium: cuncta concedendi Doroszinkio Rebellium Kosacorum Ductori, ut ejus ope Viribusq; Ukraina ad pristinum obsequi ac fideli-*

fidelitatis statum reduceretur. Id medium amplexus Illustrissimus Regni Primas. inter alia retulit: Posse sapientiâ & industriâ Supremi Exercituum Ducis & in eum Doroszinkii confidentiâ pariterque affectu, cujus ob acceptum vitæ beneficium debitor esset, facilè obsequio Reip: restitui. si Supremo Duci occulta à Rep: sed plena Potestas concederetur; ingentibus quanvis promissis Doroszinkium ad Usus Reip: pertrahendi. Sed quis in perfido & infenso Reip: animo, jurato velut ad Aras Annibale, constantiam fidei expectaret? multò magis candorem & finceram erga Remp: benevolentiam requireret? Is Prejectus velut altiori indagine dignus silentio transmissus est. Modus porro parandæ pecuniæ in militis Delectum, qui bis denis supra triginta millia copias expleret: cùm in quartam partem anni, tres Milliones & quadringenta millia desiderarentur. ad subitam necessitatem oppignorari clenodia Regni placebat: dum interim de singulis capitibus Census per singulas anni portiones magnâ curâ exigeretur. Sed nihil in eo consilio concludi potuit, ob intempestivam Nuntiorum libertatem, qui Consilium illud, etiamsi Deputati à Mareschalco Equestri non fuissent, spretâ Libertatis disciplinâ ac modestis Veteris Reip: moribus turbavêre: cuncta negotiorum, quamvis nihil unquam in summa proficerent, ad Universam Remp: vocando. in qua olim non illud, apud universos omnium suffragio tractabatur; quod favorabiles multorum meruissent voces: sed quod totius Reip: saluti ac Universis prodesset, salubre ac in Publicum utile putabatur. Postquam in Senaculum convenêre:

venêre Ordines, consumptus perdiscordiam dies. ægrè permisso Mareschalco, ut Deputatos ad Sessionem Moscoviticam destinaret. Supplementum Legatis à Rep: ad Magnitudinem Ducis, Septentrionalis Dominii missis petebatur: quò fluctuans jam apud lubricam Gentem Fœderis fides, mollioribus licet ex temporum necessitate mediis firmaretur. Nihilominus tamen & in plano quæsiti montes. SubPincerna Kijovienſis protestando excipiebat: ne quidquam Illustrissimi Deputati, præsenti Tractatu, Pactis Androszovienſibus præsumerent derogare. Posterâ luce multum temporis traxerat consultatio Tractatus Moscovitici. Nihil tamen concludi potuit; ob discrepantes in diversum sententias: quamvis in spem melioris consilii super tenendum Secreti Sigillum, conscientias suas reverentiâ Jurisjurandi obstrinxissent. At in Senatu longè confusior omnium Consiliorum facies. tantum strepitus & fremitus, & furoris funerisque pereuntis Reipublicæ supremum malum confusio. Introducta materia aggravationis per Hybernorum impositionem Terrarum Prussiæ; statimque summo clamore rejecta. Solam Securitatis Reip: materiam universi sese tractaturos profitebantur: at diversa, & quandoque sibi ipsis infesta afferebant. cùmque alia nullatenus succederent salvandæ Reip: consilia: proposuit Episcopus Posnanienſis Confæderationem Tyszovienſem amplectendam esse, solenne totiesque practicatum fortunati exitus experientia medium. quo & Confidentia, publicæ concordiæ anima. Civibus restitui posset, & certum sibique constans Resp: sine scissione adver-

adversus occultos & apertos hostes virium suarum haberet Præsidium. Intercluso die atratâ fluentis Hesperi togâ, id quoque consilii neglectum. nec à bonis Civibus promoveri poterat: quia luminis usus prohibebatur. Piasecinscius namque Capitaneus Braclavienſis, Regis Ephæbos faces ad latera Senatus jussu Principis ferentes: præposterâ libertate prohibuerat. magno non modò patientiæ Principis, sed mansvetudinis etiam verè Regalis documento. Interim Mareschalcus Equestris ad conferentiam cum Deputatis ab Exercitu Regni missis, & excipienda à Kosacis Zaporovienſibus desideria ex Gentibus selectos de more assignavit. Igitur quasi jam aut Comitiorum finem felix fortuna Reip: teneret, aut grandi consilio in salutem Reip: auspicato consensu operati essent: orto clamore Solutionem Sessionis expressêre. Ortâ luce Deputatio Moscovitica continuabatur. Princeps quoque ad curas Reip: intentus, sine mora copiam Senatus dedit. Mareschalcus etiam Equestris satis tempestivâ industriâ, si fortuna aut cætera affuissent: in Propositione sua Tribunitium Collegium ad dandas Ratione Contributionum Declarationes invitabat. quæ cura si pari diligentiâ & candore habita successisset: auspicatò finiri Comitia potuissent, aut certè tam fædum & gravem inter mala Reip: exitum effugissent. Sed quibus rumpendorum Comitiorum maligna cura inerat: in diversum rapti. de numero Exercitus, (injecta pridie materia) tanquam sine pecunia parari, aut sine stipendio retineri posset: non jam de Comitiis, sed de solo Comitiorum obice solliciti, differebant. do-

nec oblatus cupientibus fataliter casus, hærentem in flagitioso molimine Comitiorum ruinam traxit. Fortè Palatinides Ravensis, inquies animo, & juventa feroxi acceptâ Voce: *Se non modò ut Nuntium Terrestrem, sed etiam ut militem libertate Vocis uti protulerat.* Hinc importunè à Gasiorovio interpellatus Capitaneo Radziejovienſi, dein glisçente odio & verborum temeritate à SubJudice Brestenſi Jaronovio, inconsultâ objectione argutus malevoli rumpendorum Comitiorum animi, iniquam injuriam neque Verborum vanum impetum egressam, cum diminutione Majestatis, manifestoque Reip: exitio, pravo fervore ulciscens: inter minas & insolentes contumelias erupit. ac nisi prorumpentium prohibitus fuisset furor: raro etiam inter Barbaras Gentes exemplo; eo usque provecta ex nimiâ libertate insolentia, augustum sacramque, Reip: Majestate locum, sanguine Civium fædasset. Capitaneus quoque Braclavienſis reverentiæ Majestatis & publico decori adversam jecerat vocem: secutusque ingens fremitus. donec Princeps vocato ad se Regni Cancellario: quia ProCancellarius casu seu consultò aberat, Sessionem ad horam quartam postmeridianam limitavit. missi interim qui Palatinidem revocarent, sed nullibi invento: de industria se in malum Reip: subtraxerat, quasi ipso jam facinore manifestum faceret, quod ultro casum Reip: acceleraſſet: vacui redière. Iterum eadem die, nec meliori fato sollicitus Princeps Senatum coegit. Judex enim Ravensis orto cum Jaronovio SubJudice Brestenſi jurgio, eum quoque dimittendi Conventum præcipitem fecêre necessitatem.

Proxi-

Proximâ Senatus die quasi ad insolitum spectaculum ingens affuit multitudo. Cum Mareschalcus Equestris incusatâ Palatinidis impietate facinoris, velut sub sensuram Reip: referebat, arguendi peritus; postquam malum medelam effugerat: multaque cumulabat; quorum nec antea ignarus esset. eum pœnis Banitionum & Infamiarum innodatum esse: munus etiam Nuntiatus extra Legem petivisse. quando Palatinatus Podolienſis juxta. Legis ordinationem, quaternos tantum Nuntios legendi pro Comitiis Regni Jus haberet, ad ipsius turbidam instantiam bis ternos miserit. statimque ei validam famam circumdatam esse: ipsum contumaci ad convellenda Comitia animo venisse. Porrò seu sponte in animo concepti, seu illecti maleficii atrox exstare documentum. Literas nimirum ab Episcopo Camenecensi ad Illustrissimum ProCancellarium datus, quibus nuntiabat, Palatinidem in Conventu Camenecensi ad munus Nuntiatus electum esse: nec illum alio ad Comitia Regni, nisi disrumpendorum Consiliorum animo venturum. & postquam venerat: ipsius in parricidii scelus parata mens omnium ore celebrabatur. dies quoque Martis, quo tantum facinus patraturus erat, communi famâ vulgabatur. Nihilominus tamen tantâ secordia universi egêre: ut nemo tum mederi vellet, cùm anceps periculum foventis manum admitteret. Senatus velut omnium ignarus & attonito propior erat; Equestris Ordo sine cura & mærore, velut aliud agens hic Populus spectabatur; multi malis publicis alacres: omnes suis periculis lætabantur. Opprimere ea tempestate tam facilè

Remp: erat, quam mercari. Igitur ProCancellarius Regni ipſe pullatus triſti facundiâ ad dandum de Rep: conſilium univerſos invitavit. Vaſtum primò ſilentium. mox orto ab Epiſcopo Chelmenſi initio: Reverendiſſimus Princeps Cujavienſis acriter ſed piè in licentioſam ex nimiâ libertate vocem incubuit. *Quod unâ inſanâ ac impiâ Voce, ne dicam, peſtifero halitu: deſtrui Majeſtas, excindi Senatus, omnis Respublica, Templorum Sacra, auguſtus Religionis cultus, tot Civium milliones, velut uno ictu ſubverti poſſent. Retinendæ nihilominus integritatis Patriæ ſupereſſe conſilium: ſi Princeps indictis univerſalibus Literis non jam Relationum, quippè nullâ ruptis Comitiis referendi neceſſitas: verum ſpetialibus Conventibus; in quibus Equeſter Ordo quoniam ad reſiſtendum orientis viribus, minor quinquaginta millium militia ſine periculo reſiſtentiæ vanitatis conſcribi non poſſet, par Contributionum Genus admittere dignaretur. quod commodius ac urgenti neceſſitati promptius reperiri non poſſe: niſi laudato per ſingulas Anni partes in ſingula capita Cenſu. quæ contributio non ita exoleto tempore, quamvis ob pravam Quæſtorum induſtriam minus juſtè exacta fuiſſet: tamen ultra duos milliones & quinquies centena millia ſummam protulerat: quæ per quartenarium multiplicata decem milliones efficeret. & cum non niſi quatuor ſupra denos millionibus, quinquaginta millium comparari poſſit exercitus: cur inſtitui per Univerſas Regni Provincias centeſimus rerum potablium nummus, vulgò Acciza dicta, non deberet? ſoluto à qualibet menſura cereviſiæ ſolido. quod Datiæ genus ſine notabili cujusquam gravamine probabiliter octo milliones pararet. Eâ contribuendi ratione, non modò tantas copias retineri: verum eâdem ſummâ, ab onere Hybernorum eximi Remp:, ſimulque ab incurſione*

Tartarorum & contemptu hoſtium, impunè toties inermes Imperii fines laceſſentium, ſervante ſemper limites Reipublicæ juſto exercitu, vindicari poſſe. Hæc ingenti zelo & fletu prolata: illi gloriam, in reliquis Civium pietatis ſtudium peperêre. Sed tum id quoque, quod in triſtibus evenire conſuevit caſibus, accidit: ut omnes propalàm beatam Voto cuperent Rempublicam, nemo ſubveniendo, dum malis opprimitur, ſuccurreret. Mareſchalcus tamen Equeſtris cæteris ſtupentibus, quò triſte tempus falleret, oblatâ famâ Palatinidem in Cyrsko oppido ſubſtitiſſe, Tragicam Scenam compoſuit; datasque ab ipſo ad ſe Literas vulgavit, in hunc ſenſum compoſitas: *Regredi ſe paratum eſſe ſi certus modus ſatisfactionis proſtrati honoris ſui adinveniretur.* Igitur ProCancellarius Regni à Dexterâ Principis, nil novum accidiſſe Reip:, protulit: *extare (quamvis ejusmodi ſilendi caſus) triſte exemplum. Sic quidam M. Ducatus Lithuaniæ Nuntius licet cum Proteſtatione, afflictis Regni Comitiis abiviſſet: quia tamen Literis Mareſchalcum interpellaverat, reductum eſſe, felicemque Regni Comitia exitum obtinuiſſe. neque ideo nunc etiam de Rep: deſperandum; poſſe pœnitentiâ ductum, & pietate in Patriam, quæ inceſtæ crudelitatis vipperas monſtroſo non ederet partu, melioribus flecti conſiliis. Eâ de cauſa Optimum Regem plenum bonæ ſpei in diem Lunæ Ordinum Regni Conventum ſeponere.*

Pridie Idus Martias, illiciente Mareſchalco Equeſtris Ordinis, univerſus ferè Senatus, quando plurimi etiam Pedarii Senatores flagrantiſſimè urgebant, ſpreto Liberæ Vocis Arcano in Continuationem Comitiorum conſenſerant. Sed reclamantibus nonnullis Nuntio-

rum, potissimùm verò Pia fecinscio. rursùs Mareschalcus quasi omnibus viribus fatiscentia juvando Comitia: supposito Consensu Reip: continuandorum Comitiorum, qui vacillabat, tantò magis affixit: urgendo à Collegis Palatinidis Declarationem an ipsius desererent inconsultam contradictionis arrogantiam? quorum unus, *cùm ipsum supra numerarium non fuisse docuisset: nam licet sex electi essent, quatuor tantum ad Comitia Regni venisse. de Convictionibus Juris sibi porrò non constare. & si panis Legum innodatus fuisset: habuisse quemque legitimum terminum, ipsum incapacitatis ad publicam obeundam provinciam arguendi. cumque insuper legitimè Protestationem feciisse assererent, neque posse Arcanum Jus Liberæ Vocis infringi contenderent:* ruentia jam Comitia, impulerunt. Posthæc lethargico affine somno in omnibus silentium spectabatur. nemo quod tacitus sentiret, promere in publicum expeditus: multi, quorum ad Vota fortuna propitiam manum ferebat, occulti, dum silentio tuti, lacrymis Reip: lætabantur: nisi Episcopus Chelmensis Vir militaris & acris ingenii experrectus, arreptâ Voce disseruisset: *Postquam frustratam esse suam expectationem deprehendisset, ut Senatorum quisque officii sui sequendo orbitam, in gravissimis Reip: periculis auctoritate & ope quantum valeret, potissimum verò consilio subveniendi, nunc quoque ordine suo de præsenti Reip: casu censeret: an Continuationem Comitiorum suaderet dissuaderetvè? modò eo rem devenisse ut vulgare necesse habeat quæ ad suam notitiam devenissent. quando id præstare teneretur, juratâ muneris Senatorii Religione, solennibus illis Jurisjnrandi verbis contentam: quidquid nocivum scivero, avertam. Producerè itaque*

que se binas copias, Originales verò Literas, cùm ob flagrantissimas preces & anceps ac propè ultimum periculum illius, à quo communicatæ fuerant; rursùs illi ab Episcopo Camenecensi redditæ sint, earum tamen fascias vulgo coopertas signatas eorum sigillo ad manum esse, à quibus emanarunt in reale earum sufficere documentum. in quibus contestatis militares viri amico Officiis; cuncta apud ipsos jam parata esse significabantur, & acceleranionem agendi, quando ingens temporis oportunitas juvaret suo suffragio, unicè desuper voveri. nec deesse modum cuncta ad libitum agendi, suppetente ad omnia rerum gerendarum nervo. Fortè illuc respexisse videbantur: nil in Civilibus Bellis festinatione tutius; ubi audere quam in ejusmodi consiliis deprehendi feliciùs esse: quando immensam pecuniam fortuna velut in pignus bonæ spei dedisset; quæ in Civilibus discordiis, ferro validior esset. quando non modò corpora, sed animos quoque sine strepitu telorum, ac funesto fusi sanguinis horrore, blandiendo noverit expugnare. Hanc Vocem quamvis publici sceleris manifestam & communi periculo prægnantem; parvis quoque curis familiari aliàs magno animorum motu, tum mali consultò quieti, boni fatali quadam ignaviâ silentio transmisêre. Capitaneus interim Osuiecimensis accepto dicendi Jure: Deplorato tam acerbo Reip: casu & quia non posset ingens vis liberæ Vocis violari, nisi subversâ unâ ipsâ libertate; magno animo Principem hortabatur: *ut Universalibus Literis Equestrem Ordinem, non jam ad Comitia, quæ semper maligno conatu disturbarentur, sed tantum ad Publicum Consilium more Sereniissimorum Antecessorum suorum ratione scisscendarum Con-*

tributionem invitaret. ut quisque de Rep: censeret, quod cuique placeret, sine confusione Magni totius Reipublicæ Consilii & cæterorum restrictæ libertatis gravi præjudicio, si ipse vellet solusque nollet rectè uti affectu & judicio de Republica sentiendi. Tandem Mareschalcus relictis speciosis cunctandi nominibus. consulto tamen prius Principe: Mæstâ Voce & quasi ob nimium doloris sensum anguſti pectoris gemitu intercepta, erumpentibus lacrymis, quo plus dignationis ineſſet mærori: ultimum Vale dixit. Responsum ab Illustrissimo ProCancellario : *Principem in rebus humanis, post Præpotentem conservatoris Jovis dexteram, in benevolentia fideque Equestris Ordinis omnem spei fiduciæque tanquam ad securissimum portum reponere stationem, unaque ad destinanda proximè Comitia, quod modò unicum è præsentibus malorum remedium esset, invitare. simulque in signum paternæ sollicitudinis Regiæ dexteræ complexum alacritèr præbere.* Igitur postquam omnis spes abierat. jussus est Instigator Regni convictos criminis peculatus publicare. idemque Arestum super Senatores professus est : qui Residentiam juxta Ordinationem Legis ad latus Principis neglexerant. statimque ob eandem injuriam publicata super Castellano Zakrocimensi pœna Bannitionis.

Luctuoso Comitiorum fini, destitutus omni humanâ ope, ademptâ etiam per Factiones consulendi in medium libertate omnique melioris fortunæ spe damnatus immane indoluit Sarmatici Imperii Populus. plausêre Vicinæ Nationes, quibus gravis quondam florentis Regni gloria, nunc turpibus despecta Civium dissidiis ad ludibrium & continuis malis ad satietatem tædiumque

umque livori ac invidiæ dederetur. Cum tabescentibus nobis prostratisque Civilium dissensionum contagione : una pænè salus relicta esset, nullam sperare salutem. Indici enim Comitia, quod olim inter certissima salutis auguria erat, corruptissimo Reip: Statu infaustis Reip: Votis in cumulum malorum toties cessit: tamque propè Patria ab excidio ea tempestate, quam prius à publica Fortuna fuerat. Nam ubi speratur fama auctionis Virium Reip:, ex delectu Exercitus, ordinatione militiæ, concessis in id Tributis, assignato stipendio ; proditâ hosti discordiâ : illis insurgere ad excidium Reip: nobis minui animum, hebescente sensim pro Rep: conatu, continuò rerum tristium cursu. ac licet sæpè ne invalesceret æmula vicinorum ambitio, suis discordiis, externis Bellis ac diversis curis vique fatorum à cervicibus nostris prohibeatur : à turbulentis tamen & in ruinam pestemque Reip: natis Civibus convulsione Comitiorum, spetioso illitio, languescens illorum libido irritatur acuiturque. quando ruptis Comitiis (velut ad Stygia claustra infami sacrificio devovissent Rempublicam) inermem ac internis discordiis constrictam hosti monstrant produntque. Undè quomodo etiam quæ naturâ optima sunt, si à suo habitu ac dispositione removeantur, tanto facilius ortus sui oblivisçuntur & in tabem exitiumque corporibus vergunt ; ita Libertas licentiâ, Comitia degeneri libertate depravata, inter præcipua evertendæ Reip: instrumenta nostrâ ætate habebantur. Diducit luctuosam scenam experientia Britannici Imperii sæculo nostro sub Carolo Primo, monstratque

ſtratque infectos rubigine ex Civium nece enſes & fuſo ſanguinis diſpendio rutilantes Bellonæ campos; poſtquam ſeditioſi Cives expreſsâ Comitiorum Regni Indictione; Parlamentum ſuum *Convenant Scotico* junxerant. ita quod eſſe debuerat malorum remedium illius Gentis: improvido conſilio, in extremum calamitatum & funeſtæ revolutionis culmen evaluit. Præval di enim turbulentiſſimi Civium, qui Factionibus olim floruerant, potentiam novi Principatus ſuſpectantes: perire potius malunt & omnem Reip: ſplendorem ſqualido cinere obrui, quam timere, aut intelligere ſe contemni: novisque hominibus, quamvis conſilio & fortunâ vincantur, ſubeſſe. Hinc ſecreta conſilia & palentes curæ, & proculcatis Legibus, novi Status meditatio, impia molimina. Indè manifeſta in vultu comitas erga Principes ſuos, intus venena virentia: in facie Publici Conſilii popularis ſermo; ſpetioſa conſilia; in pectore ſpirantes technæ. ſermonis in publico ambiguus ſenſus incertaque fides. nusquam mites, tantùm cùm Principi loquuntur. niſi quod tumentium falsâ magnitudine animorum, quamvis ſolerti præmatur induſtriâ odiorum fomes, tamen ſcintillæ erumpant: Hos aggredi viribus cùm pertinacis Belli Civilis anceps periculum obſtet, crudelis eſſet conſilii. duris quoque mediis malignitatis velle frangere impetum, inter charybdim ſcyllamque poſitam eſſe operis fortunam. poſtquam enim periculum ſibi parari, aut ſe flexis ad inſidias conſiliis peti ſenſerint: prævenire ſtatuent & in celeritatem trudentur, unicum projectorum conciliorum robur ſalutemque.

temque. quia imminentium periculorum remedium ipſa pericula arbitrantur. ita adverſis ſternitur in Remp: via fatis. Proindè paccatè tranquilleq; habeantur, cuncta apud Populum quaſi augeatur eorum poteſtas facienda, arte interim ac vigilantia, autſi fato oblatæ fuerint, tantò acrius arripiendæ fovendæq; occaſiones, illisq; offerendæ: ut à ſe ipſis ruant. favor interim Populi latè quærendus viresq; tempeſtivè ſummo paratu ſtudioque curandæ; ſed in occulto. ſic illi quia imparatum vinci facilè præſument, majori cum gloria nullo negotio opprimentur. At contra omni ingenio vigilique ſolertiâ id impenſe curandum, ne delicatus quoque iis ad nocendum ſtimulus multò magis honeſtus eundi ad arma detur prætextus. Quare non modo læſiones, ſed leviſſima etiam injuriarum fugienda ſuſpitio. Validiorum certamina, tanquam certa Belli Civilis præludia in ipſo ortu naſcentis mali ad pœnam abortus iraſcentis Libithynæ damnanda. Mulcendi vulgum adſint Artes, neque enim unquam deerunt, qui gratiam melioris partis bono publico velint quæſitam. exercita etiam magnâ patientiâ præſto ſit injuriarum dicto ſeu facto in ſe ad miſſarum ſimulatio: ingens, ſi non vincendæ inimicorum pervicatiæ, at tegendi fidiſſimum proprii conſilii inſtrumentum. Sed tu infelix Patria, miſerâ ſorte tuâ ac luctuoſo Orbis Dominæ exemplo, tuum diſce Fatum. en ex moribus grande documentum. Quid notius, quàm publica inopia? quid manifeſtius, quàm ſibi ipſa gravis jam ſuperbia & effrænis luxus? quo portenta vitiorum aluntur. Inde Principibus nulla aut periculoſa imperandi

poteſtas: quia nulla inter Cives parendi modeſtia. Hinç cognata jam bonis quoque moribus invidia, audaces injuriæ, plena furoris odia, familiaris validioribus Magiſtratuum Legumque contemptus, verus Factionum Rebellionumque fomes. Nil priſci ſanctique moris, inter diſciplinæ aſpernantes & corrumpi faciles: tantum per Clientelas & Potentiorum Factiones publica animorum concordia & Civium ſalus diſtrahitur. nec in Familiis, niſi privata cuique ſtimulatio, & vile jam proſcriptis veteris Reip: Inſtitutis, decus publicum. Nil jam notius externis quoque Gentibus, tantumque cum infamia Sarmatici Nominis celebratur, fatalis noſtra Diſcordia, & projectus perdendæ Reipublicæ furor. Cùm tamen non alius Lege Fatorum præſcriptus ſit diſcordiarum exitus inter ſummos & Potentes Viros: niſi aut Univerſus interitus, aut Victoris Dominatus & Regnum; vitiatæ & à ſæviente Licentiâ proſcriptæ Libertatis certiſſimum Fatum. Proinde ſenes fortitudine & Libertatis memoriâ, juvenes conſtantibus ſenum exemplis animum ſuum & honeſtis ſtudiis adverſus ſupremum Reipublicæ caſum diſcant obfirmare.

ANNALIUM
LIBER VI.
Præcipitatorum ominoſo diſ-
ordine.

Eodem Anno cIↃ DC LXXII. Secundâ Indictione Comitiorum XVIII. Menſis May inchoatorum.

LÆtâ primò auſpicati eventus ſpecie Regni Comitia XV*to* Calendas Sextiles inchoata ſunt, Sokolnicio ſummam Regiminis Tribunitiæ Poteſtatis non proprio ambitu aut induſtriâ adepto, ſed alienâ curâ & potenti ſuffragio. Tum tritis fruſtra diebus, ac tandem ut novorum ſpecie ludicra rerum facies tegeretur IV. Nonas Sextiles ſemotis arbitris Wyſocius Legationis ſuæ Relationem facere in Senatu præſente Nuntiorum Collegio compulſus eſt. ille conſtantibus uſus verbis, ſed magis conſtanti pectore, intrepido vultu; immane quantum ipſi, quantum Authoritati Reipublicæ Pacique publicæ turbulentorum Civium malevolentia nocuerit, non modo occulta quæque prodente hoſti Conſilia, ſed ultrò ad Bellum Patriæ inferendum invitante, & quod flagitioſius eſt, extremâ ſollicitante perfidiâ: incuſavit. Arguens potiſſimùm Regni Theſaurarium, cujus Literæ ad Banniotam ſcriptæ,

ptæ, perplexo ſenſu, ambiguis Verbis, ſuſpitionem ex dubio & in utramque partem interpretationi obnoxio reliquerant ſenſu.

Ad *Vtam* Iduum Junii diem, cùm intra ſemeſtre peragi Comitia debuiſſent, de termino Comitiorum, quanto nimirùm ſpatio trahenda finiendaque eſſent, aliis ſollicitè, quibusdam inani & malitiosâ curâ diſquirentibus, trium ſeptimanarum vitiato tempore, opportuniſſima pars conſulendi conſumpta per diſcordiam. Et ubi nihil bonorum ſtudio, obnitente peſſimo quoque proficeretur, actum contumaciter à magna Nuntiorum parte, ut ad Senatum Mareſchalcus Equeſtris ducere dignaretur. Verum reniente Mareſchalco; ne crudo facinore cæterorum animos irritaret, è Palatinatibus Syradienſi, In oris Vladislavienſi, Breſtenſi, Cuiavienſi, Terra Wielunenſi & Goſtinenſi ſubitò coarti Nuntii ac unâ Voce ſe Superius ire conclamantes ex Atrio Libertatis interjectâ Proteſtatione exceſſerunt. Quod cùm Capitaneus Braclavienſis Piaſecinſcius ferociter impediret, Univerſi conſurrexêre, quaſi ſuperiùs ituri, mox ipſius aſpero ſermone irritati, per tumultum ad eum converſi, non jam linguam frænare rationibus, ſed caput ferro gladiisque expugnare conabantur; quidam etiam ex arbitris inutilem ſuam in conſilio, tum approbare operam Reip. conabantur. nam quidam propiùs advolans caput clavâ petebat, niſi nonnullorum occurſu, & ipſe ſupplicibus verbis jam inſtantem vim fatumque deprecatus fuiſſet.

Quarto

Quarto Idus Sextiles, multo temporis diſpendio quærebatur, an delegandi eſſent ex Gentibus, qui Proteſtantes ad Regreſſum unionemque animorum invitarent? itaque cùm multi paſſivè nec niſi ad paſſiones loquerentur; Judex Ravenſis diſſeruit: *Inſpicienti volumina Legum, ex confuſa Reip. rectitudine mirum occurrere, quod ad Comitia 1633tii Anni nullæ privatorum deſideriorum reperiantur Conſtitutiones, donec auctus ſeritate ac licentiâ proſcripto Patriæ amore, ab Anni 1633tii Comitiis erupit fatalis ambitus. hinc metu malorum & ruentis Reip. Status dolore quæſitum à bonis ex Lege remedium, ad conſtringendum velut temporis anguſtiâ, ferocientem in damna publica ambitum: ut Comitia Extraordinaria dum ſine ſolennitatibus aguntur, medius Menſis terminaret, poneretque modum, temporis frænum exitioſis affectibus & noxiæ circa privata ſtudia certandi licentiæ.* At Kirdeius cùm adventum Magni Mareſchalci Regni fruſtra nec ſine impedimento conſiliorum totius Reip:, diſcordantium eam ob cauſam animorum, Nuntiorum Collegium expectaret. poſtremò confeſſus eſt; *nimia illa Nomina non eſſe opperienda.* Altiori prudentiâ Capitaneus Oſuiecimenſis apprimè Status Reip. peritus, & an etiam Conſiliorum, quæ haberentur non ignarus, arreptâ voce cenſuit: *Diſcordiarum Civilium fontes exorbitantias eſſe, quæ ab ipſa Sereniſſimi Regis Caſimiri Coronatione ad eam usque temporis periodum, grandi numero cumulatæ, magnam dedêre diffidentiæ inter Cives occaſionem. cui cùm Antiquitus mederi Intermedius Ordo, medius á mediando inter Majeſtatem & Leges jure dictus, Senatus ſcilicet conſueverit. modo irata rebus noſtris fortuna etiam malorum vertente ordinem, quo*

ſuper-

ſuperbiam ſtultitiamque noſtram velut conſilio & aſtu magis affligeret, quàndo Senatus cum Majeſtate diſſideat, eam provinciam in ſe debere ſuſcipere Equeſtrem Ordinem, ejurato omni partialitatum nomine, id honeſtiſſimum ac univerſæ Reip. utiliſſimum fore.

Tertio Idus Sextiles Poſtquam honore Deputationum omnes Proteſtantes emolliti revertiſſent ad Collegium Nuntiorum, reſtituta de plano Activitas. Cùm à periculo ſuo & dolore orſus Capitaneus Braclavienſis, lætior & velut à luctu fortior; quod novam materiam velut cælitùs oblatam rurſùs novis contradictionibus inveniſſet: Judicia & Legem Securitatis inpoſterum Tribunitiæ Dignitati poſtulabat. juvêre ipſius Votum Nuntii Sendemirienſis & Cracovienſis Palatinatuum. Igitur Mareſchalcus è Collegio Nuntiorum deputavit (cùm id quoque poſtulaſſent) ad interpretationem Literarum à Theſaurario ad Portam miſſarum, binos ex Gentibus: ad Inquiſitionem ſuper violentia & læſum diro facinore Sanctum Sacrarii Numen Singulos ex Gentibus. jamque vale Sacrario Libertatis dicere parabat: cùm obrutus vocibus; ut conceptum Legis, Nuntiorum Securitatis legeret: magnâ alacritate arreptum Projectum publicavit, unaque inter obſtrepentes voces modicis verbis dicto iterum vale Equeſtri Ordini, ſcipionem manu miſit. Ingens ſtatim exortus fremitus initio facto à Nuntiis Palatinatus Cracovienſis arguentium temeritatem Mareſchalci: quod antè peractam Inquiſitionem, ante Judicium violatæ Securitatis Tribunitiæ, Clavum Dignitatis Equeſtris Ordinis & impoſitum humeris

meris ſuis tam frivolè deſereret officium Perculſus ille his vocibus ſedi rurſùs ſe reddere parabat, ſcipionem ſublevabat, cùm à Nuntiis M. Ducatus Lithuaniæ ſuperius, ad ſuum DEum Indigetem raptus eſt. Nihil in Senatu tentatum à Mareſchalco Equeſtri, ut ſingulis dilapſis ex Atrio Libertatis cæteri deficiente die pœnitentiâ ducti & pudore, oblatam ſequerentur neceſſitatem. verum obſtante ipſius bonæ ſpei malorum pervicatia, Mareſchalcus acceptâ dicendi facultate, Tribunitiæ Poteſtatis Activitati reſerabat campum: cùm Cancellarius M. Ducatus Lithuaniæ ad Thronum progreſſus; *laudatâ Equeſtris Ordinis in juvanda Rep. promptitudine, acriter eos increpuit: qui periculorum remedium ipſa pericula arbitrati, internam Regni Pacem Populique quietem convellerent. poſtremò Mareſchalcum Equeſtrem, ut Conceptum Conſtitutionum legeret, invitavit.* Ille promptior obſequio, quam Inſtituta Patriæ ex honeſto ferrent, morem gerere parabat; cùm Epiſcopus Plocenſis acceptâ à Mareſcalco Curiæ Voce: fugientis diei prodromum, & inſtantis Trini in Unitate DEI miraculi celebritatem mereri dixit: ut ſeſſio ſolveretur. Tum Magnus M. Ducatus Lithuaniæ Cancellarius diutiùs non cunctatus, arbitrio Principis finem magno Conſilio dixit. Suffecturam ille porrò ſpetioſo conatui Mareſchalci ſui temeritatem arbitrabatur: ſi lectis ex Conſenſu Ordinum conceptibus Conſtitutionum publicâ quaſi authoritate fulciretur. Id ſi proſpere ſucceſſiſſet: poſſe Comitia Regni paucis Legibus in commune ſtatutis prius terminari, antequam pars diſſidens ſuas recolligere vires & ex

æquo obniti piis pro Reip: dignitate ac verâ Libertate conatibus posset, callidè in animo disponebat.

Ipsis Idibus valida in omnium ore fama erat: Supremum Exercituum Ducem magnis copiis & plusquam Principali satellitio adventare. perculeratque non modò Populum latè terror & inopinata facies Civilis dissidii, sed plerique etiam Magnatum sagaciores ad Comitia non venêre, quibus ingens odii moles, & hinc justus suberat metus: quidam dilabi & tanquam nefasta deserere Comitia parabant. Magnus Regni Cancellarius ob metum sese cedere affirmabat; sed diversa suberant: ne fortè fatali Comitiorum casu, Universales Literas Motus communis sigillo munire necesse haberet. Ea primùm dies ob scissionem Nuntiorum Collegii, præsentia afflixit Comitia. In Senatu post factam à Mareschalco Equestri Propositionem, dein additam excusationem excessus sui ex Atrio Libertatis inter Nuntios disceptabatur; an regredi Mareschalcus Equestris in Atrium Libertatis, & placatos suâ præsentiâ Nuntios, qui supra octuaginta in Sacrario Libertatis remanserant, in Senatum reducere deberet? sed obstantibus ferociter Lencicienſis, Brestenſis, Cujavienſis, Inovuladienſis Palatinatum Nuntiis, nulla spes componendorum consiliorum affulgebat. cùm Reverendissimus Episcopus Cujavienſis pietate & prudentiâ Senatus facilè Princeps obstinatos animos efficaci facundiâ inclinavit. *Neminem mortalium inficias ire posse, Mareschalcum Equestrem & magnam Nuntiorum Collegii partem legitimè coram Majestate Serenitatis Vestræ comparuisse. quando Universali consensu Lex Abbre-*

Abbreviationis Comitiorum Tribunitiæ Potestatis in Atrio Libertatis concluſa, ac insuper Deputatorum manibus subscripta esset. Verùm cùm nota Reip: turbidis casibus per summam injuriam fortuna, nil integrum sanctumque servare velit, quod non prius turpi violatum discordiâ corrumpat: proprium esse ex demissione Magnitudinis Imperatoriæ Principibus remedium, cujus non expertem esse animum Serenitatis Vestræ quantæcunque modestiæ parem. Quare nunquam eventurum puto, ut me consilii aliquando pæniteat: cùm propter bonum Pacis, neque laborem, neque privati honoris jacturam, nullum denique periculum subterfugiendum esse, suprema Lex charitatis Patriæ, & incorruptæ dictamen conscientiæ pridem obtinuerint. Mitti proindè præcipuos ex Senatu & Equestri Ordine Viros ad remanentes in Atrio Libertatis Nuntios expedire: vel si id quoque eorum moderationem non convicerit obsequii, ipsi Mareschalco Equestris Ordinis eundem esse, neque enim quidquam novum aut grave pro obtinenda tranquillitate Status censeri debere. Hoc medium, si placandis animis non suffecerit, ruptorum (quod superi avertant) Comitiorum, omne in eos recumbet onus, infaustaque Reip. nomina decumani Belli Civilis fluctus ad regias allident paludes. neque enim Serenitatis Vestræ ac Reipublicæ Majestas convelli sine convellentium exitio potest. Ægrè tamen Nuntii in Deputationem ad confratres suos & collegas, quamvis de Dignitate sacrosancti quondam illius sacrarii Libertatis ac subversione Liberæ Vocis, quæ prostratis priscis moribus & Majorum Institutis pariter pessundaretur, consensêre. tum vocato Princeps frequenti ad Thronum Senatu, Reverendissimum Episcopum Kijovienſem & Palatinum Czerniechovienſem, Mare-

ſchalcus Equeſtris Gomolinſcium, aliosque aſſignavit. Excepti honorificentiſſimè Senatores, multâ rationum congerie convenientem ab ipſis evicêre Declarationem. craſtinâ nimirùm luce Univerſos ad Senatum ire paratos eſſe, dummodo Mareſchalcus Equeſtris cum cæteris Tribunitiæ Poteſtatis conſortibus ad illos deſcendere dignaretur. quando nulla alia tam conſtanter illos in honeſto propoſito cauſa detineret, citra egregiam voluntatem conſervandi Poſteris ſacrarii Libertatis immunem ab injuria & periculo dignitatem, quæ ejusmodi procedendi modo ab occupatis ingenii in præceps daretur. Ubi hæc in Senatu Bieniewſcius Palatinus Czerniechovienſis retulit: ſtatim fremitus & incertus clamor, ominoſa malè conſultorum indicia. facto tamen per Mareſchalcum Curiæ ſilentio, arreptâ Voce ſubdapifer Lencycyenſis valido Sermone obſecrabat Illuſtriſſimum Epiſcopum Cujavienſem, ut Confæderationem Majoris Poloniæ, quam ei fraterno affectu concrediſſent; in inſtanti ad Acta porrigere vellet. libenter illum comitaturos, dum pro Religionis, Patriæ, Principis conſervatione quidvis pati deſtinaviſſent. cæteri poſthæc eadem ferè obſtrepentes eò usque fervoris provecti ſunt, nec quidquam in vulgo medium, ut Mareſchalcum Equeſtrem ad valedicendum Principi repetitis vocibus identidem urgerent. Crebris tamen Senatorum Sententiis & præcipuè Illuſtriſſimi Epiſcopi Chelmenſis perſuaſione & ingenii ſolertiâ mitigati, qui diſſeruerat: *Paucas interjecti temporis horas, diſſidentibus nihil utilitatis, nobis nihil incommodi allaturas. imò verò ſi illorum recolle-*

ctioni conceſſerint ſpatium & nihilominùs exitiosâ morâ malâ ſcilicet illorum induſtriâ, extrahi rerum momenta, damnificari tempore publicorum Conſiliorum fortunam viderint, tum facta palàm Orbi Univerſo illorum malitia in convellendis Comitiis, ad ultimum remedium, nimirùm Confæderationem, magno animo pro Aris Focisque condeſcenſuros. Capitaneus quoque Oſuiecimenſis, cum ſe Paſſivâ uti Voce ob Vetera Inſtituta & Equeſtris Libertatis, Arcanum Status dixiſſet: recenſitis facundè periculis, quæ ex præcipitantia accidere poſſent, ſuum adjecit exemplum; non tam ſimilem, quam germanum planè ſub Directione ſua Tribunitiæ Poteſtatis caſum accidiſſe. cùm enim ſub Rege Caſimiro majori Nuntiorum parte comitatus ad Senatum deſcendiſſet, neceſſe tamen ſibi fuiſſe, rursùs ad remanentes regredi, à quibus comiter exceptus, ſine diſpenſatione Vocum, non exercitâ Activitate, poſt familiare colloquium, cum Univerſo Nuntiorum Collegio ad Senatum gloriosè revertiſſe: neque tamen facto quidquam de authoritate Directionis, multòminus de Libertate amiſſum eſt. cùm alii contra, auctam quoque eo ipſo Sacrarii Libertatis Dignitatem exiſtimarent ac profiterentur. Verùm illi, quibus aſſiduâ aſſentatione corruptus animus, nec quidquam proloqui expeditum, niſi inditum & juſſum, quibusque non tam promptum conſentire aut agere quæ expedirent, quam vileſcente in dies bono publico loquendi patrandique, quæ privata cuique placendi validiſſimis quibusque ſuaderet ſtimulatio, rursùs ad impatientiam & præcipitia converſi, urgebant Confæderationem. cujus Originalia ſcripta, Majoris Poloniæ apud Illuſtriſſimum Epiſcopum Cujavienſem, M. Ducatus Lithuaniæ apud Magnum Lithuaniæ Can-

cellarium. (Minoris Poloniæ Palatinatuum Confæderatio ob restrictionem, & malè concordes pro Communi bono Reip: animos compilari non potuit) precibus tandem fatiscente die Optimatium Victi in Sessionem apud Patres de Societate Dulcissimi Nominis non plenè consensère, neque totaliter dissensere: cùm Tractatus Consiliorum à Principe in proximam diem sepositus est.

Sequenti die Mareschalcus Equestris convocatâ in Arce Nuntiorum coronâ, missos ad Collegas in Atrio Libertatis degentes Deputatos operiebatur. Sed Capitaneus Osuiecimensis contrariam priori à Lubomirscio Capitaneo Sondecensi (qui omnium ore velut minister loquebatur) retulerat Declarationem: Neminem scilicet excessurum ex Atrio Libertatis, nisi Mareschalcus restitutâ Universis Activitate, competentem dederit fraternis affectibus satisfactionem. Persuasus tamen Mareschalcus, non posse illorum animos, nisi debitâ placari submissione, magnâ Nuntiorum Comitatus frequentiâ ad præstolantes & in suis locis cum Majestate quadam dispositos descendit, salutatisque familiari colloquio, Universos magno fragore ruentes, ita ut quidam provoluti pænè per tumultum obtererentur, ad Senatum duxit. Ibi factâ Propositione Legis conceptum circa abbreviationem Comitiorum legere parabat, cùm à Capitaneo Braclavienſi prohibitus est, postulante: ut ante cæteras Constitutiones, Lex de Securitate Nuntiorum legeretur. Variis ea Vox jactata sententiis. cùm alii abbreviationis Comitiorum, alii Securitatis, scripti

scripti nimirùm & Archivum dandi Constitutiones præcedere debere contenderent. alii damnatâ Lege abbreviationis Comitiorum, utpote quæ in tantum consulendi tempora extraxisset: solam Securitatis materiam tractari postulabant avebantque. multi de periculis Reipublicæ informari anxiè petebant. quæ si nullæ essent? posse tempus consultatione trahi, si essent manifesta? cur abbreviatio Comitiorum displiceret? an Consiliis & inani Verborum strepitu hostium arma & stricti enses depelli possint. minaci tristique Voce quæritabant? Igitur cùm nihil in publicum proficerent, Princeps invitato ad se Senatu, exploratisque Sententiis dimisso, Magni Cancellarii Lithuaniæ ore, sed & ingenio declaravit. *Multa ille ab Oriente certitudinis periculorum documenta cumulabat: quorum cùm indubitata fides sit, quem tam protervum aut malitiosum esse posse, qui Comitiorum abbreviationem recuset? sed potiùs morâ & pernitiosis cunctandi artibus fortunam Reip. affligere studeat. Proinde Serenissimum Regem pro Paternâ sollicitudine animitùs vovere: Ut Constitutio abbreviationis Comitiorum cæteras antecedat; indiferens illa nec certo tempore circumscripta, cùm sine hac Constitutione, nec Comitia abbreviationis vocari poterint, nec Comitia sex septimanalia ex mente Legis ordinata, ipsum denique nomen Comitiorum, non modo res in anceps discrimen trahi possint. Cùm verò tot negotia superstint Reip: consensu terminanda: judicare Serenissimum Principem ad diem Sabathi inclusivè protrahi posse. nam ut res verbis, sic rebus temporum spatia, quibus sine præcipitantia commodè expediri possint, concedi debere.* Exortæ nihilominùs Voces, quæ improbato

bato saluberrimo consilio, Prolongationem Comitiorum nullatenus admitterent. Tum Palatinus Lublinensis acceptâ Voce differuit: *Abrogata equidem per Legem* 1647mi *duarum septimanarum Comitia esse, attamen interjecta temporis magnâ Reip: necessitate exigente, publico usu introducta, nec ad præsens etiam, nisi ancipiti urgente casu à Principe indicta Consensu Ordinum Regni celebrari. Sed cùm in angusto tempore non Legationes expediri, non rationibus Thesauri, non dispositioni Hybernorum cæterisque Reip: negotiis ritè sanctèque consuli possit, Prolongationem Comitiorum pro principali instrumento publicorum Consiliorum esse debere.* Nulla tamen ratione ad paucos dies Comitiis adjiciendos pertrahi poterant: donec precibus Senatorum, quibus fidebant, mitigarentur; adjectâ nihilominùs Declaratione, se nihil præsentibus diebus, præter materiam Securitatis Reip: tractari passuros. Tum Sessio in Throno Principis in proximam diem destinata.

Decimo quinto Calendas Quintiles Consessus publici faciem prosperâ famâ Moscoviticæ Legationis illustravit; cui gloriam, simul suæ Functioni favorem conciliaris Palatinus Culmensis, conquisitâ vi elegantioris eloquentiæ, itinerum incommoda, horridam Septentrionis intemperiem, atrocia frigora, inediam, populi barbariem, difficultates negotiationis cum recensuisset; velut in subsidium haud sufficienter commissæ verbis gloriæ; Relationem in scripto multâ curâ conscriptam Reverendo Secretario M. Ducatus Lithuaniæ Legationis socio legendam commisit. Opus erat egregium, sed dubitares Apellisne eruditâ manu, an Oratoris

toris curâ & labore consummatum, mira lineamenta spectabantur, non modo rerum, sed etiam umbræ Moscoviticæ Politici magnificentiæ, animorum ingeniique continebantur. Putares tantam curam jactantiæ studuisse, sed veræ gloriæ ardor cupiditasque erat; magnis bonisque viris familiaris ex æquo affectus. Rursus Palatinus Culmensis acceptâ voce, commendatis Principi & Reip. universis Legationis suæ comitibus, addidit: *Se quoque in eo Majestati Reip. consuluisse; quod causæ, quæ inter familitium nostrum intervenirent, composito ex nostris & Moscoviticis Deputatis Judicio terminarentur. Et quoniam Legis ordinationi ad extremum parendum esset, in confirmanda Jurejurando Legationis realitate: consurgens è Senatoria Curuli tacto pectore: (Quod idem Referendarius & Secretarius M. Ducatus Lithuaniæ fecere) solennia verba pronunciavit. nihil se præter Instructionem sibi à Principe & Rep. datam amplius tractasse, DEUM testem invocabant.* Displicere id visum est Tribunitiæ Potestati, sed erumpentibus vocibus obviam ivit Magnus Cancellarius M. Ducatus Lith. qui progressus ad Thronum, nomine Principis patheticâ oratione, statimque regresso ad sedem Cancellario, Illustrissimus Regni Primas æmulâ facundiâ, commendatis Principi ac Senatui Illustribus Legatorum meritis parentavit. Mareschallus quoque Equestris dum promere grati animi testificationem parat, à Nuntiis cohibitus est; urgentibus ferociter ipsorum Tractatuum Publicationem. Legi cœperant Tractatus Anno Domini 1672. V. Nonas Aprilis concluſi, cum à Judice Wielunensi eorum Publicatio interrupta est: clamitante, ut sine arbitris arcanum De-

fensionis Reip. opus ageretur. id quoque ejus postulationi permissum. lectæque sunt publicæ Conclusiones Tractatus, quæ 20. Articulis continebantur. qvorum solenniores fuêre: *Pactorum Androszovienſium Anno Domini 1667. initorum, & rursus 1670. reassumptorum Approbatio. Kijoviæ, pacata undiquaque Rep. intra biennium restitutio: cujus conservatio & impensi in præsidium sumptus, circa restitutionem, Reip. imputari non deberent. Aversionis Turcici Belli tam mari quam continenti procuratio. & destinabantur statim eo in negotio à Magno Moscorum Duce ad Regem Persarum Literæ, Cosaci quoque Zaporovienses provisis impensis in myoparones, ut nigri Maris oras Machometici Imperii infestarent, jubebantur. Subsidiorum ratio ac modus justo Exercitu Reip. dandorum ad Magnos Legatos, quos propediem Magnus Car celebratis circa Festa Pentecosten Populi sui Comitiis expedire deberet, rejiciebatur.* Interpellatus interim à Nuntio Palatinatus Sendomirienſis Palatinus Culmenſis, utpote Princeps Legationis, cur apud Magnum Moſcorum Ducem certum auxiliorum numerum, idque ex justo corpore Exercitus Moſcovitici, non leves Calmucenſium & minoris Nahai Tartarorum copias, inania auxilia eviciſſet? Ille non suâ operâ, sed cælesti ope & benignitate DEI plus Reip. præstitisse, quam sperare quenquam potuisse: cùm ob præmissas & certa quædam rerum præcognita Magnus Moſcorum Dux nunquam facile in Remp. de Bello Turcico credere voluerit. Quando Tartarorum Cham in longinquam Expeditionem Circasiorũ abiisset, nec ulla manifesta paratus Belli Turcici signa deprehenderentur. modo iureiurando mutuorum auxiliorum

rum fidem Reip. firmasse, ad quæ Pactis Androszoviensibus teneri se recusabat, cum nullâ prius Religione ad præstanda Reip. adstrictus fuisset subsidia. at de modo mittendorum auxiliorum maiori cum dignitate Magni Ducis Legatos Rempublicam adituros. Finitâ Tractatuum lectione, Literæ Magni Ducis Moſcoviæ ad Magnum Turcarum Sultanum lectæ sunt. dehortatoriæ Cæsaris à Bello Regno Poloniæ inferendo erant: quibus, nisi à proposito desisteret & rebellis Doroszynkii protectioni renunciaret, velut in aciem provocabatur. Motus in Ukraina ope & authoritate sua sedandos, ac Doroszynkium brevi captivum Principi ac Reip. dono mittendum, promittebat. Tum Judex Wielunenſis impetratâ Voce: Multum Legibus, multum Christianæ pietati, plurimum Divinæ Majestatis reverentiæ decessisse imminutâ Religione, leviter habitâ jurisjurandi pietate: an dignum non esse, ut Supremum illud ac Venerabile Numen pari honore, ac hominum mortale fastigium colatur? Proinde obſervare sese Illustrissimos Legatos, ut genibus flexis non intermissâ sueta ritus Christiani cærimonia, Jusjurandum in facie Reip. exoluant. Multi huic sententiæ, indignationis vultu voceque manifesti adstrepebant. Quare Palatinus Culmenſis insitâ sagacitate, necessitati aut invidiæ obviam eundo, acceptâ Voce libenter assensit. ergò positâ in medio Senatus Curuli, cui addita crux Archi Episcopalis, ad qvam processêre Legati, provolutique genibus, jusjurandum quod Magnus M. Ducatus Lithuaniæ Cancellarius mente concepit, præsente Regni Primate & Reverendissimo Episco-

po Cujavienſi præſtitêre. Nondum erecti ſtetêre; & jam Nuntiorum Vocibus Senatus perſonabat, quibus Mareſchalcus ad gratiarum actionem nomine Equeſtris Ordinis invitabatur. Perfunctus egregiè officio Demagogus, quieſcentibus cunctis, ſuccinctam de Abbreviatione Comitiorum legit Conſtitutionem. tantum per Primatem Regni dies XIV. Calendas Julii terminalis Comitiorum omitti juſſa: ne fortè rumpendorum Comitiorum daretur occaſio, ſi expreſſo finiendorum termino, Conſiliorum Prolongatio non ſine periculo contradictionis & exinde Sciſſionis Comitiorum contingere poſſet. Parabat & alteram Conſtitutionem Mareſchalcus Equeſtris publico Conſenſu expedire, idemque urgebant effuſius multi Nuntiorum, cùm non pauciores ſuffragio Senatus adjuti ſolennitatem inſtantem corporis Chriſti & pietatem obtendentes, publicum conſilium dimitti à Principe poſtulabant. Inter certantes Voces & diſſonos clamores, Princeps ad inſtantiam Illuſtriſſimi Primatis per Mareſchalcum Curiæ Seſſionem in diem Veneris deſtinavit. Nondum finiverat; cùm alii dimiſſionem Senatus vetare, quidam acriter Vocem petere: donec Mareſchalcus Curiæ ad ſuam ſedem progreſſus, facto ſilentio differuit: *Ita ſe ſub Anteceſſoribus Majeſtatis Veſtræ didiciſſe, eundem ſub auſpicato Seren. Veſtræ regimine retinuiſſe morem: ut poſt ſolutam à Principe Seſſionem, nemini unquam facultatem dicendi conceſſerit, cùm id ſui juris eſſe non præſumat, & manifeſtæ confuſionis ex turbato rerum ordine labem notamque videat. Proinde petere à Principe, rogare Senatum, ut in præſenti caſu reſolueretur, an ex Dignitate Reipublicæ*

publicæ Vocis concedere poſſet Libertatem. Omnibus ferè indignantibus, multis importunam inſtantiam ridentibus, Rex Throno diſceſſit: vetante diſceſſum Principis inani conatu Koſowſcio. quem diu triſtem & querulum idem locus vacuo jam Senatu, quem occupaverat, detinuit.

Decima quinta Cal. Julii quia Princeps è penetralibus Palatii ſine erectione Scipionis digreſſus erat, & ob Mareschalci abſentiam Voces diſpenſari non poterant, multorum precibus urgebatur Rex ut cuicunque Senatorum Jus diſpenſandarum Vocum concederet. Adventu Cancellarii M. Ducatus Lithuaniæ erupêre Voces diverſa poſtulantium. cùm alii Legem de ſecuritate Nuntiorum Senatorumque, Functionem officii ſui exercentium, ſancitam legi à Mareſchallo peterent, alii defenſionis Reipublicæ tractari materiam flagrantiſſime contenderent, alii alia cuperent, in commune nihil concluderent; acceptâ Voce Palatinus Czerniechovienſis digna Intermedii ſtatus gravitate ac Senatoriæ Vocis exiſtimatione differuit. *Potentiſſima quæque Regna, Respublicas & Imperia duas tantum numerare certiſſimas interitus ſui origines. Primam è Cœlo venire: Fatum ſcilicet, id eſt, Divinæ voluntatis Effatum, quo regitur Orbis, cùm certà ſtent omnia Lege. quam neq; effugere datur, quia fugiendo in media ſæpe Fata ruitur, multique ad Fatum venêre ſuum, dum Fata timent: neque ingenio aut arte eludere promptum: nam Fatorum Lege immobilis rerum humanarum ordo ſcritur; neque ulla vis humana vel virtus meruiſſe unquam potuit, ut quod præſcripſit fatalis Ordo, non fiat. Altera ex corruptis moribus in præceps vergentium Rerum*

publicarum emanat Diffidentia: ex qua disfidia inter Cives, publica Belli semina, quæ populos semper mersere potentes. Fatum evitari non posse. Diffidentiæ nullum salubrius remedium: quam exulceratorum animorum inita concordia, aut datâ satisfactione reconciliatio. Sanandorum porrò ex diffidentia Vulnerum grande Regalis facilitatis dedisse Majestatem Vestram documentum, quando in Propositione sua benignissimè declarare dignata est Serenitas Vestra: ut si quid in Legibus aut Pactis Conventis labaret, justo denique titulo displiceret, id liberè quisque salvâ Majestatis reverentiâ coram Rep. profiteretur. Proinde svadere sese colloquium; utque ad illud tam Senatorius Status, quam Equestris Ordo sua suffragia conferre velint, universos ac singulos invitare. Pacatâ intus Rep. egestoque è visceribus quidquid turbidum saluti obstaret, ab externa potentia & venientibus à foris periculis, facilè securitati Reip. & intra paucas horas consuli posse: cum nulla media defensionis sui adversus hostiles impetus Resp. habere possit, quam usitata & toties repetita praxi feliciter probata, quæ in Legum Volumine præscripta continerentur. nam nova experimento difficilia, usu plerumque Reip. fuere sterilia. Relabentibus post hæc ad diversa studia Nuntiis, Illustrissimus Regni Primas in fervore & vehementi Spiritu: *Incusabat præcipitantiam Consiliorum, quod unico diei angusto spatio, ingentia Reip. negotia complecti destinassent, quod defensionis bellique rationes, sine Magno Exercituum Duce, ad quas à Principe ministerio Literarum vocatus esset, tractare destinassent. cùm tamen nunquam melius exactiusque quam nauta de ventis, Mathematicus de stellis, Medicus de morbis, Dux de bello consuli possit. Sed ante omnia curanda vulnera, quæ ex diffidentia Resp. accepisset. his nulla ratione convenientius mederi posse, quam collo-*

colloquio, idque in absentia Principis habendo, ne cujusquam Libertas Majestatis reverentiæ umbra obfuscetur; aut plus in verbis inhonestæ assentationis, quam ingenuæ veritatis præseferat. Proximam porrò diem Deputationi ad materiam securitatis tractandam suffecturam. Diem Lunæ eradicandæ è pectoribus Civium diffidentiæ destinandam; invitatis ad salubre opus quotquot haberi possent Senatoribus. Vocabat interim Princeps Senatum, & acceptis Sententiis, suppressâ Colloquii facultate, Constitutionem de securitate Nuntiorum legi permittebat. quod Mareschalcus quidem Equestris promptè executus: reliquum tamen Sessionis inter incerta discursuum abiit. quia Illustrissimus Regni Primas patheticè Votum suum finiendo, postremò addiderat: *proinde amplecti aut exequi non suspectum velint consilium, dum Sessionem ad candelas extrahi, nunquam se permissurum, ob præsens periculum, quod quidam pugionibus accincti sicarii reperiantur.*

Sequenti die rarius in Senatu de Constitutione Securitatis Nuntiorum disceptabatur, urgente Piaseczinscio instantaneam Legis executionem, aliis id ipsum improbantibus, quoniam omnis Lex futura, non præterita, respicere debeat, neque instituto Reique ullius Constitutionis vigor, nisi intra sex Septimanas post exacta Comitia à Publicatione Legum ad Executionem trahi possit. Episcopus quoque Chelmensis ad Senatores eam Legem extendi vetabat, utpote Senatu gravitatis sibi conscio & ejusmodi casibus minus obnoxio. Sed quam caligat & in cunctis incerta est ac fallax consiliis humana Prudentia; quando secuta sunt paulo post in Republica tem-

tempora, quæ etiam in ſubnixam Sacræ Tiaræ Senatoriam Dignitatem, ſtrictos ſpectavêre Patrum in Curia enſes. Reliquum temporis Deliberatio extraxit, an Prolongatio Comitiorum concedenda eſſet? pluribus præcipitantiâ affligere Remp. non videbatur conſultum, dispenſatumque conſiliis tempus, intra quod ad publicam Fortunam eniti Comitia poſſent. Major difficultas circa Colloquium habebatur: quod Magnus M. Ducatus Lithuaniæ Cancellarius improſpero ſemper eventu, & fatali omine venientium in Remp. calamitatum arguendo, damnabat. At verò ut in abſentia Principis haberetur, conſtanter negabat. Rarioris nimirum Vir prudentiæ; prævidebat pericula, quæ ſplendido infeſta molientium aſtu tegebantur.

Duodecimo Cal. Julii frigeſcente jam ſole vix Senatus haberi potuit, dum certatim, prout quisque è Procerum aut Equeſtri Ordine ſplendidior, in adventum Supremi Exercituum Ducis effunduntur. multi certandi officio, quidam quaſi ad inſolitum ſpectaculum confluebant, avebantque viſere; quis ille quantumque Nomen? quod Majeſtatem obumbraret, ac ſupra Principem tacito ſuspicacis Populi ſuffragio attolleretur. (nonnulli jam tum tam magnifica Fortunæ præludia, in auguſtum futurorum omen vertebant. omnes deſtinatum Sobieſcio Domuique ejus Imperium poſt fortunam credidimus.) & ut majora ſemper ſolet de magnis vulgare fama, percrebuerat per urbem rumor venientis ſecum Exercitus: inerantque non temnendæ comitatui copiæ, quas Illuſtriſſimi Comites Cracovienſis Ruſ-

ſiæque

ſiæque Palatini, Vexillifer Regni, Caſtrorum & Vigiliarum Præfecti grandi ſatellitio auxerant. Princeps quoque lenitate & officio imperatoriam gloriam apud Populum meriturus, ſplendidam Germanorum turmam venienti obviam miſit. Ipſe magnificâ morâ, non modo Comitia, ſed cuncta trahendo ad Palatium Regis Caſimiri ex via divertit. Quare in Comitiis nil præter controverſæ aut querulæ Voces audiebantur. ideo protractum tempus: ut cuncta in libero Senatu ad unius nutum paucorumvè libitum agerentur, & in Armis Jus eſſet miſeræ ac pænè verſæ Reipublicæ. incuſabantque acriter inſolitam conſultationis faciem, ſeptum Centurionibus Senatum. non enim nota & celebritate periculorum ſueta Senatus mæſtitia, ſed novus & altior turbabat pavor manus & tela militum cernentium; poſtulabantque plurimi Terreſtrium Tribunorum: ut ſine arbitris Comitia tractarentur. quod pervicaciter urgendo Ubyſzius Vexillifer Goſtinenſis, Gomolinſcius Palatinus Syradienſis, & Capitaneus Oſviecimenſis Ducatus ſui Nuntius, incuſatis militibus, qui Curiam eâ die irruperant, ac ſuſpecta eorum audacia, utpote cuicunque facinori paratos, factâ repetitaque Proteſtatione ex Senatu exceſsêre. nec in Principe fuit mora, quin Thronum & infauſtum Conſilium deſereret.

Sequenti luce Majoris Poloniæ Seſſio, quam non modo egregii Procerum, verum etiam M. Ducatus Lithuaniæ Nuntii inſigni auxerant numero, in ſerum tempus poſt meridiem extracta. cujus Relationem Mareſchalcus Equeſtris, data copia Senatus, coram Principe

 fecit.

fecit. *Serenissimæ Majestatis Vestræ indefessæ curæ, ac Illustrissimis Senatoribus vicem implentibus auspiciorum Serenitatis Vestræ adscribendum, quod obdurati Protestantium animi admiserint moderationem, & Magno Consilio sint parati restituere Activitatem: dummodo reliquis Comitiorum diebus nil præter Materiam securitatis tractandum suscipiatur. Diffidentiæ porrò, quæ nihil aliud nisi male affectorum læsio esset animorum: ut non in Comitiis & Theatro Regni facilis ad omnia, multoque mobilioris ad violentiores affectus Populi, sed in recessu Conclavis per deputandos summos quosque è Rep. Viros remedium adhiberetur. Consilia Regni, adhibitis solum, quos Lex ad tractanda negotia authorasset, pacate haberentur. Id postquam Protestantes obtinuerint, regredi paratos esse, neque enim Remp. quæ omnem salutem in rectè expensis Consiliis reponeret, mentem esse Protestantibus nimiumque crudele studium deserere.* At Pro Cancellarius Regni, facta per Mareschalcum Curiæ audientia; ut occupatos rumoribus & conversos ad famam Civilium disidiorum animos, terrore Externi belli occuparet & tractabiliores Consiliis de Rep. redderet : *Præfatus de promptitudine suâ & egregio in publicum animo, ut quantum per absentiam consiliis defuisset, tantum curâ & vigilantiâ promptum haberet compensare: Turcici Belli magnitudinem extollebat, & quò certitudine periculorum, tantò magis ad consulendum de Patriæ universos commoveret, varia certaque indicia memorabat. Iam aliquoties Occidentis Imperatorem pro solito erga Christianam Remp. amore firmum Regem de molimine Turcarum monuisse, paria è Valachia adferri, eosdem ex Transylvania Nuntios. at Remp. orbatam Consiliis, nullo paratu, destitutam viribus, extra spem auxiliorum, tantum egestate & discordia conspicuam, diffi-*

dentiâ

dentiâ & civilibus dissidiis ad exitium ruere. Proindè de pecunia & cogendo valido Exercitu cogitandum potius suadere, quam diffidentiarum ignem in Civium pectoribus tectum ægreque latentem, inanibus ac sæpè falsis rumoribus sufflaminare. Ad hoc porro Consilium invitari expedire Magnum Mareschalcum Regni, utpote supremum Exercituum Ducem, idque negotii per selectos è Rep. Viros rei militaris gnaros in pauciissimo numero tractandum conducere. nam quod majus contingere potest tam atrocis Belli documentum? quam ipsius Vezeri Supremi Ottomanicarum copiarum Rectoris pridie Nonas Junii datas ad Principem Literas. quas Refendario Regni è Turcica lingva in Latialem commentas legendas tradidit. Literarum series erat, quâ neque quidquam certi, neque atrox continebatur. *Asseritis Ukrainam ditionem Vestram, & Cosacos subditos Vestros esse, cùm hæc Gens antiquitus libera & sui Juris fuisset, Regnoque Vestro per Commissiones & certis quibusdam Tractationibus sponte accessisset. verùm cùm Vestram tyrannicam Dominationem & intolerabiles injurias diutius sufferre non posset, arma corripuisse, & vobiscum pro libertate bellando sese in pristinum statum vindicasse. Liberè proinde ad celsissimam Portam Invictissimi Cæsaris mei supplicasse: ut illorum Patrocimum suscipere dignaretur. quod Serenissimus Cæsar solitâ erga miseros & supplices facilitate facere dignatus est, concesso Vexillo & framea Doroszinkio. Itaque nisi tempestivè cum Invictissimo Cæsare meo composuerint, postquam Exercitus & infinitæ copiæ fines Vestros cum Serenissimo Imperatore jam Adrinopoli movente attigerint, sciatis non Tractatu, sed feroci gladio & Judicio Altissimi negotium istud dirimendum.* Certum est, consultiùs esse periculis credere, quam diffidere. quia citius tristia, quam læta eveniunt. rationis

 tamen

tamen judiciũ nunquam negligendum eſſe, ſvadet prudentia. cur enim poſt perpetui Fœderis cum Ottomanica Domo Pacta, Pax nunquam violata rumperetur? cur Clarigatio vilium Perſonarum miniſterio ageretur? Cur Literæ ad Principem non ab ipſo Cæſare, ſed à Miniſtro ejus ſcriptæ eſſent ? potuiſſe efferam Nationem & Superbum Tyrannum, innutritum arrogantiæ, contra Patrium morem, contra Majeſtatem decoremque Magnitudinis Imperii, denunciato Bello, pretium Pacis petere? aut diſtractis Imperii Viribus,& attritâ Expeditione Circaſſienſi Tartarorum potentia, Bellum Reip. & ob metum vicini exitii, univerſæ Chriſtianitati facere? cujus Vires jam pridem manifeſtius in conſervanda amplitudine Imperii, quam quærendis Provinciis laborarent. Repetita memoria collati Doroſzinkio a Porta Banderii: Vetera hæc,& quid niſi minæ? an non potius fuiſſet? vigentem factione Doroſzinkium, viribus integrum, Bello non concuſſum, in tempore auxilio firmare & Ukrainæ Imperium petere; quam invalidi, enervis, ac crebris prælíis exhauſti, incertam ſequi fortunam? Sed induſtriæ & ingenio quid non in rebus humanis liceat? famâ quoque Populum teneri certum eſt. & hæc inventionis artiumque ſeges eſt. Nec hoc inane aut ſine pondere Medium fuit; invitandi ad Conſilium Defenſionis Reip. Magnum Mareſchalcum Regni: quando aut ſpernenti ingens invidia ſubeunda eſſet, aut ſi venire dubitaret, ſpecie officii pertrahi poſſet. neque multum intereſſe putabant, ancipitem ſeu propitium rebus conſiliisque affectum adferret; dummodo rectè præſentibus rebus

bus conſuleretur. Salubrem interim moram tempusque allaturum animis lenitatem ſperabatur. poſſe & fortunam ſuum negotium agere; quæ ſæpè malè conſulta actaque, quoties voluit, in melius mutare noviſſet. Peritus nimirum Auctor Conſilii, artis erat tranquillæ Poteſtatis, quæ ſine violentia cuncta rectiùs peragere, mandataque fortiùs urgere, imperioſâ quiete ſoleret. Expeditis Literis progreſſus ad Thronum Pro Cancellarius, exortæque turmatim voces. quod Solutione Seſſionis, non niſi violatis veteris Reip. Inſtitutis dimitti Magnum Conſilium poſſet: quando Comitia elapſo termino Prolongationis, neque Activitas ad prolonganda longius Comitia obſtantibus Proteſtationibus abſentium Nuntiorum, haberi poſſet, magno tumultu per ſummam confuſionem teſtabantur. Iam Princeps paulum à Throno progreſſus erat; cùm auditis Nuntiorum Vocibus, qvibus compellabatur, rurſùs regrediebatur, nec ficto pavore aut habitu Virtutis, ſed Inſtitutorum, Legum Libertatis Patriæ verũ in cunctis retinendi ſtudium, monſtrabat. neq; aliter decere ſumma Rerump. capita: quam ut Perſona Principis, non ſolùm animis, ſed etiam oculis Civium ſerviat.

Decimo Cal. Julii medium ſole tenente diem, Supremus Regni Mareſchalcus ſplendidiſſimo comitatu Arcem ingreſſus, Principem in Conclavi præſtolantem, & aliquot pedes officii cauſa progreſſum comiter ſalutavit; Verbis, geſtu, ac vultu magnificentiæ ſtudioſus, dum præconceptæ de ſe conſulit magnitudini. Nullo poſt hæc ſociato ſermone, tantum ſe ad Reginalem Ma-

 jeſta-

jeſtatem ire declaravit. ibi expeditâ Univerſa Exercitus Legatione, velut propitiam Votis ſuis precaturus Junonẽ, ac ſpecioſâ humanitate rehabitus, rurſus ad Principem regreſſus eſt. nec diu moratus ex Arce ad Epulas Illuſtriſſimi Primatis abiit. At jejuna conſilii Reſpublica plurimis fruſtra tritis diebus, occultâ mæſtitiâ & calamitate ſuâ ſatiabatur. Nemini tamen, maximè cum tabella aut Idæa externorum morum, & Regulari abſoluti Imperii prudentiâ venienti, inſolitum mirumque videatur: cùm id ex Libertate ſit vitium; quod non ſimul nec juſſi conveniant, ſed & alter & tertius dies cunctatione coeuntium abſumatur, Potentioresque cuncta Conſiliis trahant, non trahantur. Diffiteri tamen contumax aut importunum eſſet: verſam eſſe, ob validiorum nimiam potentiam, invalido ſpretoque Legum auxilio, omnem Comitiorum formam. quia nullo in hoc communi conſenſu Tribunitiæ Poteſtatis, ſine Prolongatione protracta Comitia, & uſurpata Activitas ſolvendarum Seſſionum, cùm Comitia deſiiſſent. Nam & eadem die Vocatus dilabente luce Senatus, & limitata conſilia. Seſſio quoque apud Patres de Societate, quæ lenimentum animis ac diffidentiæ allatura ſperabatur, nudavit vulnera; ſtimulante privati odii pertinaciâ in publicum exitium. Illuſtriſſimus enim Primas Regni, incuſatis Reip. temporibus, & perſtricto ambiguis verbis, nec qvo ducerent inclinaturis, Principis regimine: tandem acerbè increpuit Miniſtros Regni, qui præteritis Comitiis nulla publicâ neceſſitate, ſed ad manifeſtam oppreſſionem Civium, & infinitorum occaſionem malorum Vocatorias

Motus

Motus ad Arma Nobilitatis Literas extradere præſumpſiſſent. ceteras quoq; Exorbitantias, ſub obtentu privati aut publici Juris, levi verborum attigerat impetu, non tanquam in arena, ſed quaſi in proſcenio paratas ultrò in ſcenam erumpere, monſtrans. ad extremum fervore & malè cuncta miniſtrante impetu, patefacto velut pectore, & nudatis ultimis arcanis, quæ gloriam mereri non poſſent, addidit: *Quamvis tam grandis diffidentiarum fomes, utcunque obrui & ſopiri poſſet; nihilominus tamen ingruente Ottomanici Belli mole & ſupremis prope periculis, fateri ſe neceſſe habere, neque nos defenſioni propriæ ſufficere, neque Principem pares vires tuendæ ſecuritati noſtræ & conſervandæ ſaluti ac Libertati afferre poſſe.* Sed altius iſta penetrabant, quam dicebantur. Alienæ ſcilicet vires & externæ Potentiæ acceſſio monſtrabatur. nam cui Peregrino, rerum tamen Europæ gnaro imponi poterat, nedum erudito Patriotæ Legum morumqve perito, externis Principum vicinorum auxiliis, non benignitate Dei, & propriis viribus ſeſe Remp. adverſus hoſtiles impetus tot per ſæcula tuendo conſervaſſe. Magnus quoque Mareſchalcus Regni molliori ſermone, ſed non multum diſtantia, inſigni tamen prudenſiæ temperamento moderata diſſeruit.

Octavo Cal. Julii extremo jam die coacto Senatu, ob Mareſchalci Equeſtris abſentiam tempus conſiliorum in otio agebatur. ne tamen nimia morâ authoritas Senatus, & facies publici conſilii dehoneſtaretur: data per Pro Cancellarium Regni, Coſacis Itumanenſibus famoſæ Urbis in Ukraina & Legionis eorum nomine, copia

pia juramenti. & postquam fidelitatis jusjurandum Principi & Reip. in medio senatus præstiterant, admissi ad sacram Principis manum. Paulo post dimissâ sessione, quam Marschalcus Equestris cum frequenti Nuntiorum Collegio egerat, in Senatu comparuit, ac usurpata Voce disseruit : *Inter tot curas & insuperabiles difficultates, id adferre se solatii, quod flexissent Protestantium animos ut in Prolongationem ad proximam diem solis consentirent.* Verum nonne hic luculentum non modo Regni Comitiorum formæ, sed versæ etiam Reip. grande ac luctuosum ludibrium. nam non restituta Ordinibus Reip. ob Protestationem Ubyszii Gostinensis Terræ Nuntii, & tunc in senatu absentis Activitate, quæ potuit esse Comitiorum Regni Prolongatio? quæ sancto Veteris Reip. Instituto in usitato Senatus loco, non in privatis Sessionibus aut cubiculis, plenâ ordinum Regni & probe sibi constante Activitate, per publicas Palatinatuum Declarationes concedi ac expediri consueviſſet. Modo veris Institutis, proculcatis Legibus, spreto Libertatis decore, proscripta Reip. gravitate, quasi aut illud tota Resp. esset, aut ad unius arbitrium munita legibus, nec minor Lege Vetus consuetudo, periculosæ novitati cedere necesse haberet. Igitur Illustrissimus Pro Cancellarius: acerbè increpita deterioris Consilii contumacia; quod subtractâ Reip. Activitate dies rerum, verbis tererentur: appropinquante indies cum infestis Nationibus Turcarum Cætere Reip. finibus, qui Pridie Idus Iunii Adrinopoli movisset. monstrabatque Italico idiomate à præcipuo Ottomaniæ Domus Ministro Status, scriptas ad se Literas. quibus significabat. si Resp. Legatum ad Portam ablegaret, antequam exercitus Boristenem transmitteret, posse consuli Reipublicæ quieti. si id spretum aut neglectum fuerit, impossibile esse non modo transigere, sed ne de Tractatu quidem cogitare. Consurgens deinde de suâ Curuli à Throno declaravit: quoniam nullus esset tractandorum Consiliorum modus, ideo Serenissimum Principem Sessionem ad matutinas horas diei Saturni seponere.

Proximâ luce dato dilabente die Senatu, Illustrissimus Pro Cancellarius Regni à Throno Principis declaravit: *Graviter equidem peccasse Ubyszium, quod cum Protestatione abivisset, non Legis, non violati Patrii moris necessitudine, sed vano arcendorum à Consiliis Arbitrorum prætextu, & in summa nihil profuturo, verùm illum Principis cura & circa bonum publicũ vigilantia revocari posse; fatali Reip. infelicitati quonam modo consuli possit? non videre: cùm humana hic deficiat prudentia. non tamen deserere Serenissimum Principem debitam sibi Supremæ pro Rep. curæ stationem. proinde oblatis unicuique Procerum Punctis, quibus ad privatum Consilium invitabantur, Reip. saluti & integritati Patriæ studuisse; sed spreta Majestas, neglectum Consilium, augentibus indies fatis peritura Reip. non tam signa, quàm portenta. Verùm ut detur adhuc meliori fortunæ Reip. locus, rejicere Principem præsentem ad diem Lunæ Sessionem.* Igitur impetrata sibi audientiâ Judex Wielunensis senili vultu eoque mæstitiæ accommodatiori, tristi sermone incusavit obstinatos Civium ad perdendam Remp. animos. actisque Principi gratiis, quod eò usque magnorum

rum Procerũ operâ in reconciliandis non tam ſibi, quàm Libertati & Reip. infenſis animis adlaboraſſet, obſecrabat per viſcera Patriæ Intermedium Ordinem: ut Univerſus Senatus, Mareſchalcus denique Equeſtris Ordinis cum Illuſtriſſimi Nuntiorum Collegio, ſi non affectum Primatis ergo Remp. at certè conſcientiam, Patriæ & Religioni obnoxiam, quà perſuaſionibus, quà precibus agrederentur. Poſtremò protulit: *Coriolanos equidem hæc Patria non habet: ſed exempla timet.* Mareſchalcus interim Equeſtris quia vera Forma abierat, ſpeciem Comitiorum uſurpabat, conſulebatque privatim accedendo Palatinatus, an Prolongationi ſubſcriberent? permittentibus univerſis: (quia tamen Prolongatio ſine Activitate liberæ Vocis non modo concedi, ſed nec ritè nominari poterat) non interpellare Equeſtrem Ordinem magnum pro Rep. Conſilium die Lunæ habendum pronunciavit.

Quinto Cal. Julii Mareſchalcus Equeſtris productis Literis ab Ubyszio, qui regredi ſeſe & una cum univerſis de Rep. conſulere paratum eſſe manifeſtabat: ita tamen, ut non quies ſecuritasque Reip. non Majeſtas Principis per ſummam injuriam contumeliis aſperaretur. Vocato interim Princeps & conſulto Senatu. Mareſchalcus quoque Equeſtris imaginem Prolongationis retinens, explorata Univerſorum Nuntiorum voluntate, petiit à Principe in ſequentem diem rejici Seſſionem. Tum Magnus Cancellarius M. Ducatus Lithuaniæ à Throno Principis declaravit: *Non ignorare Sereniſſimum Principem naturam Status Reip. in qua natus & educatus eſſet.*

ceſſan-

ceſſante nimirùm Activitate liberæ Vocis, reſolvi omnem vim conſulendi. Proinde publico accedendo Conſenſui Principem in proximam diem magnam Seſſionem deſtinare. Conſultò an fortè oblitus contra Formam Comitiorum & Inſtituta Libertatis, ceſſante Activitate Vocis prolongata Comitia, & protracta extra Comitium conſulendi tempora; non debito termino, non legitimo Reip. Conſenſu legitimata. Verum hæc neceſſitati Reip. in qua nullus tunc Legibus locus, & nimia jam Potentia inſtructæ Civium licentiæ, vi et artibus cuncta miſcenti, imputari poſſunt. Hæc tamen à Magno Cancellario M. Duc. Lithuaniæ adjiciebantur, paribus Reip. tam ludibriis, quàm malis.

Sequenti die Seſſio Majoris Poloniæ celebrabatur; ubi promiſcuè Confœderationi Ordinum Regni à Nuntiis ſubſcribebatur: *Inſurrecturos ſeſe contra quosvis hoſtes, qui Pacem internam perfidiâ & ſeditionibus turbando, in Majeſtate Principis Libertatem, in Rep. communem Statum, in perverſione Status, Religionem cultumque Numinis turbidi. Cives Divorum hominumque obliti, deſtruere molirentur.* Strepebantque continuò minaces Voces Arma fratrum & Vindictam Ultoris DEI in defectores vocando. Jamque nihil, niſi ipſo omine atrox Comitiorum cataſtrophe expectabatur. cùm coacto Senatu, offuſa ingenti multitudine & facta per Cancellarium M. Duc. Lithuaniæ audientia, Reverendiſſimus Epiſcopus Culmenſis ita cæpit: *Iteratâ toties Deputatione Sociis Reverendiſſimo Epiſcopo Kijovienſi, & ex Equeſtri Ordine Magnificis Osviecimenſi ac Golubienſi Capitaneis, ad Regni Primatem cæterosque Illuſtriſſimos, quorum ampliſſima affuit corona: ad extremum non infe-*

 liciter

liciter sese officio functos esse. Quando unus ex illis mitis Pompei moderatior ingenio, accepto Omnium consensu, nos eâ instruxit Declaratione, quam in publico renunciare nos impositum stringit officium. Quieti se Reip. ut par egregios Cives, consulturos. Proinde neminem frequentaturum magnum Reip. Consilium sese polliceri, nisi quem Lex ad eam admitti prærogativam persuaserit. Verùm diversis materiis corrumpi consulendi tempora nunquam se passuros, quando solo Securitatis Reip. negotio, consumptis per inania Comitiis, par tantæ jacturæ pretium rependi posset. Abdicationem Principi, quo uno ad præsens medio, ab imperitis & ad violenta pronis velut oblato flagitio, mobiles Populi mentes concitarentur, nunquam se publicè, nisi in privatis apud Principem Audientiis suasisse, idque tantùm Principis deliberationi leniter insinuasse. disquireret apud se priùs statueretque, quid illi in extrema Regni calamitate, in destituta omni ope humanâ Rep. faciendum esset? non enim se Reip. Status, ut quibusdam sugillatoribus videretur, adeò imperitos, ut sine Consensu id omnium Regni Ordinum & recentis Exempli Abdicationis rationibus probè expensis posse contingere, aut sine Violatione Pactorum & manifesto Principis tam crudè practicari perjurio. ad quæ flagitia non modo impellere, sed ab illis Principem reducere mentem mihi rationemque esse. Obedientiâ Principi interdicere voluisse? quid mirum: quando jubente novissima Lege; si Principem quemcunque Articulum Pactorum Conventorum violare contingat, jam ipso facto, vi, Judicioque Lege subditos à præstanda manumitti obedientia. Constitutiones sub Stephano Bathoreo & Sigismundo III. latas, quæ restrictà Libertate, ter Principem moneri prius à Primate in Senatu præscripserint, antequam obedientiæ renunciandum esset; præjudicare præsenti Legi non posse: cùm in Jure sequen-

sequentia ligent, nihilque conformius ad Libertatis ingenium accommodari possit, quam habere velut in promptuario ad manum remedia, ne Leges & Libertas Reip. vel levissimis Dominationis flagitiis, & nunquam sine Flagitio Regnantium artibus læderentur. Eam in nobis Resolutionem, non modo Legum, sed promiscuè Pactorum Conventorum excitavere læsiones; quas salvâ conscientiâ & religione Senatorii muneris reticeri non decuit. ne tamen tanta moles oneri esset & dispendio tempori de Reipublicæ Securitate consulendi, graviores tantum Exorbitantias magisque Reip. Statum afficientes per Illustrissimum Regni Cancellarium proposituros. Tum ProCancellarius Regni, Diffidentiam esse asseruit: quæ eo usque salubrem vim tractandorum negotiorum moraretur. Verùm non minus obstare Protestationem Nuntii, quâ ademptum omne Jus de Rep. consulendi. id præsenti casu, quàm nocivum sit, edoceri: cùm Deputatio ad modificationem Exorbitantiarum sine Activitate ritè institui non posit. Proinde compellare se Collegam Protestantis, ut omnia sub ratihabitione eius, quæcunque ad præsens Resp. constituisset, acceptare non recusaret. Quidam vidisse eum in Urbe: Judex Sanocensis obvium sibi familiari excepisse sermone arguebat. Omnibus deinde placitum (quandoquidem Lex disponeret: ut eadem die, quâ cæpissent Comitia finirentur) reiici Sessionem ad proximam diem. Idem ProCancellarius Regni à Throno declaravit cum Voto Principis: ut ad ipsas Calendas Julii Comitia prorogarentur. nominatisque è Senatu Deputatis ad Exorbitantiarum discretionem, Reverendissimis Cujavensi, Plocensi & Posnanensi Infulatis,

latis, Mareſchalcum quoque Equeſtrem ad eandem operam hortabatur. Sed fremitu rejectum ſpretumque cum præjudicio liberæ Vocis, adempta ſcilicet Activitate publica tractandi negotia, Conſilium. Tum magna Seſſio in horam poſt meridianam tertiam ſepoſita eſt.

Tertio Cal. Julii celebritate Principum Sedis Apoſtolicæ acta dies; vix in Occaſum prono Sole data Senatus copia. & erumpebant Voces, quibus Mareſchalcus Equeſtris ad Valedicendum Principi impellebatur, multique gravibus comitiis & acribus contumeliis quamvis in clamore & tumultu verborum, ſuſpectam cunctationem, nec ſine malevolentia immeritam Remp. tanto tempore per ludibrium haberi, incuſabant. cùm Pars petitâ Seſſione, porrecturam ſe præcipua Exorbitantiarum Puncta per Magnum Regni Cancellarium propoſuit. His ſermonibus tandem & pudore negati Colloquii extimulati: Exorbitantiarum Puncta in ſcripto Reverendiſſimo Epiſcopo Cujavienſi porrexere; quibus ille acceptis impetratâ audientiâ, apud aſpernantes omnem moram, ut Conſiliis ita Reip. inimicam, ita cæpit: *Tenere ſeſe quamvis antiquos caſus recenti memoria: nunquam diebus Divino cultui ſacratis proſperum ſortita eſſe quæcunque Conſilia ſucceſſum. Proinde cùm ſpes concludendorum affulgeat Comitiorum, donarent id Chriſtianæ pietati, concederent honori Principum Eccleſiæ, ut ſaltem, ſi nollent amplius de Reip. negotiis conſulere, die craſtinâ ſub Actu hodierno Comitia terminarent.* Exortus interim clamor Tertias Univerſales Literas bellicæ Expeditionis continuo petentium: ſed præſumpta dicendi voluntate, Reverendiſſimi Epiſcopi Cujavienſis

vienſis, paulum quievere. tum ille *Laudatâ eorum in Patriam & Principem pietate, illorum conatibus ut afforet Numen precatus, ſupplicare ſeſe Principi protulit: ne Vota Equeſtris Ordinis in concedendis Literis Generalis Motus moraretur.* Vocabat interim Princeps Senatum, & exploratis ſingulorum Sententiis, per illuſtriſſimum Regni Procancellarium declaravit: *Non deponere animum Sereniſſimum Principem, quin cuncta in melius ceſſura ſint, quando in oblatis Exorbitantiarum Articulis, nihil atrox & à Civilibus mediis alienum inveniretur. Sed cùm non modo Tractatus, verùm ipſa Lectio, quando in tribus phiuris continerentur, diſcretionem temporis petant: unico id Principem ab Equeſtri Ordine flagitare voto; ut exiguæ tollerantes moræ eſſe vellent, ne Comitia, ne internam Reip. Pacem præcipitantiâ perverterent. Vocatorias Armorum Equeſtris Ordinis Literas, ſine publicis Palatinatuum Declarationibus extradi non poſſe.* Ad eam Vocem fremitus & execrationes; tanquam pretioſior eſſet ob metum peſſimorum reſpectus invidiæ, & vilior cum excidio bonorum Reip. ſalus. Urgentibus deinde acriter Mareſchalcum Equeſtrem ad Valedicendum; ipſe miſerabili Oratione inſtantibus occurrit: *Ut ſi damnatis tantillum temporis in ſupremam recollectionem concederetur, cur ſibi ad infelicem Comitiorum exitum, ſuæ nimirum calamitatis compendium, brevis mora, & nullum ulli mortalium allatum diſpendium in præmium laborum Privilegio fraterni affectus non concederetur?* Eam Vocem Illuſtriſſimus Regni ProCancellarius ſtans pro gradibus Majeſtatis rurſum excipit: *Quandoquidem ita omninò videretur Dominationibus Veſtris, ut Equeſter Ordo ad bellicam expeditionem Ultimariis Literis vocetur, non refragari eorum*

eorum desideriis Serenissimum Principem, modò in id Universorum Consensus accederet. parabatque favorabiliora (aspernantibus clamore non votivam Declarationem) proferre; cùm S. Kulscius quidam gregarius nobilis, ac fortè emptus ad impetendum ProCancellarium Regni, altâ Voce proclamavit: non posse eum à Throno Principis ullas facere Declarationes, quando Bannitus & proscriptus esset. Regressus ProCancellarius ad sedem suam, & relabente tumultu arreptâ Voce: falsò se & innoxium peti demonstravit. risu deinde & verbis non seriis temperato dolore, an ut absconderet iram, quæ prius proruperat, è Senatu abiit. Igitur sine intermissione jam Mareschalcus Equestris, vocibus & continuis clamoribus compellabatur: ut erga Principem supremo officio fungeretur. id si negligere præsumeret, plurimi Nuntiorum ituros se ad Principem & valedicturos, testabantur. Sed Magnus M. Ducatus Lithuanlæ Cancellarius solitis sibi artibus cunctantem torpentemque Mareschalcum juvare volens, à Throno Principis declaravit: non desperare Serenissimum Principem de facilitate Equestris Ordinis, ac proinde præsentem solvere Sessionem. edocens vel edoctus anteactis temporibus: nihil esse utilius Regno, quàm validum, spernendis rumoribus Populi, juxtaque invidiæ haberi Principem. sed non eadem semper arti fides; quando non idem Dominantibus ingenium, temporum ratio, & tollerandi in subditis patientia. Eam itaque vocem atrox clamor statim secutus Principi Valedicentium; descendentiq; de Throno quidam Nuntiorum obvii fuere, exhibitâ reverentia, quasi usitato erga Principem officio fungerentur.

Pro-

Proxima tamen dies luctuosam adjecit catastrophen. nam quid illa devotio erga Principem, Osculum scilicet manus lenimenti daret? si in Priucipem amor ob convulsa Comitia, damni dolorisque sensum altè pectoribus infligeret. Ita Comitia accelerandis rebus præter Ordinem indicta, cunctatione & metu vani terroris protracta finivere. quæ si in duarum septimanarum præscripto Universalibus Literis spatio, quemcunque exitum accepissent: eludi ostentatio virûm adversæ Partis poterat, & si non melius, certè maturius consuli venienti ab Oriente tempestati, quam contra naturam pænè è Saxis veriùs quam fluctibus violenter turbulenti Oeoli cierent provocarentque. Non vidisset Senatus & Eques ademptâ Activitate ob metum pavoremque Potentiæ, non minus cum turpi ludibrio, quàm extremo Liberæ Vocis periculo prolongata Comitia. Non spectassent oculi Civium, quodque magis dolendum etiam Externorum; Vacillantem Senatum, trepidos Principis Ministros & vix Secretos eorum sermones sine formidine. temporarias inter Magnos Viros amicitias falsaque odia, nihil sancti priscique moris inter projectos ad servitutis artes Dominationemque voluentes, & cæteros Libertati, quam palàm tuerentur, in secreto inimicos, Conversam Consiliorum Formam, in transversum Actis Comitiis, immutata Majorum Instituta: dum nimiâ lenitate, misera Resp. ambitum furoremque fert Civium aut declinat. Non vidisset Respublica occupatum Præsidio, velut pro manibus hoste, Regni Armamentarium. & quanquam quies Urbi esset, strepitus telorum & facies

Belli erat, militibus ut nihil in commune turbantibus, ita sparsis per Domos ac Palatia, simul in rabiem erupturos sperabatur. hinc metus per omnes pasimque fuga, & in basilicas sacraque Asyla suppellectilis exportatio. Egregii cujusque Judicio, pace suspecta, tutius Belhum Reip. erat: sed tunc specie Consiliorum tanquam in arena anteacies Tractatus instituebantur, deponendi Principis, quod Reip. defendendæ par non esset, nec Reip. tantum virium, ut se ipsam salvare posset, altius consilium spetiosâ sapientiâ tectum. trahebaturque à mora Comitiorum tempus, sæpius sparso rumore declaratoque studio: jam se callidâ de Exorbitantiis, jam de Securitate Reip. tractaturos: & cùm nihil horum præstaretur, non modo consulendi tempora, sed & rerum gerendarum opportunitas palam Reip. eripiebatur. expectabantur nimirùm tristes Nuntii irrumpentium Orientis Exercituum in Ditiones Reip. ut ad externi Belli molem, rumoribus intestina audacis diffidentiæ facinora obscurarentur. Gravia hæc & vix toleranda mala, sed Civilis Prudentiæ judicio standum: securitati prius quàm ultioni fuerat consulendum. projectæ contumeliæ quonam modo tolerari poterant? cùm non modo Virorum, sed etiam mulierum ad tantum facinus adhibitum sit Consilium, ideoque deterius: tentaritque fœmina solo ingenioque suo fortiter animata, contra fas Juramenti daramque Reip. fidem, Principi svadere Abdicationem Imperii. Quæsitum deinde omni arte & colore; ut Principi obedientia interdiceretur. Conscriptas exorbitanti calamo magno numero Exorbitantias, quæ si ju-

si justè examinaveris, sapienter dixeris: petentium Reip. orbitatem instantias fuisse. & quia ademptâ Activitate in Senatu lugubri Scenæ facultas non dabatur: ut declaratis ferociter quæ exorbitata essent, postremò Obedientia interdiceretur. Ideo lactasse Principem & Amicos Principis inani spe reconciliationis: præcipua se tantùm Puncta idque ad modicum restricta Ordinem, quò tempori consuleretur, declaraturos. & quia istæ artes astu colebantur, tandem innumeras tricas & quærelas produxere. expectabatur lucrum ex tempore, ex certamine circa materiam Exorbitantiarum, validum in Senatu disidium; & hinc votiva negandæ Principi Obedientiæ opportunitas. Verum elusi tam iniqui conatus propitio in rem Polonam Numine, subtractâ Comitiorum Activitate; donec mitigati animi, in fidam concordiam coalescerent. quæ quando non modo non sequebatur; sed nullum ipsius sincerum deprehendi posset indicium: secutam esse Comitiorum jacturam; quæ tristiori Reip. Fato & grandiori periculo aliunde parabatur. Quare quasi nihil gravius obstinatio pati potuisset, quod intra invidiam & furori simillimum nocendi studium, citra publicam stetisset injuriam: aliena Commoda & sua damna pari dolore metiebatur. Hinc quæstus in Vulgum; quasi Arte Regnantis corrupta ad læsionem Reip. Comitia. Sed tacita erat in animis ira: quod nocuisse non sit concessum. Hinc ob pudorem prolati facinoris &. metum Armorum Classicum tonantis Equestris Ordinis. hinc quoniam manifestis erroribus subsidium ab audacia petendum esset, præcipitia Consilia, ad extremum despe-

ratio, pasſimque ferales Voces: ut niſi eorum animi favorabilibus conditionibus placarentur, ſubſequereturque ante diſcrimen venientium Palatinatuum reconciliatio; cuncta vaſtitas & extremus furor, occuparet.

Primo Cal. Julii Sesſio grandi numero Procerum, Nuntiorumque apud Illuſtriſſimum Palatinum Cracovienſem celebrabatur. Specioſa rerum Nomina ac Libertas præferebatur, ut Regnantis Majeſtas perverteretur: quam ſi peruerti contigiſſet, Libertas maximè periclitabatur. major ſiquidem & authoritate potior pars Civium jucundo libertatis nomine (quo præcipui cupiditates ſuas illuſtraverant) circumuenta; eorum ſtudia ſequebatur. Continuis querelis intexebatur invidia, quod Princeps malè conſuleret Reip. ruptis Comitiis in munimentum ſui, ex quibus unica ſpes rerum proſperarum reliqua putabatur. extimuiſſe nimirùm in objectis Exorbitantiis Libertatem Civium, & maluiſſe privata vulnera, Reip. malis operire; quam medicinam ſalubri Civium temperamento probatam admittere. Hinc ademptâ Libertate Civibus de Rep. conſulendi, immani vulnere profligatam penitùs Reip. ſalutem, cognitumque infelici experimento: nil tam exaſperare fervorem vulneris, quàm ferendi impatientiam. His & alii addendo, contumelioſa in Principem, in Remp. acerba, ſed egregio prætextu perornata: tanquam læſis Reip. rebus ſuccurrentes; Manifeſtationem ad Acta Caſtrenſia Varſavienſia præſentavere.

Secundo Nonas Julii Senatus Conſilium PoſtComitiale mirâ frequentia celebratum eſt, cujus initium auſpitium-

ſpitiumque militaris audientia fecit. Eques Maltenſis totius Exercitus nomine cultâ, nec militaribus ingeniis ſuetâ facundia peroravit. nam licet continua armorum Tractatio & operis laborisque meditatio obtuſiora reddat Caſtreuſia ingenia, rebusque gerendis quàm Verbis adornandis faciliora: noſtra tamen militia emollita caſtrenſi diſciplinâ, cùm de priſcâ Majorum fortitudine remitteret, artificio morum & eloquentiæ elegantiâ compenſavit. Ut ſi videres conſulentes: Prætorium à foro, Comitia à Caſtris haud facilè diſcerneres. Tum Illuſtriſsimus ProCancellarius progreſſus ad Principem, Conſultationis Puncta legit, quorum maximè inſignia fuere: utrum mediatio cum Turcarum Cæſare per Ducem Tranſylvaniæ ſuſcipienda? an ſubmiſſio Doroſzynkii Reipublicæ acceptanda, & Nobilitas Regni ad Generalem bellicam Expeditionem convocanda eſſet? eadem promptitudine Magnus M. Ducatus Lithuaniæ Cancellarius in declarandis Articulis Magni Ducatus uſus eſt: datusque locus audientiæ Illuſtriſsimi Regni Primatis. *Ille ſe non modo Conſilii de Rep. dandi, in tanta Reip. calamitate, poſt rupta denuo Comitia velut multiplicata in publica damna malitiâ, ſed & verborum inopem ac pænè elinguem eſſe. Videre ſe palam nullas in Rep. opes opemque: ac proinde impoſsibile deſperatis jam rebus afferri Conſilium. Nihilominus tamen cùm ſeſe contingat reflectere ſuper Puncta præſentis conſultationis, diffiteri ſe non poſſe; egregiâ prudentiâ conſcriptaeſſe, plus tamen lenire Reip Vulnera poſſe, quam ſanare. Circa reliquas deinde materias illuſtri ingenio executus deliberationem. Vocari ad Arma Equeſtrem Ordinem & extremas Reip.*

Vires certo exponi exitio disuadebat. recensitis quærelis & ambigua multorum Palatinatuum Nobilitatis de Principe fama, quod non ita pridem, sed & antè sæpius ad Communem Motum evocata Nobilitatis Arma, non tam saluti Reip. & defensioni Patriæ, quàm privato usui & ficto pavori militarent. Jus quoque Serenissimo Principi convocandæ ad Arma Nobilitatis ruptis præteritis Comitiis evanuisse. Proinde quamvis suadere motum bellicum Equestris Ordinis non posim; Velle se tamen cæteras Illustrissimorum Senatorum operiri Sententias. Ubi ventum ad Illustrissimum Episcopum Cujavienſem, ad singula Consultationis capita facundè & magna cum cura, ut Senator: sanctè, quia Præsul: candidè, ut bonus rectusque Civis pro Rep. disseruit: *Noluimus consulere de Rep. cùm potuimus; non poterimus, cùm voluerimus. neque enim atratam hanc malorum seriem destinatam in Nos venire irâ DEUM; sed prægravantibus peccatis nostris & obcæcatis jam animis, ipsi flagitia nostra, in supplicium nobis vertimus. Cuncta tamen expendenti media, quibus Pax refovendis ægris Reip. viribus retineri posset: duas occurrere principalissimas rationes adeoque rerum agendarum fundamenta; diffiduciarum scilicet medelam & virium Reip. paratum. Illæ nudatis velut Vulneribus, promulgatis nimirum exorbitantiis, medentis manum facilè pati possunt; data illis à Serenitate Vestra, quà publicè, quà privatim satisfactione: multis communi Reip. auxilio medendum esse, reliquas utpote acriori affectu, quam justioribus causis natas, Civilis prudentia facilè transmitti à bonis Civibus impetrabit. Subita porrò pericula, quibus viribus à Rep. superari possint? nusquam se cernere, nisi ultimo Equestris Ordinis Armorum robore. ad eam hominum temporumque malitiâ Remp. devenisse sortem, ut aut vincendum*

dum necesse sit, aut moriendum fortiter cum gloria antè servitium. Cæterum se haud vano sperare augurio: si exulcerati contiuuis diffidentiis animi modum quietis ac lenimentum amoris in Patriam admitterent, evanescente atroci ab Oriente tempestate abituram Reip. - - armorum necessitatem, & revicturam velut è Cineribus ad gloriam Gentium utilitatemq; Populorum Remp. domi Legibus & concordiâ, foris armis famâque & sacro per justitiam fœderum cultu. Hæc vatis instar cæteraque locutus, perindè insigni amore quàm egregia in Remp. fide: ut parem illi ea ætate meritò in Curia desiderares Senatorem, quæreres in Rep. Civem. Jam Illustrissimus ProCancellarius velut loquendi rudis, paucis verbis ac modesto sensu, neu studium suum pro Rep. extollendo offensioni daret locum; miro ingenio & ambiguis quandoque verbis temperans, egregiam tamen pro Rep. prompsit Consilium: nisi quod scintillæ sermonis, eius animum non benè monstrabant cum tota Libertate convenire.

Vicit tandem potior & melior Pars Senatus suffragiis. Stetitque intra solitum Equestrium virium præsidium, Reipublicæ defensio. Et quamvis ingenti Numinis in rem Polonam favore ab imminente certâ pernitie superba metuendaque arma Politico Christiani Monarchæ ab Imperio & confusione Orbis Christiani, pertinacia Belli cum confœderatis Statibus & confluentes in Catalonia Catholici Regis Exercitus retinuerint: Turcicum quoque Bellum quo unico subsidio Factio liliata è Patriciis Civibus in suam Patriam ac Remp. animabatur, Persica distraxerint distulerintque arma. at-

tamen

tamen triſtis effæminatæ in licentiam Libertatis exitus & funeſti Reip. interitus certique miſeræ Patriæ excidii, crebra & clara Cælo Terraque manſere indicia, velut ultima monita & excedentis è Rep. Numinis prodigioſa Oracula evenere. neque id ſemel, ſed per continuatas ætates ſæpius accidiſſe. ſuperique minaces prodigiis Terras implerunt. Verum ne hæc intonſis Catonibus aut Ariſtarchis levia videantur; quando etiam priſcum apud Quirinum Populum moris eſſet: ut ſiquis de Rep. quidpiam ſomniaſſet, ſequenti die publicè per Præconem viſorum certos Cives faceret. Nunc manifeſtæ iræ Divinæ ſigna & futurorum præſagia non decebit advertere? niſi ſi ſtulti ut peccata ridendo, ſic & ſuam pernitiem ludendo agunt patiunturque. Extremos itaque Regiminis Caſimiriani dies præluſiſſe infauſtis ignibus, auſpitiis Electionis Principis Michaelis: ſed quid tota illa Dominatio niſi triſte ſemper omen & atrox convertendæ in deterius Reip. fuit: quamvis ferox portentum ipſa Abdicatio ſileatur. Electionem Sereniſſimi Principis Michaelis graviſſima & inſolita præceſſiſſe & ſecuta fuiſſe præcipuarum Urbium incendia. arſerat toties Sedes Regni, ſed præcipuum opibus inter cæteras Civitates Gedanum graſſantem vaſtis favillis ignem pertulit, neque à condita Urbe in Commentariis exemplum tanti damni reperit. Scilicet magna illa præcipuarum Urbium incendia, periculoſiſſimas Civilium bellorum flammas, magno molimine initia Principatus turbatura, fomitemque inteſtinæ diſcordiæ è peregrino littore vires alimentumque trahere, Piſcatoriæ Coloniæ flammis, inge-

ingeniosè monſtrabant. Jam in ipſo Electorali campo refrigerato poſt meridionales ardores die examen Apum ante Nobilia Electoris Exercitus ſigna conſediſſe. haud certe alio indicio, quam illæ apes, quæ ante Pharſalicam pugnam in navibus conſpectæ, ancipitem fortè eligendi Principis Libertatem & extremum ejusdem periculum præſagirent. ingens nempe Libertatis ſvavitas eſt: quæ non niſi aculeis hoſtilis invidiæ, & internæ diſcordiæ ſcorpionicis punctionibus perverti poteſt. Locutos palam cum hominibus inferorum Spirituum manes. Stillaſſe cruorem magnæ Matris imagines. Paucas intra ſeptimanas poſt Abdicationem Caſimiri Regis ſeptima die menſis Junii 1668. Anno in foſſis Civitatis Mariæburgenſis ſtagnantes aquas, derepentè in ſangvinem verſas, ut nata velut è rebus Sarmaticis Verba illa Lucani in recenſione Prodigiorum, quæ mutationem Romanæ Reip. ex bellis Civilibus præceſſerant, commodiſſimè ſubeant ſtilum:

Indigetes flevisſe Deos Urbisque laborem
Teſtatos ſudore Lares.

Pridie quoque Calendas Sextiles viſum ſupra occaſum ſolis ſplendidum in fuliginoſa nube ſidus, quod brevi temporis ſpatio in ſpeciem ſolis corporisque cruci affixi evaluit. mox vileſcente priori ſpecie, manſiſſe duas tantum in ſole maculas. quarum una primo caput horrentis urſi, dein utraque nota truculentam beſtiam produxere. à meridie ad occaſum caput obverſus erat: quaſi ad turbandum Orbem è Francia exiret. Tandem evaneſcente forma ferocem ſpeciem in manſveti agni habi-

habitum miteſcere fecit. agni ſpecies in Sarcophagum abiit: tum paulatim ſolis figuram recepit novilunio ſimilem; quam atra duraque nubes involuit. Crebra dehinc Prodigia: biformes animalium partus. & Piſcis propè Piſcatoriam Coloniam captus, diu in triclinio fori aſſervatus, cuius caput gladio armatum erat. Anno 1670. tam immitis graſſata hyems, ut ſubnixas nubibus abietes, & opaca æſtivis foliis nemora, ſævo frigore aduſta penitus. è vegetabilium Regno proſcripſerit. at ſequenti Anno, non modo turpis inſolitis tempeſtatibus pluviisque æſtas, vi illud egregii Vatis proferri possit:

Fit melior nemo cælum noctesque diesque
Cum fleat, ac tellus crimina noſtra luat:
Terra licet madidis molleſcat ab imbribus, haud ſit
Molle Polonorum, quam fuit ante genus.

Sed ſuperſtitioſo quoque grandine atrox, multis pecoribus hominibusque fatalis. nec ejus vim mireris: portentoſam ejus magnitudinem tres latos pedes excesſiſſe, fuere qui viderant tradiderantque. & hoc quid? nonne initia dolorum ſunt? ecce veritas Jeremiæ magni Prophetæ dicentis: *Ignis, grando, fames & peſtis. omnia hæc ad vindictam creata ſunt.* Jam ut de promiſcuis ovium pecorumque damnis & manifeſtâ terræ ſterilitate, piſcium in fertilibus olim Lacubus in fæcunditate, cæteraque triſtia vel ominoſa taceam: ſileri non poteſt præcipua inter oſtenta Civilis Discordia & nullis juſtis cauſis orta in animis Civium ad excidium Patriæ obſtinatio. Reprehenſos olim à Summis viris ædiles Plebis fuiſſe; quod

quod Cereri loco ludorum Equeſtrium Gladiatores exhibuiſſent, inter infauſta id omina ducentes Popularis Reip. Status everſionis. Sed non minus Reip. portenti pavorisque attuliſſe temulentas militum in Comitiis Regni 1672. inter Patrum conſulta voces, quam acutos olim laniſtarum gladios. Illud quoque inter Portenta proximæ cladis funeſtiſſimum numerabatur: Æneam Leonis effigiem, quæ Turrim Leopolienſis Fori in decus ſignumque urbis ornaverat, tam vaſto tempore ferreo vecte ſine noxa & pondere ſuſtentatam, ſubitò rupto quaſi ſtamine ferro, eâdem die imò plures tradunt, ipsâ Convulſorum Comitiori fatali horâ decidiſſe. Monentibus claro documento Rempublicam Fatis: ſubtracta communium Virium fortitudine, cunctas Regni partes hoſti in prædam ceſſuras, attritaque & conculcata Equeſtris Status Potentia; non ultra Jura Provinciarum, non Urbium ac Reipub. Libertatem valituram. Jam verò præcipuum è ſinu ipſius Regni Aquilæ Omen, quæ retenta Jagellonica Faſcia per ducentos & binos ſuper octuaginta Annos terreno ſcilicet ſigno, ad Cæleſtia tandem inſignia tranſiit, Sereniſſima Cæli ſidera. Igitur forè ut Polona Reſp. cujus ſigna recepit, ſequatur ſimperium ac Monarchico Cælorum Statui conformetur. Ita fiet, ut Libertas mera Virtus fiat, in Leges Regesque nunquam amplius licentiâ peccans. Idque ſolùm pulcherrimum labente Rep. retinebitur: quod non à Pole, campo nimirum exundantis vagæque Licentiæ, ſed Polonia à Polo nomen Statumque habebis. Tumentes aliquando candidæ tuæ Reginæ pennas, nigræ Aquilæ Imperio ſubmiſſura.

ANNALIUM
LIBER VII.

Translatorum è Curia ad Campum, & e Campo ad Curiam actorumque sub clypeo Comitiorum.

Feràli Reipublicæ An. clɔ DC.LXXII.

tertiâ Indictione, scilicet XIV. Mensis Octobris inchoatorum.

POstremò secuta sunt Reipublicæ tempora; quæ magis defleri, quam Factis inseri debe-rent. meruit enim eorum dedecus & calamitas, ut nefastis diebus adscriberentur, aut perpetuò silentio traderentur. Infelix enim & nunquam boni ordinis compos Respublica in curiâ Magistratuum & fatali confusione Civium, magis quam vi & fraude hostium periclitabatur. Exercitus Reip. Respublica proprio militi infensa, cum sibi acriter diffiderent Viribus distrahebantur. Tali rerum Statu cùm discordia inter Ordines, diffidentia inter Cives, orbata Consiliis, discincta armis esset Respublica, nec sui jam amplius sed alieni Juris videretur: Fatalis semper Christiano nomini hostis inundavit Ukrainam, ademit Podole, occupavit Camenecum ita externâ vi & perfidiâ civili eversa planè res Polona. Tum primum Respublica suam cladem ac

ac infelicitatem introspexit, & ad commune incendium universas Nobilitatis sub Lublinum excivit Vires. Nondum coaluerant: cum hosti invalidos disturbare, aut opprimere visum. Igitur destinatus huic operi Tartarorum Equitatus: sed illi seu Fato aversi, seu propriis viribus diffisi, trepidantes jam & viam saluti expediendæ circumspicientes septem milliaribus Castra prætervecti, metu & periculo liberavere: sed non se pæna & justis ob ignaviam vindiciis. cæsi deindè & rarâ pernici Genti ab Exercitu Regni afflicti clade.

Jam erepto Reipublicæ ostio ad citeriores Regni Provincias Gentium suarum colluvie inundandas Turcarum Imperator exercitum Leopolim movebat; eratque in extremo metu & discrimine non munimentis non copiis firmata Civitas, cùm noster Exercitus numero jam & robore valentior sub Golebio vistulam trajicere paratus, morâ fabricandi pontis ac ultro tædio fatigabatur: eratque & in mediis Castris, sed timida Proditio. Superato tandem Vistula miles alacer, nec jam pro se sed pro Principe sollicitus, absentiam ejus inter adversa censebat ægreque tollerabat. Verum nec Princeps ultra, studiis Populi defuit: statim formata Castra arteque munita, lustratus Exercitus, expensa Belli Consilia, missi ad Turcam tentandæ Pacis Legati. Non adeò tamen Equestrem Ordinem ingens amissarum Provintiarum damnum, non tanto fragore vastus terrebat Ottomanici Belli metus, quam movebat affligebatque Diffidentia, adversus quam parum profici armis, nisi consiliis vinceretur perspiciens: Confœderationem sub Lublino ini-

tam acriter amplexus Mareſchalco Equeſtri Stanislao Szarnecio, extraordinarium parem Dictatoriæ Poteſtati Magiſtratum impoſuit: ſtatimque univerſus militaris ordo & quotquot interfuere Præſules, omnes ſeſe jure-jurando obſtrinxerunt: non prius ſe fraternum hunc nexum deſerturos, quam Principi in ſolio, liberæ Electioni in Principe, & Reip. internæ Pacis ſecuritatem propriis armis conſiliisque firmaſſent. Sed & à Principe, præſtitum Equeſtri Ordini Juramentum, datoque inſuper conſignatum Diplomate. tanquam hoc vinculo magis adſtricta Populorum Amori nuberet Majeſtas, lætos poſthæc & felices, benevolentiæ Civium actura, dies.

Huc usque conjuratis in perniciem Reipublicæ malis, eò usque Prætextu Legum & Libertatis impunè abuſa pravorum Civium malignitas ad everſionem ſtatus graſſabatur: cum convulſis Legum cardinibus, ſpretis quæ ſpetioſa olim & pulchra, nova forma & inuſitata, ſpecies Reip. placuit: in qua conſtans fides in Principem, verus amor in Patriam, Supremæ Legi, ſcilicet, communi Civium ſaluti conſulerent. Hinc ille fervor qui Broniewſcium temulentum tumultuantemque Civem perdidit. Hinc Judicia in malè Contentos arrepta & ſævere exercita, Primatem Regni Domumque ejus perculere. Hinc illa diuturna algoris Cælique injuriarum tollerantia, donec hoſtis Campum deſereret & infelix Diffidentia parum auſa, fulmine Confæderationis metuque ſuo obſtupeſceret. Tunc per Deputatos quos Palatinatus abeuntes plenariâ poteſtate inſtruxere, formatus

matus eſt totius Confæderationis Receſſus & dies *Magno Conſilio* dictus.

Clariſſimum illud Zeloſi in Patriam amoris documentum, quo Antemurale Chriſtiani Orbis ſervatum, Regni retenta Majeſtas, Principis & Reip. reducta ſalus, defenſa Libertas, propugnata Religio eſt: cum unicum liberis Rebusp. in ſcisſionibus ſupremisque caſibus monſtret remedium, occuli ſine injuria temporum hominumque à fido Scriptore non debuit. Cùm enim fatiscentibus jam ſæculis, fatorie an potius ſuo ingenio. Populi ad proterviam & ignaviam, Magiſtratus ad injurias factionesq; delabantur, ſenſimque jus & cuſtos modeſtiæ prudentia negligantur, ſolæque nocendi artes apud perverſos & imperitos magnifico nomine ſapientiæ vocentur: ingens operæ pretium facturus eſt, quisquis liberi Populi virtutem factaque Cælos non factos merita condignè orbi monſtraverit; cujus Nobiliſſimum facinus, illa, illa ſalutifera Reipublicæ Lublinenſis Confæderatio: quæ ut omnem mortalem laudem ſupergreſſa eſt, ita digna omninò Scriptorum calamis ac nobiliſſimis ingeniorum monumentis æternitati famæque conſecrari. Quam verè Civium quisque vocaverit: Amuletum non Anodinum venientium poſt hæc in Remp. calamitatum. Digna profecto hæc Confæderatio Ordinum fuit, ut aureis literis Poſteritati traderetur, ſed magnorum claritudo Nominum, & metus temporum obtinuit: ut ſilentia vitiorum malè cupientia haberentur, & pro geſtorum ſpetioſus Titulus Amneſtia, Pax & Concordia vocaretur.

Vix

Vix Respub. tot curis & moleſtiis defatigata campum deſeruit cum militaris Confæderatio coaluit, magnâ ſpetiè Jurisjurandi firmata: non prius ſuas conſcientias ab hoc ſacro nexu ſoluturos, donec jura Legesque & antiqua Reip. forma reſtituta fuiſſet. & certe major pars civium dulci libertatis nomine (quo illi cupiditates ſuas illuſtraverant) circumventa, eorum ſtudia ſequebatur. Ita ſive illud odio rerum præſentium, ſive nimio præteritarum amore agebatur; Reſp. profecto eorum operâ tot per annos quietum non potuit conſequi ſtatum. Converſus poſthæc in viſcera Regni exercitus, cum recenter lectis in ſupplementum virium Reip. cohortibus, armorum odiorumque experimentum fecit, fatale Civilis Belli præludium. Properabantur interim in Conventibus Palatinatuum Regni juramenta, confluebatque nobilitas magnâ alacritate ad fidei (quæ tunc maximè in lubrico agebat) Sacrificium. Magnus Ducatus Lithuaniæ & Provincia Pruſſiæ aſſignatis Conventibus, univerſalibus Literis ad Confæderationem & Magnum Conſilium pridie nonas Januarii, Varſaviæ celebrandum vocabantur. Magnus Ducatus Lithuaniæ nuntios: Provincia Pruthena Deputatos tantum ad S.R. Mttem cum ſingulari Inſtructione ablegavit: qui Comitia Regni & veteris uſum Reip. peterent. Ea Legatio primò eluſa, dein fruſtra habita eſt. inficiari tamen eâ tempeſtate nemo potuiſſet: magnam ſpetiem incommodi ſurgentibus tum maximè Reip. partibus attuliſſe. Eodem tempore univerſales Literæ ad Caſtra, aliæ ad Palatinatus acceleratæ ſunt: præcipitis quidem illæ conſilii, ſed ad ſubitos & arduos motus opportuni. Die

Die deſtinatâ auſpiciis Magni Conſilii, Mareſchalcus in Senatorio Conclavi ſeptus turba Deputatorum, inſtructâ ſplendido Verborum paratu Oratione Principem ſalutavit. Tum ſequenti quatriduo nil actum ab iis, quibus nulla in pace ſpes, omne in turbido Conſilium: niſi Punctorum Confæderationis executio & Judicia in Malecontentos urgebantur. at ſapientes, quibus quietis & Reip. cura, molliora ſuadebant: utroque Reverendiſſimus Epiſcopus Cracovienſis interpoſitionem Senatus propoſuit, curamque mediationis in ſe recepit. Id ſpretum primò rejectumque conſilium, ægrè Moderatiorum precibus Quarto Idus Januarii ſuſceptum eſt. Literas tamen Credentionales publicè legi vetitas eſſe; palam obſtrepentibus Vocibus: non decere Reipublicæ dignitatem, Civium ſubmitti contumaciæ. auderet ageretque Senatus quidquid è re boni publici videretur, Reip. avitam auctoritatem Equeſtri Ordini tuendam defendamque relinqueret. Ita ſequenti die Reverendiſſimus Antiſtes Cracovienſis cum Palatino Witepſcenſi Lovicium properavere, ubi magno numero in Primatis Sede Conciliabulum celebraturi Malecontenti convenerant. Sed qui miſerant, integram in 18. Jauuarii diem Judiciorum proſecutionem ſibi reſervarunt, præfixo ſimul reditu & reddendæ Declarationis aſſignato ablegatis Termino; ne inutili cunctatione tempori conſiliisq; diſpendium afferrent. Interim in Senatu per eos dies magno ſtrepitu, & aliquando ad vim Confæderationis converſi minitantes inter fulmina Verborum Caſtellanum Vibrenſem Kotowſcium invitabant, ut jusjuran-

dum Confæderationis expleret. ille diu eludens identidem asserebat, videre sese in Senatu Reverendisimos Episcopos, qui ut dignitate & auctoritate primas tenerent, ita eos sequi se par esset. itaque post longa certamina proniores ad pietatem Episcopi, Præmislienſis & Luceorienſis ſtantes jusjurandum diversum à sæculari Juramenti forma præstitere. Mareschalcus etiam prælecto Juramento Regis, quo se Reipublicæ obligavit, lectoque Diplomate & adjecto, quam honorificus ubique M. D. Lithuaniæ & adnexarum Provinciarum esset respectus, ne se, Unionis cum Republica memores, à publico consensu subtraherent, molli, nec renitentibus, sermone svadebat. Ergo postquam nullus jam esset reliquus dilationi locus, procumbentes in genua Wilnenſis & Wolynenſis Castellani, prælegente Mareschalco Confæderationis Regni jurisiurandi formam, Religionem explevere. Tum coortæ sunt Voces; quibus petebatur, ut universi Aulæ Ministri eandem necesitatem jurisjurandi amplecterentur. nec diu cunctatus supremus cubiculi Regii Præfectus positis genibus Vocationi paruit. cæteri reliquis diebus fidelitati Sacramentum dicebant.

Pridie Idus Januarii promulgabantur à Mareschalco formæ Juramentorum, quibus rei armamentariæ Præfecti Prætoriarum Cohortium officiales obstringerentur. Conceptum deinde Legis de habendo quolibet & pro hoste Patriæ declarando publicavit, quisquis jurisjurandi sperneret aut eluderet religionem. Tribunalitiorum quoque Judiciorum prosecutio, non nisi post feli-

felicem Confæderationis exitum reassumi permittebatur. Clenodia Regni in usum ac necessitatem Reipublicæ, præcipuè autem in expensas fortificationis Leopolinenſis Urbis extradi mandabantur. ad cujus summæ dispositionem, quæ non minor sexcentorum millium aureorum esset, Pro Cancellarius Regni invitabatur. Verum ille ut semper egregius declinandæ & à suis partibus amoliendæ invidiæ artifex contra disseruit: eleganti & modesto prorsus sermone leniter cuncta Confæderationis acta damnans reprobansque: ut satis cuique constare posset, etiam præsentia Magni Consilii pro Rep. molimina illum suâ sententia parum probavisse. Imperiti levitatem arguebant constantiamque animi in tanto Viro requirebant: apud prudentiores multum illi famæ moderationis hoc strategemate partum esse videbatur. callidiores adversæ Partis existimabant: gloriam equidem moderationis toties in publico quæsitam, postquam arrogantiam & gustum discordiæ per occultum explevisset. Ingens hac occasione ortum certamen, donec illustrisimus Episcopus Chelmenſis infestâ Voce prorupit, referens: *Judiciorum Tribunalitiorum rectam quidem naturam esse & nulli culpæ obnoxiam, sed sæpè personas publicâ abuti autoritate, nec modo sacrosanctis Comitiorum sancitis negotium, multoties & periculum feciſſe. Proinde quisquis moderni Actus sancitis seu refragari, sive novo nocendi genere obnuntiare velit, illi Confæderationis rigorem expectandum ac subeundum esse, nimirum pro hoste Patriæ declarationem.* Quies post hæc & ex metu reverentia pro Reipublica dictis Mareschalcus quoque animosior, Deputatos ad reserandum Regni Thesaurum nominavit.

Tum conversi rursus ad materiam odiorum, quæ tum Diffidentia vocabatur, post primam notitiam à delegatis ad Malecontentos expeditis habitam, ad Judicia Perduellionis statim condescendendum ferociter magnâ constantiâ petebant: verum aliorum sententiis mitigati, svadentium, opperiendam esse ipsius Episcopi Cracovienſis præsentiam: Princeps quoq; ut illorum tædium ex diuturniori morâ sublevaret, evulgari à Throno jussit: missurum se literas manu suâ subscriptas & sigillo Regni communitas ad Episcopum Cracovienſem, ut quam ocyus expeditioni suæ consuleret. Simul Magnas Sessiones Senatui & Equestri Ordini concesit, ut tanto facilius per Palatinatus externæ Defensionis consilia coalescere possent. Agebantur itaque Sessiones, sed ob discrepantiam Sententiarum, & quia plures volebant; ad ulteriorem deliberationem rejicebantur. Ita ob multorum simulatum erga partes Reip. amorem, seu metum instantis revolutionis, quamvis recta consilia negligebantur, nihilque salutare pro Republicâ sine exitiosa cunctatione in supremo licet Patriæ periculo concludi potuit. Nec aliam causam crediderim: quam quod rebus domi turbatis semper externa sine cura habeantur, & malit quisque inimici sui excidio invigilare, quàm publicæ saluti & gloriæ Regni studere, quando adversarium per ambitum malasque artes longè se videt valentiorem. Septima tamen Calendas Januarii Mareschalcus, declaratâ proxima jam Palatinatuum dispositione, ad statuendam defensionem Reipublicæ, cujus maturioris expeditionis causa Deputatos ex Senatu à Principe petiit.

petiit. Verum Princeps vocato ad Thronum Senatu, post longam deliberationem; quia consultius videbatur, venientium ab exercitu Commissariorum cognoscere desideria, & eodem Deputationis Actu utrumque negotium expedire: in crastinam diem assignandæ Deputationis sepositi Declarationem.

Proximâ die ob Gentium Sessiones tardius expeditas, jam sero diei data Senatus copia; ubi post intimationem Consiliorum à Mareschalco Equestri factam, cùm secretò ad Thronum Principis Literarum Lovicienſis conferentiæ Puncta legerentur, ad requisitionem Nuntiorum Terrestrium clarâ voce Princeps evulgari jussit. Magna specie Libertatis primâ fronte & rerum ignaris commendabantur: at quibus facta & molimina utriusque partis in expenso, conjectabant arguebantque, quod nociva tam speciosis tegerentur. an novum sub sole? multos Libertatem præ se ferre, ut Imperium evertant: quod postquam evertissent, ipsam aggredi consveviſſe. Reliquus stylus abruptæ contumaciæ, quàm obsequio propior erat. . nimia confidentia innocentiæ locum occupaverat, adversæ partis pii conatus & candida pro Republica gesta arguebantur. Postremò ne quid inculpatum relinqueretur: fidem quoque Principis incusabant, acerrimo & pænè implacabili invecti odio in Palatinum Syradienſem, quod Primores Regni profanâ delatione machinationis in Rempublicam Ottomanici Belli insimulasset. Flexerant & ad modestiam; & quidquid anteactis temporibus commiserant, tanquam indebitè fama eorum ob id ipsum apud Populum gravaretur, compositâ ad submissionem lenitate excusabant. Re-

Reſponſum ab Equeſtri Ordine, in eam quæ ſequitur formam. *I. Reſp. ſicut Domina Juris ſui, hoc habet pro firmo & rato, quod illi intercedente omnium conſenſu ſemel placuit, idque ipſum vim legis habere. id enim Jus eſſe, quod Populus juſſit. neque id mirum videri debet, quod Reſpublica extraordinaria remedia in extraordinariis arripuiſſet malis. 2. Pruſſiæ Provincia, quamvis hactenus ad Confœderationem non acceſſiſſet, & nihilominus ad illam legitimè invitata, neque id ipſum curſum ejus ſiſtere poſſe, neque exemplis indigere, tot Comitia in abſentia Nuntiorum diverſorum Palatinatuum celebrata eſſe. 3. Comitia in tam anguſto tempore indici (quando de Reipublicæ defenſione ſubitò conſulere decet) non expedire; & quis tantus non convellendorum Sponſor? qui caſus extremam Reip. confuſionem acceleraret. Quod ſi Magnates ad Confœderationem mutuo nobiscum mediante Juramento acceſſerint, poterit præſens Conventus Comitiorum nomine inſigniri. 4. Ad Judicia in Caſtris Princeps non acceſſit, antequam ad ea ab Univerſo Equeſtri Ordine neceſſitatus fuiſſet. 5. Læſio bonæ famæ per varios projectus nemini gravis eſſe deberet, quam rectè factorum conſcientia ſolaretur. 6. D. Palatinum Syradienſem pro ſuâ generoſitate quidquid alicui objeciſſet, ſi ad Judicia Ventum fuerit, probare paratum eſſe. 7. Securitas Magnificis DD. eo ipſo cauta erit, ſi ad Confœderationem & publica Conſilia acceſſerint. Verum ſi ſuæ & in eo blandiantur diffidentiæ, poteſt illis etiam beneficio legis firmari ſecuritas. 8. Impoſturas, quæ honorem Principis vellicant, nec parcunt Majeſtati, omni prorſus indignas eſſe reſponſo. 9. Sanguine parta exercitus merita, digna præmis & ſtipendiis: juſtiori titulo æquius haberi in corde Principis & Reip. quam aliquot privatarum perſonarum, quarum fides præpoſtera eſt & ſuſpecta, quia nimia rei aliena*

aliena cura. 10. Partis alterius in Urbem adventum, ut præcedat juſjurandum ſpecificè in Nomen Principis ſeriò poſtulamus. Aliis neglectis, Reſponſoria à Repub. Puncta ideo prætermittenda non cenſui: ut pateret Orbi liberæ Gentis magnanimitas, quæ etiam adverſus prævalidos Cives vitio adulationis aut puſillanimitatis gloriam ſuam non fædavit. Innatum id eſſe liberis Populis ſervitio ſubjectæ nationes ſciant, etiam in extremis generoſos ſpiritus ferociamque retinere. Aderat tum præſens Conſilio Palatinus Syradienſis, qui collecto intra ſe ſpiritu & acceptâ dicendi facultate, magno animo ferocibus verbis in Malecontentos invectus eſt. *Id peſſimis mortalium in ſe diſplicere, imò etiam ad culpam trahi, quo gloria conſtanter ſervatæ fidei etiam apud hoſtes quæritur: nimirum non deſeruiſſe Majeſtatem Principis in Caſtris cum Republica pro communi ſalute excubantem, cùm alii ob Diffidentiam, cujus ipſi authores erant, ad Seditionem & turbas prolaberentur. imò etiam manifeſtaſſe improbos eorum contra Rempublicam conatus; quia oblivi ſci ſine flagitio Senatorii juris jurandi nexum non potuiſſet: quidquid nociuum ſcivero, à Republica avertam. ſtimulante inſuper ad id Patris ſui mandato, qui Tibi ſuprema Voluntate præſcriptum reliquiſſet: non contra Jovem, ſed pro Jove manum movere. Nimium offendere Malecontentos, quòd illis exprobretur Bellum Turcicum in excidium Patriæ accerſiviſſe! ſed rectius judicium etiam in Areopago mereri non poſſunt, quando Palatinidem Rauenſem, cæterosque, qui funeſto exemplo iteratis vicibus Regni Comitia convellebant, parricidas Patriæ, viperas parentis ſuæ in ſinu foveant, Jam ne ipsâ exercitus famâ hoſtilium progreſſuum celeritas tardaretur, deſerta ab omnibus copiis Ukraina, & ubi nullum periculum eſſet, falsò*

falsò metus periculi fingebatur. Hinc nudata præsidio, quæ plurimum periculi habuere Fortalitia: contra longinqua, & quæ vix belli formido attingere poterat, tanquam contra imminentem hostis impetum instructa armataque cernebantur. Confœderatio militaris sub Trebowla in subversionem Regiæ Majestatis practicata, multosque Conventus Varsaviæ aliisque in locis super eo facinore celebratos. Jam numerosas turbas & insolita militaris licentiæ agmina in sedem Regni inducta; ut terrore minisque & periculo anxiæ vitæ inter parere dedignantes fastiditum Principi redderent Imperium, postremò extorquerent. Cæteras eorum machinationes obligasse sese Reip. palam facere; ideoque iram eorum potissimum sufflaminâsse: quia corruptiones contempsissem, & infame pretium venalis conscientiæ, ad quod sollicitabar, dedignatus essem. Sed illud fortè melioris in Remp. animi candorisque indicium erit? oppressam armis turmam Zalescii, depressum Vexillum Notarii Campestris, Kosubscii, Principis denique; ut egesto quidquid modestum sincerumque, sola inter turbulentos securiùs licentia grassaretur. Mihi fidem integram, nullas calumnias & pericula pavescentem, imò mille mortibus animum pro salute Reipublicæ ac Majestate Serenitatis Vestræ destinatum. Statim festis Nuntiorum Vocibus exceptus, attollentuum, dignum Senatoriâ fide & immortali gloriâ facinus edidisse: Ducem quoque exercituum M.D.Lithuaniæ pari honore celebrabant, quod publicè declarasset: Scripturum se Literas ad M.D. Lithuaniæ Incolas unaque & ad exercitus, quos paratos esse, dummodo Judicia Perduellionis accelerarentur, ad ultionem; ac in tuitionem Majestatis totiusque Reipublicæ ardescere. Paulatim post hæc à Verbis ad minas transibant, multi ferociùs abrum-

abrumpendam omnem moram uti publicæ saluti noxiam, & ad manum atque gladios Rempublicam vocabant impellebantque. Judex Sendomirienſis authoritate & judicio inter Nuntios facilè primas tenens, moderandum adhuc fervori censuit, cæterique in eandem sententiam differebant petebantque: ne ob nimiam præcipitantiam fervoremque, alio forte tempore commodiorem, grave vulnus fatoque proximum Respublica acciperet. dandum adhuc tempus paucorum dierum recollectioni Malecontentorum: forsan brevem moram lenitatem animis citius allaturam: quam ratio & metus ex Republica præstare non potuisset. Incaluerat nimium impetus & atroces erumpebant parabanturque sententiæ; nisi Princeps solutâ Sessione convenienti tantæ Scenæ remedio, ne simul evanesceret, consuluisset.

Octavo Cal. Januarii actum de prolongando ad 28. præsentis magno Conventu, datæque acres à Republica ad Malecontentos Literæ, ne ultra haberent ludibrio Rempublicam, nil enim accidere posse acerbius graviusque libero Populo, quam in æqualitate videre cives, qui se supra leges attollant, imo palam dominationis Arcana oppresis legibus tentent. Prolongatio Convocationis ad paucos dies ægrè obtineri potuit; idque non aliâ conditione, quàm ut si interim non ex Voto Reipublicæ Malecontentorum declaratio secuta fuisset: ex nunc pro Hostibus Patriæ publicarentur. at Nuntii M. D. Lithuaniæ Deputationem urgebant, ut de proditione Camenecii Podolienſis cognosceretur. Sequenti die publicæ Regni defensioni consilia accommodabantur, quis cen-

sus in ærarium inferri deberet? quæ Vires Reipublicæ, quantisque copiis notæ hostium potentiæ occurrendum esset. Legati etiam ut ad Christianos Principes sumptibus Gubernatorum Regni Præfecturarum mitterentur, multi ambitiosè orabant. Sed Illustrissimus ProCancellarius, cum optimam de Malecontentorum favorabili declaratione spem præmisisset, nil sine Duce de exercitu ac Viribus Reipublicæ tractari posse, constanti oratione asseveravit. magnæ semper in publico moderationis, quâ interdum ingruentia & periculosa inimicorum odia deprecabatur. Proximâ luce Deputati ab exercitu M. D. Lithuaniæ publicam in Senatu audientiam habuere, testificando ultimum etiam sanguinem pro integritate Majestatis paratos se esse impendere. Expeditâ Deputatione, Castellanus Podlachiæ injunctam sibi à Republica gestæ Provinciæ reddebat rationem. Præfecerat illum Supremus Militiæ Dux parti exercitus, jusseratque ex Ukraina deduci præsidia, ut iisdem copiis Camenecum adversus Ottomanicam potentiam firmaretur. Testes Imperii, Literas Ducis manu tenebat, sed quibus graviter convulsorum Comitiorum Regni Ubiszius incusabatur. Ad extremum omnem culpam proditi Cameneci in Generalem Podoliæ transtulit. firmiter asserendo: quodsi se destinatis cum copiis recepisset; potuisset nobilissimum Regni fortalitium diutius contra barbaras Gentes defendi: quando satis commeatu adversus obsidionis moram instructum fuisset, cujus etiam post deditionem cum enormi infamia Nostti, satis amplam hostis copiam inveniisset. Reverendissimus etiam Episco-

Episcopus Camenecensis, quia crebris Vocibus stimulabatur, addidit: prædictum Generalem diu ante explorasse alpes, ubi mollior duriorque lapidis materia facilius à pulvere vel ab arte ruinam pateretur: quod magnâ suspicione carere æquum non esse. at illud plurimorum notitiæ apertum, pyrium pulverem adeo infectum corruptumque, ut sine ulla hostium noxa tormenta peditumque sclopeta exploderentur. Exarsit interim quidam Nuntiorum in licentiam, & factam Præsulis Relationem impudicâ ac venali linguâ, non ex fide factam, arguere ausus erat, magnâ cum admiratione bonorum civium: quod non modò manifesto flagitio impia opera attritâ fronte ministraretur, verum etiam dignitas Ecclesiasticæ personæ indignâ contumeliâ usque ad injuriam afficeretur. Sed mirum videri non debet: quia corruptâ Libertate licentia scelerum ministra est. Generalis Podoliæ petitâ dicendi Libertate Relationem quoque proferre parabat. Sed acri clamore oppressus: indignum eum esse, qui Jus dicendi inter honestos cives haberet. futuram illi Libertatem Vocis circa formatum Judicium; quod tanquam infamis, impius, proditor Patriæ, desertor fidei Christianæ subire expectaret. Ubyszius cùm plura cumulasset, quibus à se ruptorum Comitiorum infamiam amovebat, addidit: quod suâ Protestatione securitatem Principis Solio conciliasset, cujus rei rationem toti jam Reipublicæ sub Lublino in Castris reddidisset. Tum conversò sermone obsecrabat Generalem Podoliæ, ut infestas machinationes infensosque Reipublicæ cives, qui Camenecum barbaris prodidis-

lent, hoſtemque in viſcera Reipublicæ induxiſſent, propalaret; poſſe eo ipſo clementiam Reipublicæ mereri, ac liberum à Termino pronuntiari. Statimque Deputationem ſuper eo negotio Univerſi Nuntii magno fremitu urgebant, magnis diris infelix Generalis caput devovendo. iamque Mareſchalcus conſenſum à ſingulis requirebat Palatinatibus, paratusque erat deputare: cùm Illuſtriſſimus ProCancellarius & Judex Sendomirienſis commodiorem tantæ rei deliberationem, quam impetum arbitrati, incenſæ ad vindictam multitudini tantillum inſtantis diei interſtitium perſuaſiſſent. Ergo brevem moram proximo ſolatio explendæ ultionis tollerarêre. Sed disjectus aſtu conſilioque fervor. metuebatur enim, ne ſi Judicia Perduellionis invaſiſſent; levique indicio rapti periculo Malecontentorum, impiam famam atrocis ſceleris immiſcuiſſent: ſimul externo Bello ac internæ Paci malè conſulerent. At ſequenti die ob mutuam inprimis Nuntiorum Procerumque M. D. Lithuaniæ conferentiam, ægrè, jam proniore in occaſum die, Senatus copia data eſt. Verum illi cum tempore non miteſcerent, nihilque magis continuis vocibus peterent, quàm ut proditio Cameneci Judicum Sententias experiretur: neque eludi ultra aut refragari tam juſto, licet nondum tempeſtivo conatui daretur: declarata eſt à Reverendiſſimo Epiſcopo Paſnanienſi Malecontentorum erga Remp. ſubmiſſio, Literæque ad Reginalem Majeſtatem ab Illuſtriſſimo Epiſcopo Cracovienſi datæ, attinuere impetum; quibus obnixè ſollicitabat: ne optima Princeps Meditationi Malecontentorum

rum cum Principe & Republicâ ſuis auſpiciis ac innocentiâ conſulere dedignaretur. Legebantur & Literæ ad Illuſtriſſimum ProCancellarium à Malecontentis datæ, magnæ propenſionis cum Republica Unionis manifeſtæ, niſi quod primùm pro 30. Januarii Commiſſarios ſuos Varſaviam venturos declaraſſent; cum pro 28. Respublica finalem Declarationem ab iis poſtulaſſet: tanquam in leviſſimis quoque tam difficili tempore arrogantiam explere tantis Viris conſultum decorumque eſſet. tolerante cuncta Rep. dummodo ob ſervatos cives moderationis famam adipiſceretur. Ergò mitiores poſt hæc ſecutæ ſententiæ, quibus de Ottomanica potentia diſſerebatur, dictumque Turcarum Cæſaris referebatur: qui identidem coram familiaribus ſuis ſub Cameneco repetere ſolebat: quod ſive ederet, ſive ambularet, ac licet dormiret: Semper de Dantiſco cogitaret. & quamvis iterum infeſtæ Voces in Malecontentos nonnullorum Nuntiorum erumperent, infensè quærentium, quod tamdiu Reipublicæ auctoritatem eluderent? meliorum tamen conſenſu disjectæ ſunt, juvitque eorum ſive oblivionem ſeu lenitatem Princeps, declaratis in proximam Seſſionem proditi Cameneci Judiciis.

Tertio Cal. Januarii reduces Lovicio Illuſtriſſimi Commiſſarii, ſalutato Principe ſufficientem transactionis ſuæ in Senatu fecêre relationem. referebat Reverendiſſimus Epiſcopus Cracovienſis, idem teſtante Palatino Witepscenſi, minimè in dubium vocare Malecontentos Electionem Principis, neqve contra Regimen ejus inurgere. id ſolùm anxiè à Republica petere, ut fama illo-

illorum Decreto Lublinenſis Confæderationis non modo in opinione civium, verum etiam apud exteras gentes nimium gravata, juſto aliqvo lenimento refoveri poſſet. Proinde multi ex illuſtribus Nuntiis caſum Reipublicæ miſerabantur, cum plures non tam fortunam Reipublicæ æſtimantes, qvàm publico diſſidio læti & per incerta tutiſſimi, ſcriptarum à Malecontentis ad Reginalem Majeſtatem Literarum incuſatâ acerbè arrogantia, Judicia in Proditores Cameneci & convulſores profanatorum toties Comitiorum urgebant. Verum Succamerarius Zakrocimenſis contrarium cenſuerat, petebatque a tota Republica Reſcriptum, ne per ejusmodi Judicia Malecontentorum ſalus in diſcrimen vocaretur: parvam ſæpè deſperationis ſcintillam, ingens excitare incendium, non toto poſt hæc civilis prudentiæ Oceano reſtinguendum. Prævaluit tamen pars, quæ meliora cenſuerat, ſed affectu peſſimis quoque rebus obnoxia. nimium enim ſtudium, quamvis titulum honeſtatis juſtæ cauſæ obtinebat, affectu tamen adulationem, & ex civili diſſidio fædum & damnabilem alienæ fortunæ appetitum manifeſtè monſtrabat. Nec ultra differre Mareſchalcus Equeſtris potuit: quin ad Judicia Deputatos binos ex Palatinatibus, ſingulos ex Terris nominaret.

Proxima dies ob Moscovitici Subdelegati audientiam moram publicis conſiliis attulit: quæ poſtquam Vice Mareſchalcatus Officio fungens Capitaneus Osviecimenſis, ob adverſam Mareſchalci Equeſtris valetudinem initiaſſet, vani homines & ultra verba non auſuri, civili

vili Bello claſſicum ſonabant: pœnam in Proditores, Judicia in Malecontentos flagitando. mali prorſus publicorum Conſiliorum Arbitri: qui bona, vel ut ipſi æſtimant, fortia conſilia impetu valere opinantes, proſperi finis incurioſi, dum modo malæ cupiditatis & invidiæ guſtum quoquo modo explerent. Obſtitêre fortiter Nuntii Palatinatus Ruſſiæ, optando: *ut integras potius Vires adverſus hoſtiles conatus Patria ſervaret, quàm civili diſcordiâ libatas, domeſtico ſanguine violaret. Stabiliendam eſſe muniendamque Rempublicam non armis modo & robore exercitus; Sed quod multo præſtantius multòque majoris prudentiæ laborisque eſt, egregiis Pacis artibus. Huc potiùs Reſpublica intenderet: ut Terras Ruſſiæ adverſus iam iam irrupturas Tartarorum copias conſervare poſſet. Proinde defenſio Reipublicæ cunctis bonis & modeſtis civibus cordi eſſe deberet: petendamque ante omnia Deputationem à Republica ad Bellicum conſilium, nam ſi civilis Belli rabies plus in fero alicujus pectore poſſet, quàm ſalus & quies Reipublicæ, tum nos ſe eſſe paratos ſubtrahere tam infauſtis conſiliis, & meliori modo ſaluti fortunisque confratrum ſuorum viam expedituros.* Movit ea Vox Principem ſenatumque, ac ſtatim aſſignati è medio Procerum novem ad Bellicum Conſilium, à Vice Mareſchalco octo & deni ex Equeſtri Ordine Deputati. Jam altera Deputatio à Republica ſpectabatur, & tamen in commune nihil concludebatur. nam & Primo Cal. Februarii ingreſſi Senatum ad Bellicum conſilium Deputati, ob inopiam publicæ concordiæ, & quod in ſua Seſſione nihil concludere potuiſſent, nullam fecêre relationem: tantum Prolongationem præſentis Conventus ab Equeſtri Ordine poſtulavêre.

Sed

Sed non alias magis infenſi Nuntii, ſuperbiam & callidi-talem Malecontentorum accuſando, omnem protracti-onem ut fraudem ſuſpicantes, abrumpendum Conven-tum, & Vocatorias Literas ad arma nobilitatis ingenti ſtudio & anxiis precibus à Principe poſtulabant. queru-labanturque inter dolorem infenſis Vocibus, Majoris Poloniæ, Breſtenſis, Cujavienſis, Lencycienſis Palatina-tuum Nuntii, oppreſſos ſe exactionibus Hybernæ & mi-litari licentia ab exercitu, quem miſera Respublica in-ſuum excidium propriis ſtipendiis aleret. Epiſcopus Posnanienſis, Chelmenſis, Cracovienſis tam enormes oppreſſiones ad iniquam Hybernæ diſtributionem ultrò referebant. atrociora addidit Palatinus Syradienſis: *ipſos exercitus Regentes ex eadem Hyberna in ſuos uſus ducenta millia convertiſſe: exceptis aliis Aſſignationibus, quas inſolitis penſionibus repleri neceſſe fuit; quo faciliùs corruptâ militari di-ſciplinâ inſolens militaris turba ad ſeditionem impelleretur.* orabatque Rempublicam, *ut in manifeſta oppreſſione non lentis conſiliis, ſed ferro & manu ſibi mederetur, ac laudabiliter inchoa-tam Confœderationem ſtrenue tandem exequeretur. fruſtra-torporem & ignaviam ad cunctationis & prudentiæ vocabula-transferri: ubi periculoſior ſit quies civibus, quam temeritas.* Pa-rabaturque ingens aliquid eâ die in Malecontentos, niſi qverelis, & ex illis augescente in immenſum publico odio, alterâ querimoniâ ſubventum eſſet: petebant ſci-licet Nuntii Ducatus Maſoviæ ſollicitis precibus à Prin-cipe Coſacorum relegationem, qui concivibus ſuis gra-ves haberentur. *An diffideret Princeps pectoribus civium? qui Confœderatione Lublinenſi obſtricti, non modo periculis ejus immixti*

immixti vivere vellent, ſed Majeſtati ejus tuendæ, vitam & ſan-guinem conſecraſſent. id niſi impetrarent, progredi ſeſe in cun-ctis Reipublicæ non poſſe negotiis, protulere. Princeps incuſatis turbidis Reipublicæ temporibus, quod neceſſitate actus, illos præſidii cauſa quingentos tantum vocaſſet: cæte-rum reliquos mille quingentos ſtatim abire juſſurum; nolle Majeſtatem, adeò nec ſalutem ſuam charis civibus oneri eſſe. Ita favorabili oratione, vim imperii & arcani conſilii momentum tenuit. Sed mihi hæc atque talia magis magisque reputanti, ſatis claris documentis co-gnitum eſt, ſupremum illud Numen, quoties Regnorum ac Imperiorum ſalutem propitiis Fatis adjudicat, mali-gnos etiam conatus in bonum vertere exitum: ut quod nocere meritò debuerat, prodeſſe incipiat. Quid enim aliud querelæ adverſus exercitum Regni? quorſum ille toties ingeminatus auribus Reipublicæ oppreſſorum ci-vium gemitus? niſi flabella publici odii, quo civile in-cendium exurgeret, & proſtratis tot civium capitibus, hiantes inimicorum ſpes, non ſinè ſupremo Reip. exitio, alienâ calamitate & fortunæ ruinâ expleret. Supplica-tio adverſus Coſacos in tempore illata mitigavit feruo-rem Populi, qui ad metum pronior, ſuſpicionibus qui-buscunque obnoxius: ſuffeciſſe hactenus conſtantiæ ci-vium pectora, alieno præſidio ſecuritatem Principis non egere, haud falſo tacitus, nec ſine indignatione arbitraba-tur. Verum ſi quis hic conſulentium voluntatem, non caſum fortunæ ſpectet: mira occurrit nec immunis à laude, quamvis in maligno ſtudio male, contentorum ſo-lertia. qui perſpicientes, quantum medio querelarum

in ſe cumulatum eſſet, odiorum procuratis viciſſim erga Principem querimoniis, totam illam exacerbati Populi furoris ſcenam exquiſita dexteritate & acribus machinationibus ſubverterunt. fateri denique ad extremum neceſſe habebit: eam Remp. diu non poſſe conſiſtere, quæ cives habeat, non Libertati, non ſervitio ſatis addictos: ſed tantum in ſimulationem compoſitos, exteris ac ſibi ipſis, Potentioribus maximè obnoxios, quique libenter ferocius de Avita Libertate loquantur; quam eam ob venales animos, fraudes, factiones, privata odia & inimicitias, ſæpè inſtar hoſtilitatis ad publica usque damna & pænè interitum exercitus, amplius valeant retinere. Iterata Conventus Prolongatio, plus temporis traxit refragantibus Nuntiis, vix interpoſitione ipſius Principis evictum eſt, ut ad Pridie Nonas Februarii concederent. Sed cùm parcè momenta temporis æſtimarent, malè agendi tempora dispenſabant. tritis aliquot inter inanes diſcurſus diebus, exacerbati potiſſimum ex eo in Malecontentos; quod eorum Commiſſarii Deputatos è medio Senatus Reverendiſſimum Epiſcopum Posnanienſem & Chelmenſem ad tractatum mediationis admittere renuiſſent. Arſiſſetque hoc fomite diſcordia: niſi Judex Sendomirienſis ipſum Principem exemplo Sigismundi III. monuiſſet, ut ipſe Mediationi ſeſe accingeret, Reginalisque Majeſtatis probatam lenitatem eò duceret; felicem ſemper operam ejusmodi negotiis mites Auſtriacæ Familiæ Heroinas attuliſſe dictitans. nihil enim majorem auctoritatem in negotiantibus requirere, nihil majori arte induſtriâque tractandum, quam disjunctos

junctos turbidosque civium animos, eradicatâ penitus diffidentiâ, ſyncerâ ſerenare concordiâ. Si bonorum tantùm ſententiæ valuiſſent, facilè Reſpublica componi potuiſſet. Verum imperiti Gubernatores ſulcis quam fluctibus moderandis habiliores: ubi Clavum Reipublicæ invaſerant, turbidi iſti CPoli, atroci tempeſtati Reipublicæ navem committebant. Capitaneus Sredenſis infenſè in Malecontentos invectus, cum atrocia ſe relaturum promiſiſſet: minora vero vulgaverat. attamen multi rescindendum Conventum, & transferenda in campum proditi Cameneci ac Malecontentorum Judicia protervè poſtulabant. obliti in tanta neceſſitate ac periculo pereuntis Reipublicæ Legationis ad externos Principes, quorum remotiores, pecuniarum, viciniores armorum ſubſidia promitterent: ita rupto Conventu & evanescente Legationis officio, ſuas ipſi ſpes votaque fruſtrabantur. Hæc pro more prudens diſſeruerat Capitaneus Osvecimenſis; cùm Senatum ingreſſi Palatinus Trocenſis & Syradienſis, qui conferentiam cum Commiſſariis Lovicienſibus habuerant, reſponderantque publicè ad crebras Nuntiorum requiſitiones; optimè ſermonem circa Majeſtatem habitum ſucceſſiſſe. Interim Illuſtriſſimus Pro Cancellarius advenit, qui ponderatis altius Tractatus initiis referebat Reipublicæ, non habere quidem Lovicienſes Commiſſarios perſonarum Reverr. Epiſcoporum Posnanienſis & Chelmenſis ab opere Mediationis contentam Inſtructione excluſionem, ſed ſenſivum ſuper id Inſtrumentum oſtendiſſe. At deſiderium, quo petunt Curiæ Romanæ & Cæſareæ

Majestatis Legatorum assistentiam Tractatui Mediationis, majori specie subire ad Judicium Reipublicæ requirere. amovenda hic prorsus cuncta impedimenta, quæ implicare negotium aut possent corrumpere. *cùm enim satis arduam Instructionem attulissent, nisi in prædictos Mediatores Respublica consentiret, verendum esset: ne coram iisdem Mediatoribus totoque orbe protestentur, se synceram cum Republica Pacem voluisse: sed spretos se & elusos ad desperationem suprema necessitate actos esse. Multi id Nuntiorum intra se probabant, plures propalam arguebant: quid civibus esset cum externis Principum Legatis, neque ad hoc Instructionem à Principalibus suis attulisse: adeone decorum jam esse pessimis moribus discordiam; ut etiam pulchrum ducat ostentui esse? annon privata Reipublicæ vulnera, domestico potius luctu operienda?* Ad extremum concessêre, tædio magis quam rationibus victi: ut & prædicti Mediatores lateri Reginalis Majestatis, dum concordia inter cives tractaretur, assisterent. Diversa tamen animos sapientiorum turbabant: Plebs non advertebat. Provecta scilicet eò usque in infelici Repub. Privatorum odio: quod damnata omnium civium virtute & innocentia, libentius se externis, quam concivibus & amicis credere maluissent. metuebatur etiam, quando amorem civium penitus exuissent, ægrè fidem retenturos. ideòque externos Mediatores petiisse: ut rupto per abrupta media Tractatu, majori specie Reipublicæ illuderent, & fictâ modestiâ quasi læsam innocentiam suam toto coram orbe testarentur. Sed magis in ipsis implacabilis erga cives animus culpabatur: quod quando illum vindictâ non possent; superbiâ saltem

tem & contemptu, ut in inimicos & sibi infensos, explere ius fasque ducerent.

Octavo Idus Februarii Mareschalcus Equestris pluribus partibus Propositionem suam distinxerat. Revocabat in mentem Reipublicæ Judicia proditionis, necem Broniewscii, fortificationem Leopolis, obsidum eliberationem. danda exulibus Podoliæ reclinatoria. Publicam denique Defensionem arripiendam petebat, suadebatque. Sed nihil æque animos penetravit, læsisque adhæsit præcordiis, quam Judicia, modus scilicet explendæ ultionis. itaque quasi jam pertinaciæ cessisset ratio: Cracovienſis Palatinatus Nuntii solicitè præcavebant, ne ad hæc Judicia Palatinatuum Appellationes traherentur. extollebantque Divini Numinis providentiam, quod prudentiâ & dexteritate Magni Zamoiscii ab Aulico Judicio Equester Ordo liberatus fuisset. Iniquas se potius lætiori fronte Electorum inter se judicum laturos Sententias, quàm gravissimum Appellationum post Curiam jugum subituros. Quare non modo non laudare, verum etiam meritò improbare non nullorum Palatinatuum Terrarumque Nuntios, qui voce & superfluis blanditiis continuo inanem erga Majestatis conservationem Zelum jactent, cùm Palatinatus Sendomiriensis & Cracovienſis re ipsâ testentur. idque satis illustri monstrasse documento; advinctis lateri Principis tot Equitum turmis, in vim Auctionis exercitus coactis, quibus in singula Trimestris stipendia, centum & aliquot millia necesse haberent exolvere. orabantque Coæquationem cum civibus, qui illos non affectu, neque im-

pendio in publicum, sed ostentatione Virium & superfluâ Verborum anteirent jactantiâ. Vice Director etiam Equestris, facilitando quidquid Judicia morari posset, Conceptum legit : quo cavebatur, ne stante Tractatu cum Commissariis Lovicienſibus, quisquam ex Malecontentis insimulari proditionis & ad Judicia trahi posset. Ergo paucis adjectis aut recisis, ab universis assensum est: statimque eodem fervore Nuntii M. D. Lithuaniæ Jusjurandum super Judicia à Deputatis præstari postulabant. Ortum eâ occasione inter Nuntios certamen diremit Episcopus Pasnanienſis, opportune senatum ingressus : petendo à Principe, ut tantillum Respublica à Judiciis temperaret, donec Tractatui cum Commissariis Lovicienſibus suprema manus imponeretur. Mitiores jam videri asserebat : nam quos nuper à Tractatu excluserant damnaverantque non sine Reipublicæ ignominia cives, nunc ultrò recipiant patianturque. Felicem sese sperare rei summam, ubi à modestia & pœnitentia auspicium meliori successui faciunt. Referri ad præsens Reipublicæ Tractatus Puncta, ob nondum satis maturam eorum deliberationem, non posse ; cæterum proximâ die in scripto allaturum, modo interim Judicia ad breve temporis interstitium rejiciantur. Itaque invitato Princeps ad Thronum Senatu, datâ ad arbitrium Episcopi Posnanienſis declaratione, non modo requisito, sed spreto etiam Nuntiorum consensu Magni Consilii dimisit sessionem. Cæteri statim fremitu : graviores sapientiâ Nuntii, quamvis per modestiam, sperni tamen tam facilè Equestrem Ordinem non mereri, neque

neque eo tempore sine blandimentis & comitate consultum arbitrabantur: cùm parvis rebus alienationis aut favoris Populi momenta constent. cuique enim in propatulô erat : quod nuda Majestas inermis & discors Senatus, tota vis in Equite esset. Speciem itaque vilipendii præbere rectè æstimanti periculosum erat : sed sive cuncta in simulationem & terrorem adversæ partis tantum composita erant; seu ipse Equestris Ordo circa levissimas materias ingentibus assuetus controversiis, difficilemque sperans inter se consensum, quamvis quandoque, dummodo sine publico damno sperneretur, miti ferebat ingenio. Sequenti luce Vice Director Equestris Ordinis Propositionem *fecit magnificam, æquando summis in Rempublicam beneficiis illorum Consiliariorum pro publica salute laborem, qui disjunctos Civium animos novo Reipublicæ & communi tranquillitatis fœdere unirent. exclamans: O periodum temporis diu expectatam & omnibus fortunatissimam.* Ea vox Illustrissimum Episcopum Cracovienſem movit, perstitque laudare Equestrem ordinem, quod nomine publico pro functione Lovicienſi reciperet gratiarum actionem. Post hæc, quia resolutio Punctorum à Commissariis Lovicienſibus secretâ indigebat conferentiâ, moti omnes Senatu arbitri : lectaque Informatio à M. exercituum Duce, per quam concessum hosti Camenecum, tristeque Reipublicæ & execrabile damnum justificabatur. Tum Palatinus Witepscenſis relationem suam ad Puncta Tractatus cum delegatis Lovicienſibus conformabat: Recensebatque, non magno negotio consensisse eos in Jurisjurandi formam sub Golebio initam, paucis ver-

verbis immutatis, non vitato ullatenus expresso Principis nomine. id tamen inprimis postulare.

Ut majora Regni officia, prout sunt sigilla, Clavæ, Scipiones, ad normam antiquorum Jurium in Comitiis distribuantur.

Idem verò Actus Magni Consilii, non immutato Directore & Nuntiis, ad Comitia Regni reducatur. in casu ejusdem convulsionis, liber sit Reipublicæ ad Generalem Confœderationem recursus. Nevè Conventus Particulares Palatinatibus sine consensu Ordinum, vigore Confœderationis, amplius instituere licitum sit.

Exercitus M. D. Lithuaniæ limites Regni transcendere, cùm Jure prohibeatur: fas ei non sit.

Copias quascunque Respublica ad sui defensionem paraverit, ne potestati & imperio M. Ducis subtrahantur.

Læsi honoris summorum in Republica Virorum redintegrationem, & Zamoisciana causæ decisionem in præsenti Conventu petebant.

Accepta deinde dicendi facultate, Illustrissimus Episcopus Cracovienſis, multa circa informationem à M. exercituum Duce oblatam Reipublicæ, locutus, alterum quoque ipsius scriptum publicè legi petiit. In quo Dux acerbè querebatur contra Generalem Podoliæ, quod omnem proditi Cameneci culpam in se transferret; asserens: *quod si id publicè coram Judicibus aut Republica confessus fuisset, liber ob onere actionis pronuntiari debuerat. Agnoscere se crimen, si crimen dici meruerit. suo mandato exploratas alpes, an arti operique pervia essent? ut tanto dexterius meliusque fortificationi Urbis prospici posset. quas postquam omnem laborem pervicaciâ ac duritie suâ spernere comperisset: inveniſſe Ingeniarium, qui id pyrio pulvere effici posse promiserat, magnum-*

magnumque spectante toto exercitu, ejecta in sublimè sex libris pulveris simili petra, dedisse experimentum. Argui proindè temerè intentionem suam æquum non fuisse, nec sinistrâ interpretatione coram Republica honorem suum juxta & integritatem perverti debuisse. Ergo libenter vellet spectare delatorum & experiri probationem. His egregiè ultus est Innocentiam suam, quem cum omnes excellæ virtutes abunde ornassent, vix credibile erat, illas in tanto Viro Innocentiam morum ad contubernium suum non admisisse. Statim Reverendissimus Episcopus Camenecensis accepta Voce modestè sese excusabat: Retulisse Reip. quod exploratum habuisset: cæterum nullius intentionem, adeo nec innocentiam præpostero damnasse coram Rep. judicio. *non se ignorasse, imò etiam nunc palam proferre; ac monitum quemque velle; ut dispiciat secum quisque tali tempore Reip. quid illi non modò agendum, verum etiam publicè loquendum sit.* At postquam Puncta cum Commissariis Lovicienſibus inita sub examen Reip. venere: dissoni clamores, impetus non judicium, clavum consilii regebat, & adiiciebant dictis ferociam, queritando: hunc ne fructum Pacis subdelegatos Malecontentorum (alii malevolorum clamitabant) Reip. attulisse, ut tanquam acie victis leges præscribant imponantque. Meliorum tamen sententiis compositi; instruentium: nihil adhuc in conclusionem, omnia in vim præparamenti concepta esse: mitti adhuc Lovicium debere, tandemque Reipublicæ futuram decidendi potestatem. frustra divinari prospera aut adversa, antequam de plano voluntas & affectus in Rempublicam Malecontentorum innotescat. Ita conventum ab

omnibus: ut Reſponſum Lovicium mitteretur, adjecto imperio: penes orthodoxæ cultum Religionis, Majeſtatem Principis Michaelis, ejuratis omnibus externis correſpondentiis, præſtandi circa defenſionem eorum Jurisjurandi. deſtinatusque à Republica Palatinus Witepscenſis, cum Commiſſariis ſedem Malecontentorum adeundi: quo facilius, ſi quid dubii occurreret, intentionem Reipublicæ tantò accuratius rationibus explanarent.

Proximâ die Propoſitio Equeſtris Directoris erat de Judiciis, publica Securitate, Prolongatione Conventus. Nuntii in fractâ pertinaciâ urſere Judicia, quorum nimiæ Princeps blandiendo affectationi, Deputatos ad Judicia in craſtinam diem parare conſcientias Religioni promulgare juſſit. Tum defenſio Reipublicæ valuit. dicebanturque ſententiæ, inter quas Palatini Inovvroclavienſis Jacobi Sezarvinſcii (ſatis jam clari conſtanti in Religionem zelo, vindicato ex iniqua Toronenſium Poſſeſſione S. Jacobi Templo, mira dexteritate & digna tanto viro audacia) in Patriam & veritatem amore, cui ſæpè officit adulatio & præſentia Imperantis, illuſtre Votum plurium mentibus pectoribusque inſederat. Is accepta dicendi libertate ad Principem converſus diſſeruit: *Auſpicia Imperii Majeſtati Veſtræ non è Terris ſed de Cælo contigiſſe, cùm nihil hic caſus aut fortuna poſsit, non vano ſeſe judicio æſtimare. Hinc etiam profectum eſſe arbitror, quod in tanta malignitate hominum, non fama Majeſtatis, non ſalus Imperii in atroci civium discordia, & fatali rerum omnium confuſione naufragium tulerit. Poſſe tamen turbati & panè verſi Reipublicæ*

Status

Status magna ex parte referri ad cauſas & ingenia depravatorum in Aula hominum: qui ut ſeſe domosque ſuas in immenſum extollant, per ruinam famæ egregii cujusque & civium cervices nituntur, utque terrori ſint ſingulis, deprimunt univerſos: ac ne quis ſceleratæ illorum ſuperbiæ obviam ire audeat, ſiniſtris delationibus labefactant inſiciuntque præcipuos civium, hæ peſtes & Venenata monſtra Reipublicæ, à quibus bonus, cautus, optimus etiam venditur Imperator. Non mereatur audire Majeſtas Veſtra, quod dici ad infamiam de Claudio Cæſare dignum fuit: qui Libertis, Uxoribusque addictus, non Principem ſe tanti Imperii, ſed Miniſtrum egit. neque alia ratione à ſagaciſſimis Principibus vitari has Sirenes dulce Venenum auribus inſtillantes, niſi contemptu talia audiendi, & in contumaces delatores, vindicta pœnæ. Nam ſi intra paucam familiam conſtituta domus malitioſorum ſuſurronum perverſâ levitate orbatur quiete; quanto magis de Rebuspublicis ſentiendum? quæ inſtar Oceani, parvis motibus ingentibus turbinum & ſeditionum fluctibus periclitantur. Hæ cauſæ offecerunt officientque publicis rebus: ut multa Imperia creſcere non poſſint, quædam perire neceſsitas humanæ malevolentiæ poſtulet faciatque. Publicam Regni defenſionem Ordinariis mediis fruſtra fulciendam, in extraordinariis periculis ſupremo conatu, viribus & affectu Reipublicæ ſubveniendum. Cur enim Poſſeſſores amplisſimi Reipublicæ Patrimonii in Sacros Eccleſiæ uſus conſecrati, annuum proventum tantis Reipublicæ neceſsitatibus ultrò largiri non debeant? minores verò Bonorum Regalium Tenutarios nimirùm Capitaneos, Suffraganeos, Abbates, Canonicos, ac reliquos Clericos bona Terreſtria poſsidentes, invitari lege ad libertatem ergà Rempublicam & conſervationem Cultus Divini, ac privatæ cujusque fortunæ Pacisque publicæ, nonne eſſe conve-

niens

niens æstimatur? sed ut à suspicione jactantiæ suum imprimis vindicem nomen, offerre sese centuriam equitantium Sclopetariorum Reipublicæ propriis stipendiis militaturam, neque id pro documento, sed pro debito amoris in Rempublicam & obsequii velim esse & haberi. Ejus Vocem excepit Judex Sendomirienſis ſummis laudibus cumulans: quod tanta profeſſus eſſet, quanta nemo in hanc usque diem illuſtrium Virorum profiteri auſus fuiſſet. attamen in paucis efferbuit zelus, privatis ſumptibus bonum publicum juvandi. tantumque ex Patribus, Palatinus Lublinenſis centum pedites, Magnus Cancellarius M. D. Lithuaniæ trecentos Sclopetarios obtulit. Tandem de Prolongatione Magni Conſilii actum, ægreque ad paucos dies conceſſa, idque ſub conditione, ut Judicia proditionis Cameneci proximâ die à Deputatis Juramento expleto inchoarentur. Sed ubi jam deſtinata totiesque optata dies venerat: turpi rurſus inconſtantiâ nonnulli Nuntiorum rejectione, ad notitiam declarationis Malecontentorum, alii Juramento à Deputatis quoque ex Senatu præſtando, ultrò difficultates, non ſine publico rubore Judicia ad præſens & impoſterum Reipublicæ ſalutaria toties elusêre. Ut non alibi inſtabilis Populi melius expreſſam cerneres imaginem; mirâ inconſtantiâ quæ vetuerat jubente, & quæ juſſerat vetante. adeò ut ad maturum interitum mores ſufficerent, feralis tantum dies & inclementia Fatorum deſideraretur.

Duodecimo Cal. Februarii erectum in Baſilica S. Joannis funebri cultu mauſoleum, celebratæ exequiæ Caſimiro Regi, inſcriptum Lemma atratis Pyramidibus,

bus, teſtandæ Populo Principis modeſtiæ & pietatis cauſa: *Cecidit Corona Capitis Noſtri.* Funebrem Actum concluſit Illuſtriſsimus ProCancellarius mæſtâ Oratione, nec quidem ſimulato dolore. non quod lugubris Scena lacrymas omninò deſideraret: Sed atrox malorum memoria & publicorum damnorum magnitudo luctum & gemitum è cujusque pectore provocabant. Inclinatâ jam die data Senatus copia, lectæque ſunt Literæ à Palatino Witepscenſi, quas quia ambiguè de Submiſſione Malecontentorum Epiſcopo Cracovienſi ſcripſerat: ingens orta confuſio, nihilque, præter voces ad arma vocantium, & imprecationes in proterva civium capita, audiebatur, multique Vocatorias ad arma Literas à Principe, nec per ſimulationem, flagitabant: ut ſibi maturè in tanto diſcrimine Reſpublica conſulere poſſet. Verum opportunè à M. Cancellario M. D. Lithuaniæ monſtratæ ab eodem Palatino Witepscenſi ſibi inſcriptæ Literæ atrocem illum Populi fervorem lenivêre. Promittebant Malecontenti ſuum propediem Varſaviã adventum, ad paucos tantum dies conſiliorum Prolongationem optabant. Ergò ad omnem ſpem concordiæ faciles ultrò conceſsêre. Nuntius tantum Breſtenſis Cujavienſis expedire ſuam morabatur Declarationem: ſollicitè inſtando petendoque à Republica, & ad eandem operam hortando univerſum Nuntiorum Collegium, ut in cauſa proditi Cameneci inquiſitionem ſaltem deduci paterentur, ſi continuare Judicium pœniteret. Impugnatus poſt hæc egregiorum Nuntiorum ſed timidis Sententiis, & poſtquam perſiſteret, nec ad Declarationem ſuper Prolonga-

longatione nomine Palatinatus sui faciendam progredi vellet, ultroque resolutionem à Principe peteret, invitato Princeps ad Sedem suam consultoque Senatu, justo desiderio annui non posse declaravit: cùm Inquisitionis actus antecedere in jure non possit inchoationem causæ ac litis contestationem. vocatum deinde ad Thronum, blandâque Majestatis voce compositum etiam publico non renitentem consensui, dimisit. Ita Prolongationi ad 22. præsentis Pacique publicæ consultum.

Decimo Cal. Februarias à reditu suo Palatinus Witepscensis in Senatu comparuit, faciebatque relationem, quomodò quisque Malecontentorum Statui suo conveniens expleviſſet Juramentum: tum Puncta proposuit, quæ Reipublicæ resolutionem exigerent: nimirum ut, Lauda Palatinatuum ad modernum Magni Consilii Actum formata Nuntiisque data cassarentur, Jureque Caduci Bona adempta antiquis Possessoribus restituerentur. Elucidationem Jurisjurandi Regii loco, *nihil novi*, unum verbum permutatum, *contrarii*, melioraret. ad eandem Elucidationem addi Punctum postulabant: *extra dubitationem metumque positi simus, Principem nobis cuncta inviolabiliter servaturum, quidquid in Coronatione sine restrictione mentis religiosè firmavisset.* Et quamvis ad extremum ejici consensissent verba, sine restrictione mentis: illud tamen mordicus retinebant: ut elucidationi jurisjurandi adjiceretur, quod mutuam requirant à Principe si non fidem, at certè obligationis constantiam. Causarum Perduellionis Judicia requirebant Processu in Actu Confœderationis descripto terminari; non verò Summario Jure:

Jure: quemadmodum ejusdem Confœderationis ultimus Recessus sonat. Contra calumniatores Forum assignari vigore præsentium Comitiorum urgebant. Zamoisciis pensionem 20. assignari contendebant, antequam in causa Ordinationibus in Comitiis Respublica, decideret. Postremò sollicitè exigebant: sed neque ad regulam prudentiæ, neque ex usu rectæ conscientiæ, quasi ob iræ & odii violentiam non modo injurias, sed nec aspectum inimicorum in publico tollerare possent. cùm æternitatis felicis possessione digni olim Viri, antequam Curiam ingrederentur, celeberrimo ad imitationem, exemplo inimicitias præ foribus Curiæ deponerent, nimirùm: ut Senatores Conciliabulo Lovicienſi contrarii aut infensi, Senatus frequentatione eo usque abstinerent, donec Magnifici Lovicienses Principem salutarent. Offendit ea contumacia acriter Equestrem Ordinem, cunctique ad violenta media inconsulto impetu ruebant: mitiores tamen Sententiæ prævaluere; ut moderata Mediatorum operâ ante Principis Conclave Puncta, ocyus Lovicium mitterentur, simulque Malecontenti ad mutua de Republica consilia invitarentur. Inter tantas minas & justas interdum offensiones, eâ lenitate & modestiâ agebat Respublica, ut quamvis nondum ullo submissionis vestigio benevolentiam meruissent, ultrò eâdem illâ die in Cassationem Jurium Caducorum post Prazmovios collatorum consenserit. beneficiis & favoribus leniens delicta, quæ secando & urendo aliisque gravioribus remediis exasperarentur. Discat quisque, plus in initiis Civilium turbarum lenitate & patientiâ, ac pru-

prudenti temperamento ſapienter cuncta & ex uſu moderando profici: quàm vi & abruptis conſiliis. nam lenitatem etiam contumax erubeſcit malignitas, & ob ſpretam ſubmiſſionem, adverſæ fortunæ vindicias timet: feſtinatione & impetu, cùm ſe ad neceſsitatem actam opinetur; formidine, aliquando & irâ, ad deſperationem magnis ſpiritibus animatur.

Nono Cal. Februarii Extraordinario Nuntio Apoſtolico datus eſt Audientiæ à Principe honor. Mareſchalcus Equeſtris in Senatu Literas Reſponſi Lovicium mittendas legere parabat: cùm ab Epiſcopo Poſnanienſi prohibitus eſt, contradicentis ob abſentiam Epiſcopi Cracovienſis, apud quem Authographum ipſum Reſponſi eſſet. Suadebatque, ut interim Judicia Proditionis feſtinarentur, antequam Illuſtriſsimi Epiſcopi Cracovienſis præſentia Senatui affulgeret. Invaleſcentibus exinde continuò Vocibus, licet Palatinus Witepscenſis eſſe ſibi ad manum id Reſponſum, quod præſtolarentur declaraſſet: nihil juvare potuit, quin potentiſsimè Judicia urgerent. Ergò & Mareſchalcus Equeſtris, quo facilius in conſenſum uniret diverſos, & controverſiis occaſionem præſcinderet: præſentabat Juramenti formam Senatoribus ad Judicia proditionis deputatis, ad quam explendam Articulo Confæderationis tenerentur. renuebant diu Patres, opponendo Senatorii Jurisjurandi Religionem, quâ ſemel fidem Principi & Reipublicæ obligaſſent: fatebanturque metum ex poſteritatis judicio, quæ illorum fidem, ſi toties juraſſent, ſuſpectam fuiſſe, haud iniquè argueret. Sed validiſsimi Nuntiorum urgebant:

gebant: *in Tribunalitio Subſellio, in variis Commiſsionum functionibus, nil officere Senatoriæ Dignitati expletorum Juramentorum neceſſitatem. nam ut Ordinem quemque prudenter ſuis officiis Respublica diſtinxit, ita quibusque dignitatibus non indecora judicavit propria cum muneribus onera.* Tum ceſſit rationibus damnoſa tempori controverſia. & Mareſchalcus acceptâ Voce dubitando quærebat: an ad præſentia Judicia, Olizar & Zabokryccius cæterique Comitiorum convulſores, pro quibus Magnificos Malecontentos inſtare, referri trahique deberent, petebat à Principe reſolutionem? Vocato Princeps ad Thronum Senatu, ore Pro Cancellarii Declarationem expedivit: *quandò omnes injurias bono Reipublicæ donaſſet, etiam in eo Comitiorum convulſoribus indulgere: ut eos pœnitentiæ magis quàm ſupplicio ſervari malit. ſatis illis ipſo facinore ſupplicii relictum eſſe, quod pœnæ magis quam infamiæ ſint exempli*: id tamen univerſo Populo totique Orbi conſtare optaret: cujus ſcilicet inſtinctu Comitia Coronationis ſuæ abrupta ſint, grandi quidem, attamen innocuo Majeſtatis dedecore, ſed majori Reipublicæ damno. Fatigabat interim aures continuò Mareſchalci Equeſtris quidam Nobilium Lodrinſcius, qui Delationis partes proditi Cameneci libenter ſuſtinere vellet. Ergò Mareſchalcus acceptâ dicendi libertate, cum dolore & gemitu protulit: *ſtrictas ſe equidem cum Illuſtriſsima Potociorum Domo habere neceſsitudines, ſtrictiorem tamen in ſe non diffiteri Patriæ amorem, cui omnes charitates cedere conſueverunt. Proinde quoniam delator Proditorum Cameneci ultrò faciem Reipublicæ ſubeat; deterreri eum ab ea delatione à ſe non potuiſſe, neque debuiſſe. quando eâ reſolutione inſtructum*

ctum esse cernat: ut paratus sit Generalem Podoliæ Juramento convincere: quod infami pretio Camenecum hosti Christiani nominis prodiderit. notumque illi esse statis claris documentis, illud infame pretium Bonis suis Strulec dictis sub Dubno sitis invexisse. Ad rem novam & inexpectatam prorupêre in affectus, ut quisque iis obnoxius erat, quales ira & primus impetus subministrat: Subordinatum alii ad invidiam Generalis Podoliæ detestabantur, & publicâ custodiâ attinendum, ut malitiosum, clamitabant. tam projectæ mentis homines, cùm maxima scelera inulta finerent, etiam indices punire volebant. non sine rumore conscios eos fuisse sceleris, quod subdolis verbis tantum crimen palam detestarentur, dum punire nunquam permitterent. Plures melioresque securitatem delatori dandam, providendumque sustentationi ejus ex publico contendebant, donec inquisitione deductâ causa exitum sortiretur. sollicitabantque Principem, ut justissimis precibus declaratione suâ subvenire dignaretur. Princeps itaque à Throno censuit: ut eo usque sub patrocinio Mareschalci Equestris haberetur, donec ex Thesauro Regni pensione sublevaretur. Sedato motu promovente Reverendissimo Episcopo Posnanienſi, lectæ sunt à Prælato ejus Responsoriæ Literæ, ad libitum planè Lovicienſis Conventus compositæ. Ergò datâ occasione sententiis, plurimi Nuntiorum serio præcavebant: non modò verbo, sed ne minimo quidem implicatorio termino permissuros Confœderationis Cassationem, nisi prius exactè compositam ab intra vidissent Rempublicam. reliqui Nuntii cùm maturandas res censerent, neque vanis scrupulis & ambi-

ambiguitatibus morari ultra concordiæ opus decorum affirmarent: juvit contrariæ partis sensum Director Equestris, asserendo: *acerrimâ deliberatione egere ea consilia, quæcunque ad formandam æternitatem legis disponerentur. Satius hic cunctatione peccandum, quam ut præcipitantiâ bonis consiliis inimica, famam quisque suam ac bonum publicum Imperiique salutem affligat.* Incensos ad longum verborũ certamen, commovit fervidâ Voce suâ Episcopus Posnanienſis: *per divina humanaque obtestans Principem & Rempublicam, ne summos Magistratus imposterum nisi biennales haberi paterentur. id tot millia armatorum fratrum à se in Campo petiisse: ut Vestram Regiam Majestatem continuis precibus obtestarer, ne in minimo puncto salutaris illa pro Reipublica Confederatio, quam & Vestra Majestas jurejurando firmasset, violaretur. Non se liberos non Fratres in spem Reipublicæ alere, aut suam confectam ætatem grandiori servare ambitioni: id tantum petere à Majestate Vestra, quod saluberrimum posteà Reipublicæ futurum claris apud se documentis prævidisset.* Minus ea sententia Illustrissimo Pro Cancellario placuit, qui statim contra accepto dicendi Jure disseruit: *Orsus ab incommodis, quæ necessario evenire deberent, si tam crebræ mutationi fortunæ aut sapientiæ ducis subesse cogeretur. facilius in Rebuspublicis Oratores, quam milites nasci: difficiliorem his omnibus boni Imperatoris Electionem. Proinde diu cuique Principum dispiciendum esse, quem bellica Virtus & fortuna tanto fastigio dignum censuerint. Absolutis id tantum Principibus moris esse, qui eminentes Virtutes in subditis ferre nequeunt: ut neminem unum Magnum faciant. at in Libera nostra Republica nondum videre eò descensum necessitatis, neque Ser. Majestatem absoluti habenas Imperii affectare. Transmit-*

tendum ergò potius hunc conatum ducere, quàm tot cives periculo dignitatis in tanto animorum motu ad recentem invidiam provocare. Sed non venerat fortè in mentem: optimè mediocritatem civium cum Libertate convenire. Testis est Prototypa illa omnium Liberorum statuum Romana Respublica, quæ eò usque florentem internâ Pacis beatitudine statum habuit, quandiu annui duravêre Magistratus. postquam corruptis per ambitionem Legibus prorogari cœpere, immane quantum exarsit ambitus, postremò victa armis à civibus Respublica Libertatem Dominationi submisit. An non expediebat meminisse saluberrimi illius Liviani moniti: Libertatis magnam custodiam esse, asserentis, si magna Imperia diuturna esse non sinas; & temporis ratio iis imponatur, quibus juris non potest. Cave & tu Sarmatia. vides ut insurgit semper altius civium ambitus, & tamen remedia opportuno tempore oblata incuriosus spernit & abolet contemptus. An non vides multis Familiis æternas jam ferè Reip: possessiones, & intra paucas Domos concluså summorum Magistratuum Imperia. multisque jam si non publicas opes, quarum immanis & flagrantior semper est cupido, at Dignitatum officia non tam honori, quàm oneri esse: dum opinione Majorumque fama suffulti, ignavo Nomine, sed quod ad pompam valeat, fructuosas alioquin Reipublicæ fortium Virorum Patriæque bono natorum obumbrant Virtutes, fortunam deprimunt.

Sequenti die ad instantiam Illustrissimi Episcopi Cracovienſis finaliter decisa à Mediatoribus Puncta, & Lovi-

Lovicium mittenda considerationi publicæ proponebantur. Disgustus audientium manifestus, incerti clamores, nec inter legendum à Vocibus temperabant, cumque non omnia ex æquo propter obstrepentes ab omnibus voces intelligerentur: non ratio sed impetus valebat. potissimum verò ingenti contentione postulabant addi speciale Punctum publico Tractatus Instrumento; ut turmæ Equestres Regiæ Majestatis, Hybernis & stipendiis abjudicatæ in integrum restituerentur. nonnulli sufficere eis privatim data Rescripta, & instantias eo nomine Principis ad supremum Ducem factas. Gliscente certamine, Episcopus Cracovienſis revocari in mentem scriptum à supremo Exercituum Duce petebat, in quo validæ rationes circa stipendiarias Principis copias, propositæ essent. fatebaturque, meminisse se habitæ cum illo Lovicii conferentiæ: ubi memorabat: *Juramento in Pactis Conventis expresso Principem firmasse, nullas copias propriis stipendiis in exercitu habiturum: quodque hic abusus Principum non ita pridem irrepsisset, idque primùm temporibus Vladislai Regis, qui adhuc junior & extra curas Imperii positus, accingens se Expeditioni Moschoviticæ, propriis sumptibus aliquot Equitum Vexilla in obsequium Reipublicæ conduxerat, quorum perspectâ fortitudine & audaciâ, in opere belli non solum retinuit, verum & stipendiis auxit: attamen susceptoregimine Regni, statim obsequio Reipublicæ addixisse, postremò in prima ætate filio suo cessisse. Post Fata felicis Principis eosdem bene meritos milites Frater Regis Princeps Casimirus ad se evocavit, retinebatque eos sub nomine quo acceperat, etiam Regale adeptus fastigium. Interveniente Abdicatione cùm Respublica ad antiqua Instituta rediis-*

ſet, nullam ſe neceſsitatem videre, ut Princeps ſeorſim habeat in exercitu Vexilla: cùm omnes Legiones Alæque tam exercitus Regni, quàm copiarum M. D. Lithuaniæ nullius alterius auſpicia agnoſcant, niſi Principis Regentis. Quare non expedire inter milites de inutili prærogativæ certamine foveri diſcordiam, dum alii ſe Principis militem, alii Reipublicæ appellant: cùm tamen Respublica omnibus, ut Parens omnium, ſtipendia ex æquo provideat. Multis diſplicere vox Epiſcopi viſa, Mareſchalcus etiam Equeſtris prolixè contra diſſeruit. Nondum controverſæ materiæ publico aſſenſu vel diſſenſu proſpectum erat: cùm in novos diſcurſus exarſere, petebanturque Juri Caduco ſubjici bona eorum, qui Generali Expeditioni bellicæ ſpretâ Lege non ſatisfecerant. Sævitumque fuiſſet promiſcuè in fortunas civium, niſi plures obſtitiſſent, ingeminando: id quoque ad clementiam Principis & Univerſalem præteritorum Amneſtiam pertinere. Quod ſi puniendi eſſent, qui ſe Bellicæ Expeditioni ſubtraxerant; quantò plures majorique pœnâ digni Caſtrorum deſertores. id verò crimen, cùm plurimi deliquerint, levius haberi: & nemo duriorem pœnam à concatenato multitudinis delicto exegerit, quàm pœnitentiam. an obliti jam eſſent, omnes pænè Palatinatus, expleto ſuper Confœderationem Juramento, ſub Lublino relictis Caſtris, ſuas ſedes repetiiſſe? Non una poſt hæc Conſilii facies, ſed tanquam circa ſtructuram Turris Babel, licet non variis linguis, at contrariis ſenſibus diverſa loquebantur, donec Palatinus Czerniechovienſis apto rebus ſermone terruit pertinaces controvertentium animos: *DEI iram portendi in res Polonas, aſſerens; quod in ſupremo Patriæ periculo nocivâ prorſus morâ Exe-*

cutionem

cutionem Conſultorum fruſtrarentur, in Conſiliis Remp. perimerent. Reſipiſcerent tandem, tempusque recolligendis Reip. Viribus permitterent; nil ſeſe in modificatis Punctis advertere, quod aut Reip. integritatem aut Majeſtatis ſecuritatem imminutum iret: cætera publicæ concordiæ condonanda. Non diſſimilia Palatinus Witepſcenſis locutus, poſtremò ſuadebat; ut Deputati ad Conſtitutiones aſſignarentur. cùm enim cuncta conſenſu publico facilitentur, par eſſe, ut præſens Actus Magni Conſilii, titulo Comitiorum Regni inſigniatur. Ergò Mareſchalcus Equeſtris quatuor Deputatos ad curam inſpectionis condendarum Legum aſſignari poſtulabat, requirere id faciem Extraordinariorum Comitiorum, quæ ex continuatione Confœderationis ſummo labore formarentur. Contradixere nonnulli aſſeverantes, non expedire, quidquam immutari eo tempore; quo potiſsimùm cuncta malè hactenus habitorum Inſtitutorum, ad antiquam orbitam revocarentur. Oppoſuêre alii, nullum ex eo neq; moribus neq; Legibus præjudicium, cum id nullâ vetante aut probante Lege in placito conſtituentiũ poſitum ſit. Igitur arbitrio Reipubl. permiſſum, duosne vel plures Deputatos nominari vellet. Rurſus Director Equeſtris accepta Voce iteratis vicibus ſollicitabat Ordines Reipublicæ: *darent id ſibi, darent magnæ Confœderationis perenni memoriæ, darent poſtremò & tenuitati ſuæ, ut plures Deputati, quàm ſolitus mos requireret, juvarent ſeſe ſubtanto onere fatiſcentem. In Bellonæ non in Minervæ ſinu ſeſe educatum: cogitarent rudem eſſe, eoque pluribus Magiſtris ac munimentis indigere.* Acclamavêre Volentia Syradienſes, Lencycienſes, Cujavienſes Nuntii, alii non tam proni in Mareſchalcum, contradictioni blanditias

miſcue-

miſcuerant, aſſerendo: fidem ipſius probatam, dexteritatem perſpectam, cui ſine Deputatorum cuſtodia egregiè fides publica concrederetur. Cæteri palam gloriæ ejus adverſi: opponebant antiqua Inſtituta, quod præſens Reipublicæ caſus neque antiquis moribus, neque Legibus præjudicare quidquam poſſet. Longiorem differentiam diremit Princeps: aſſignando à Throno duos è Senatu Czerniechovienſem & Witepscenſem Palatinos, Mareſchalcus Equeſtris, licet non pleno ſuper eo negotio accepto Nunciorum conſenſu, quatuor ex ſingulis gentibus nominavit, Viros egregios: non tamen ideò disguſtum Reipublicæ & ſecretas multorum incuſationes effugit. Sed audere plura in aperto erat, apud Populum minimas quasque culpas ob præcipitem fervorem non ferentem; Verum adhibito temporis lenimento, maximas etiam gravesque injurias facilè obliviscentem.

Septimo Cal. Februarii à Mareſchalco Equeſtri & Deputatis pridie aſſignatis, Literæ Tractatus Pacificationis internæ corrigebantur: quas ſub veſperam Rex dato Senatu rurſus Reip. arbitrio obtulit trutinandas. Examinatis ritè totius Tractatus Articulis, ac Nomine Senatus & Equeſtris Ordinis ab Illuſtriſſimo Epiſcopo Cracovienſi & Mareſchalco ſubſcriptis, integrum Inſtrumentum ſequentis tenoris Lovicium transmiſſum eſt.

Periculoſa gravisque potentiſſimis etiam Imperiis discordia Rempublicam afflixit, eoque potiſſimùm temporis momento, quando hoſtilis potentia Ditiones Regni Noſtri invaſerat, ex diffidentia & mutuis civium diſſenſionibus fatali caſu deventum ad turbas, procuratamque inter Ordines Regni atrocem ſciſſionem. Verum

hac

hac potiſſimùm causâ ſingularem Numinis agnoſcimus providentiam, quâ Nos & Imperium Regimini Noſtro concreditum fatali ſubduxit tempeſtati. intuitus ex Sancta ſua ſede Noſtram ad curam Reipublicæ applicationem & erga bonum publicum candorem, tum ingenitam animorum inclytarum Sarmatiæ & Lithuaniæ Nationum generoſitatem, & ad auxilium communis Patriæ alacritatem, cunctosque Heroicos actus grandem propenſionem. interpoſitione denique Sereniſſimæ Reginæ Conjugis Noſtræ, & continua cura Intermedii Ordinis inter nos hoſce motus eſſe compoſitos, & omnium Ordinum animos Paci & publicæ concordiæ reunitos. Grande id cæleſtis favoris beneficium ad altaria Divinæ Majeſtatis recolendo, domeſticam hanc concordiam & unionem animorum inter fideles ſubditos noſtros confirmando, ac intercedente omnium Ordinum conſenſu, ad præſentem Conventum congregatorum immutabiliter ſancimus.

Et imprimis; quoniam omnes partes ſuo & totius Reipublicæ Nomine aſſecuravere fidem & conſcientiam ſuam jurejurando obligantes, Majeſtatem Noſtram, uti Electi liberis ſuffragiis Principis & Coronati tueri, Jus Liberæ Electionis propugnare, & illud juxta antiqua Jura & Libertatem avitam manu tenere, & contra Machinatores (ſi aliqui, quod DEUS avertat, invenirentur) conſervationisque arcano Electionis, glorioſa Majorum ſuorum Inſtituta ſequendo, & præſcriptis in Statutis ac Conſtitutionibus nexuum ac Confœderationum antiquarum & recentium Articulis inhærendo, inſiſtere teneantur. At ſi quis contrarium moliri deprehenſus fuerit, ſubmittit ſe integra Respublica contra ejusmodi Machinatorem, juxta omnium Confœderationum tam veterum quam recentium Receſſum, proceſſuram.

Nos etiam conformando Majeſtatem Noſtram communi ordinum concordiæ ad Actum præſentem congregatorum, qui ſub no-

mine

mine Continuationis initæ Confœderationis, ob metum convulsionis moderni Conventus, & firmius consilium circa defensionem publicam ineundum indictus celebratur. Quando jam vita civium confidentia & domestica concordia Orbem Polonum revisit, nec angustia temporis nova Comitia Ordinibus Regni indici concedit: mediante consensu omnium Ordinum præsens Magnum Consilium in Comitia transformamus, Formam Reipublicæ ad antiquum Statum reducendo. Ut quemadmodum Regni Comitia, ita Palatinatuum Conventus, Atrium Libertatis, sentiendi Libertatem, Jus vetandi, Judicia universa ita Aulica sicut & Tribunalitia, Castrensia, Terrestria, omniumque subselliorum ordines ad solitum usum & naturam reducimus: ut statim post felicem modernorum Comitiorum exitum; omnia Judicia, tam in Regno, quàm in M. D. Lithuaniæ ad naturam suam redeant, & pristinæ dignitati restituantur. Jura etiam omnia, Dignitates cunctorum officiorum tam Spiritualium, quàm Secularium, Mareschalcorum, Sigilli Custodum, Ducum exercitus & aliorũ militiæ Præfectorum tam in Regno, quàm in M. D. Lithuaniæ, si quid per eam temporis calamitatem incommodi tulissent, compensatum esse volumus, utque juxta antiquas consvetudines serventur, declaramus. Conservando nihilominùs Jura Majestatis in Castris & in quovis loco, extraditionem quoque Literarum militaris Conductus, accommodando Nos in omnibus negotiis publicis, antiquis Juribus & priscis Consvetudinibus Regum Poloniæ.

Decreta Judiciorum Palatinatuum in causis facti, Fisci, Exemptionum, Liquidationum, & Violentiarum lata in toto conservamus, & Appellationes, quæ ab his Judiciis intervenerunt, sicut & judicata omnia, quæ ad decisionem causæ tam in

in Palatinatibus, quàm in Terris non devenére: causas item in vim Termini Tacti coram Formato Judicio intentatas subsellio Tribunalitio Regni dijudicandas remittimus. Causas verò Juris & alias, quæ ultra præscriptum Confœderationis judicatæ sunt in Palatinatibus & Terris cassamus.

Privilegia Jure Caduci à Nobis collata, rescindendo litibus civium omnem occasionem, ex quibus pullulare consveverunt odia & inimicitiæ, annihilamus: nil derogando Constitutioni Anni 1627. adversus absentes & negligentes legum de Expeditione bellica severè sancitarum; qui neque ad latus nostrum, neque in Castris præsentes, neque per Legem publicam exempti, etiam super Civitates, quæ certo dilectu Nos juvare tenebantur neque juverant: super ejusmodi delinquentes, Jura Caduci valere declaramus, cessante licet Confœderatione ab intra, salva tamen per omnia manente ab extra. excepto Puncto de Officiis Regni, quæ arbitrio Ordinum ad præsentem Conventum congregatorum permittimus. Diploma etiam majoris securitatis causa Juramentorum & Pactorum Conventorum sub tempus Expeditionis bellicæ concessum Reipublicæ, in quocunque adversum non judicabitur antiquæ Formæ Reipublicæ & privatorum honoribus, fortunis, Dignitatibus & Officiis præjudicioſum, ad obtinendum perpetuum robur, ut in volumen Legum inseratur, consentimus.

Jam verò ut Pacificatio hæc interna firmior stabiliorque reddatur, Defensio autem Patriæ eò validior certiorque in sequentia etiam tempora solidè firmari possit: Nos exemplo Nostro subditos fideliter nobis dilectos universos ad mutuam concordiam & amorem invitando, quidquid anteactis temporibus eò usque quácunque causâ aut occasione Nobis adversum accidit, omnia Supremo Pacis Domino & amori Patriæ, unicè con-

servationi ejus studentes, syncero & Christiano animo remittimus, condonamus, & æterna, ut par est, oblivioni tradimus. Ordines etiam Regni pro se & fratribus in Sedibus suis consistentibus declarant: Diffidentias inter Status qualicunque occasione intervenientes è pectoribus suis eradicare, memoriâ quoq; eorum penitus obliteratâ. quas nemo tam publicè quàm privatim objiciendo alterius honori gravis esse debebit; sed in unione & concordia strictissimè permanendo, omnia pericula à Republica, unitis animis & viribus fortunas suas impendio boni publici non subtrahendo, avertere ac depellere obligantur.

Eam concordiam adhuc fortiori nexu firmando, declaramus: quod quidquid in hac confusione Reipublicæ, in communi motu Palatinatuum, personis, Bonis, honoribus, Officiis nonnullorum civium & Tenutariorum bonorum Ecclesiasticorum sive Nostrorum Regalium aut Terrestrium contumeliosum aut præjudiciosum evenisset: nunquam id neque personis, neque posteritatis eorum honori & reputationi nocere debere, præsenti lege cavemus & assecuramus.

Scripta etiam omnia, qualicunque pratextu ex diffidentia & æstu ob interna animorum odia emanata, publica privataque, Typis mandata seu calamo tradita tollimus & annihilamus, & si reperiantur ubicunque locorum Actis ingrossata: deleri seriò mandamus, & quod nullius fama nocere debeant, declaramus.

Conciliabula & privatos Conventus, qui antiquis Legibus ut exitiosi in Rempublicam, prohibiti sunt; nemini indicere & frequentare imposterum liberum relinquitur: antiqua in hoc Statutis & Constitutionibus firmata Instituta sequendo, secundum Praxin & Formam veteris Reipublicæ.

Copias

Copias nullas militares in oppressionem Reipublicæ, multo minùs extra ordinem militiæ conductas habere permittitur, nec sub Vexillum vocare cautum jam pridem Lege communi esse. Proinde reassumimus in eo 1609. Constitutionem. Attamen prout continuis temporibus rem fuisse laudabilem & magni meriti capacem, ita & nunc præclaræ gloriæ & obsequii in Rempublicam censebimus, qui militaribus delectibus ex proprio peculio habitis, nostros & Reipublicæ exercitus augere, & ad externam defensionem firmiorem reddere voluerit, non aggravando Bona nostra spiritualia & Terrestria transitu vel stationibus.

Sermones si qui ladentes alterius honorem fuère, pro non dictis intelligi, nec bonæ famæ, multominùs fortunis alienis nocere debere. Quoniam verò in hac interna discordia acres Articuli honorem gravantes in Conventibus super concives laudati essent, omnes pro nullis & eliminatis declaramus. salvis nihilominus Laudis, quæ ad Defensionem Reipublicæ & in fundamento Legis sancita sunt, quemadmodum & illa, quæ sibi Palatinatus in suum commodum sive in Castris, sive in consvetis consiliorum suorum locis formarunt: adjecta cautela, quod nullius honoris aggravationem continere debeant. Proinde ut imposterum ab ejusmodi lasivis scriptis & traductionibus illustrium Virorum caveatur, Jura tàm Regni, quàm M. D. Lithuaniæ contra calumniatores in futurum, mediante omnium ordinum consensu, reassumimus.

Vexilla Principis levis & Hastatæ militiæ, Hybernis abjudicata & honore Ordinis imminuta, rursus dignitati loci & participationi Hybernæ restituuntur. Legio Principis sub manuductione Campestris Notarii antecedentia prærogativa cæteris antistet: Legionem Princeps Vexillis pro suo arbitrio expleat.

Securitati officii Campestris Notarii, quemadmodum & ordini militiæ debitoque loco Legionis ejus post Ducès exercitus Senatoresque, juxta consvetudinem Antecessorum ejus ab eo repertam, præcavetur. Portio Hyemalis Panis Notarium Campestrem concernens, & census Conscriptionis ab exercitu retentus, ad morem immediati Antecessoris ejus reducitur.

Eâ occasione, secundante velut ipsa fortuna, saluberrima Reipublicæ Vota non jam intra honestum rationum certamen, sed totius ferè Equestris Ordinis consensum Jussaque sletêre. nam Majoris Minorisque Poloniæ Gentium Nuntii universi consensere, magna quoque pars Nuntiorum M. D. Lithuaniæ salutarem pro Republicæ juvabat conatum: ut maximas quasque in Republica Potestates triennalis administratio finiret. Excedere nunc quemque suum fastigium, graviaque indè continuo in Rempublicam damna. at quanto usui esset, si quilibet, quod Consul deliquisset, privatus extra contumaciam & terrorem Reipublicæ gestæ provinciæ redderet rationem. Ita vitari posse mala ambitus, & ex continua potestate metuendam sæpè Reipublicæ privati civis arrogantiam. Obstitit Illustrissimus Pro Cancellarius Regni repetitis antehac rationibus, eumque secuti Illustrissimus Episcopus Cracovienſis, ambo Sigilli Custodes M.D. Lithuaniæ, M. etiam Marescalcus ejusdem Ducatus, nullis se argumentis flecti posse, asseverans; ut tantum in triennium Officia in M. D. Lithuaniæ dispensari patiatur. Iis Declarationibus rursus ProCancellarius Regni ad sententiam invitatus: sibi quoque asseruit persuaderi non posse; ut præbeat consensum super triennalia Marescalcatus & Sigilli Officia, præcipuè quæ Spiritualibus evenirent: nullum enim videre

dere ex eis aut eorum munere atrox Reipublicæ periculum. At Supremam Regiminis militaris Potestatem & Artelleriæ Præfecturam sagaciori dignam esse Reipublicæ consideratione, proinde, standum in eo Confæderationis Articulo, pium ac dignum judicare. Ita tendendo ad sua quisque consilia: bonum publicum in incerto relictum est. rejecta quæstio, si non salus Reipublicæ, in adventum venientium Lovicio Potestatum. Dein prospectâ securitate Marescalco Equestri, & firmato subscriptionibus concordiæ Tractatu soluta Sessio.

Quinto Cal. Febr. Lubomirscius subdapifer Regni, Jure Aduitalitio datus sibi à Principe Marescalcatq Curiæ officio, in Conclavi Jusjurandum præstitit. Sed postquam Princeps Senatum ingressus est, mirum ex eo ortum certamen: quod publicæ honestati, si in priscam temporum gravitatem incidisset, magnum ruborem attulisset. Gravissimi quique Nuntiorum arguebant Majestatem: quod Articulum de Officiis per triennium tantum administrandis, Actaq; Confæderationis Regni, quæ ipse religione & tota Respublica conscientiæ nexu firmasset, ob privatum favorem dissolveret ac perverteret. At è diverso illi ipsi Confæderationis Authores, Summi aliàs in Republica Viri, fædâ inconstantiâ & improbavêre Confæderationem, ut Actum nondum perfectum, non lege firmatum, non in Volumen Legum insertum, ac tandem confessi sunt errorem; sed cui ex litigio & alieno damno turpe remedium quæreretur: per Literas nimirum Citationis urgeri posse repositionem Privilegii consulendo. Si tam facile bonis vindicare injurias

jurias esset, quàm pessimis mortalium inferre in proclivi maneret. Postremò eò ardoris provecti sunt: ut Comarnicius Palatinatus Sendomirienſis Nuntius, verſo ad Principem sermone acriter ex Libertate quæreret,? *An id ab Anteceſſoribus ſuis, an ex ſuo ingenio didiciſſet? quod nunquam adhuc Equeſtri Ordini eveniſſet: ut tam projectè inſtantis Populi Vota ſpernerentur. Proindè obnixè Mareſchalcum Equeſtrem petere, ut erga Principem Valedictionis officio fungatur, qui ſalutem ſuam, qui conſervatricis Ordinis ſplendorem faciliùs poſtponeret, quàm vitiis publicis aut libertatis hoſtibus iraſceretur.* Quidam publicam à Directore interponi Proteſtationem, ob contemptus injuriam, in juſtisſimâ causâ Votorum Populi poſtulabant. Serò Princeps, nam oculus mundi jam atratum noctis ſqualorem ſuperaverat, Declarationem dedit paccandis civium animis opportunam: ſi ſtatim conceſſa, quàm contumacibus Populi precibus expreſſa, neceſſitati potius adſcripta eſſe videretur, quæ facilitati Principis & in cives benevolentiæ imputari potuiſſet. *Curaturum ſcilicet Principem in omnibus Punctis & clauſulis Confœderationem Regni manutenere.* ſtatimque Mareſchalcus Curiæ repoſiturum ſeſe Privilegium adjecit; præcavendo ſibi: quod, quemadmodum in præſentia totius Senatus Privilegium accepiſſet locumque Officii ſui occupaſſet, ita ſpectante totâ Republica, neque culpante poſt hæc moderationem ſuam, proximo die lunæ, quamvis non immeritus accepiſſet, repoſiturum honorem. Id magnis laudibus gratiisque, juſſum eſt à Collegio Nuntiorum per Mareſchalcum Equeſtrem celebrari. facilioresque fuêre in Prolongatione concedenda. Ter-

Tertio Cal. Februarii Mareſchalcus Equeſtris loco Propoſitionis, petiit à Principe, ut Illuſtriſſimus ProCancellarius Reipublicæ referret, quid apud Primatem illumque civium cœtum, qui ea die univerſi in Arcem Viazdovienſem confluxerant, in rem Reipublicæ peregiſſet. Sed ſpreta ac rejecta ea negotii ſeries, ſtudio eorum: qui, ſatisfaciendum Confœderationis legi de Magiſtratibus ad biennium gerendis, & nuperæ à Throno Declarationi, ferventisſimis Votis & repetitis precibus identidem à Principe flagitabant: & licet plures jam Nuntiorum, quàm pridiè, humanitate aliisque artibus parati, Mareſchalco Curiæ patrocinarentur, ipſeque Illuſtrisſimus Epiſcopus Cracovienſis erectus cum toto Senatu Equeſtrem Ordinem precaretur: *daret hanc gratiam meritisſimæ de Republica Lubomirſciorum Domui, ut modernus Mareſchalcus Curiæ non affectu, non obſequio eminenti Majorum ſuorum Virtuti in Rempublicam cedens, præſens officium Adjutalitio jure valeret adminiſtrare.* At non rationibus, non obſervantiâ precibusque Senatus flecti poterant, cùmque infauſtæ in Regimen imprecationes, & acerrimum gliſceret certamen, vocato Princeps ProCancellario declaravit: *Nolle Majeſtatem reniti Votis Equeſtris Ordinis, ideoque velle manutenere Confœderationis Articulum circa diſtributionem Officiorum. Quare ad præſens Privilegium ſuper Dignitatem Mareſchalcatus Curiæ non niſi ad biennium tantum conceſſurum. additurum nihilominus ſuffragium ſuum ad Conventus Palatinatuum, quo Mareſchalcus præſens Officio ſuo ad vitæ tempora frui poſſit* Tunc primum conciliata animorum quies, & Illuſtriſſimo Cancellario Relationem

 facien-

faciendi data facultas. ille verborum compendio uſus: magnam in illa parte ad concordiam propenſionem advertiſſe, eamque brevi in fama omnium fore, modo ſubire faciem Reipublicæ & ſua velint conſilia ſociare. Ad eam Relationem non Equeſtri Ordini, non Senatui Vox: ſpes melioris Reipublicæ ſortis quemque placatum reddiderat. ita dimiſſa Seſſio.

Primo Cal. Martias Illuſtriſſimus Epiſcopus Cracovienſis factâ Declaratione Populum accenderat, quod retuliſſet Malecontentos non nulla Puncta in Inſtrumento Pacificationis mordicus impugnare. Itaque poſt multas Equeſtris Ordinis minas Pokoslavius Nuntius Palatinatus Sendomirienſis, nomine totius Gentis minoris Poloniæ declaravit: nullam amplius correctionem Punctorum publicæ concordiæ permittere: quàm quia infenſa Reipublicæ pars improbaſſet, dimitti præſentem Conventum & ad Literas univerſales armari Palatinatus Gentem ſuam petere. Temperatum tamen nimio affectui Sententiis eorum, qui antequam ad abrupta condeſcenderetur, ſvadebant Reipublicæ: ut per Deputatos adhuc ex Equeſtri Ordine Malecontentorum animum acriùs exploraret: qui peterent; ut ſalutarem utrique parti publicæ concordiæ Tractatum amplecterentur, quando nullam jam amplius præſentis negotiationis correcturam Reſpublica admitteret. Ingreſſus interim Senatum Illuſtriſſimus ProCancellarius, acceptâ Voce: referebat Reipublicæ Conditiones, quibus illa Pars publicæ concordiæ accommodari vellet cupereteque. nimirùm Reaſſumptionem legis de Retentoribus

ribus Quartæ, utque in eos ſeriò animadverteretur. Quod haud dubiè à Malecontentis cæteris deſideriis præpoſitum arbitror, ut reliqua Puncta minus decora & indigna tanto temporis impendio, honeſto aliquo utilitatis publicæ prætextu inſigniren̄tur. Confæderationis etiam vigorem ab extra & ab intra ceſſare poſtulabant, & ut honori in integrum reſtituerentur. Zamoiſcianæ cauſæ in præſenti Conventu Deciſionem, propterque evitandos civium tumultus, Privilegiorum Juris Caduci Caſſationem urgebant. Cohortes quoque principis in exercitu ferre nolebant. Sententiam ProCancellarii nullæ ſecutæ Voces, Mareſchalcus tantum Equeſtris Ordinis binos ex Gentibus ad Malecontentos deputavit, ſolutaq; Seſſio. Proximâ die Deputatis ad Tractatum cum Illuſtriſſimo Primate, ob ingraveſcentem ejus valetudinem fruſtra fuit: nihilominus cum magno Mareſchalco Regni egêre, qui ſpreta Amneſtia ut innocentibus minus neceſſaria, cunctis Reipublicæ deſideriis ſeſe reſponſurum declaravit, prout Mediatorum Sententia decidiſſet. At ſeſſio Mediatorum, ante Reginalis Majeſtatis conclave in provectiorem ſequenti luce producta diem, Conſilia Senatus retardavit: ſed magis conſulentium in unum discordiâ, aut reconditâ altius in arcano pectoris receſſu arte turbabantur. Nam Mareſchalcus Equeſtris factâ pro more in Senatu Propoſitione, utilia ſuaſerat: ut quoniam res palam ad internam Pacem inclinarent, tandem Tractatus de externa Reipublicæ Defenſione arriperetur. utpote quibus ſupplementis copiarum Tributisvè, quantâ Auctione exercitus publicas Vires inſtrui

oporteret. Succamerarius Posnanienſis diverſa poſtulando, honeſtum cæterorum impetum attinuit, conſtanter aſſerens: quod in paccato ac tranquillo Reipublicæ Statu ægrè obtineri potuiſſet, & ſi ad præſens provenisſet: Rempublicam tamen in extremo periculo ſalvare non valeret. Quaſi neſcius Magnarum Rerum publicarum Vitia: in quibus quoties ſumma Imperii ambigua, minora ſine cura haberi. inſtabat quippe magnâ pertinaciâ identidem obteſtans: nullius ſeſe negotii permisſurum Tractatum, donec Palatinus Lublinenſis cum Collegis ſuis, prout & præſentis Reipublicæ Commiſſarii ad diſtributionem Hybernorum aſſignati, geſtæ provinciæ in facie Reipublicæ reddidiſſent rationem. Tum Palatinus Lublinenſis acceptâ dicendi libertate, ob defectum Regeſtrorum, quæ ad modernam Scebruſzini celebrandam Commisſionem transmiſiſſet, non poſſe debitam ordinationis ſuæ in diſtribuendis militaribus Stativis deducere demonſtrationem. Poſt hæc magnus ille Succamerarii fervor repentè conſedit. Igitur liberius jam de generibus Contributionum loquebantur, ſed majori zelo Succamerarius Krzemenecenſis nitebatur: *ut ex ex viginti fumalibus unus pedeſtris miles Colonorum ſumptu, pariter ex bis denis fumalibus unus Eques impenſis Nobilium ſtatueretur. non enim aliud admittere medium rectè expenſi temporis rationem: cùm nulla Contributionis ſpecies ita opportuna præſenti Reipublicæ neceſsitati eſſe poſsit, ut novo habendo delectui & formando exercitui accommodari valeat. Omnia negotiorum momenta temporis Rationem admittere: at bellorum apparatum & militarem diſciplinam in ſubſidium ſui omnino requirere. Mareſchalci*

reſchalci deinde Equeſtris Virtutes ſummis attollens elogiis, obita pro Republica pericula, latos infractà conſtantià labores, expoſitam funeſtis odiis vitam, atroci invidiæ famam, & plura in Rempublicam cumulata merita, an ſine præmio & honore cenſerent dimittenda? petebatque, unam illi Agrariam per omnes Reipublicæ Provincias aſſignari. At Palatinus Lublinenſis, quamvis omnium interceſſiſſet conſenſus, incertam hanc Reipublicæ arguens liberalitatem, verterat preces ad Rempublicam, ut potius tantis in Rempublicam ſtudiis ejus, ex extraordinariis proventibus ſuccurreretur. Facili ad hæc omnium aſſenſu, Mareſchalcus Equeſtris inter publicas gratiarum actiones, prompſerat: *Quando tantum apud Rempublicam privatorum civium erga bonum publicum ſtudia mererentur reſpectum, non gravatim ſe pro ea Republica ſanguinem, vitam denique ipſam, & ſi quid carius vitâ haberet, impenſurum.* nec totius frontis zelus faciesque à vero diſſidebat. Vbi enim animoſæ Virtutis neglectus eſt, ſterileſcere natos ad magna animos, vel irrepente egeſtatis aut deſperationis affectu, quò ſpes utilitatis vocaverit; ad deteriora transferri. Finem gratiarum, lecto ſtatim ſuper ea re legis conceptu (non confidens populari auræ, quamvis Eteſias ſpiranti) explevit ſtabilivitque. Inſtante nocte mota de Prolongatione quæſtio: & quia difficulter expediri poſſe conjectabatur, accepta à Principe, M. Cancellarius Lithuaniæ Declaratione, Seſſioni finem dixit. Sequens dies confuſione inſignis inter probra & contumelias illuſtrium Virorum abiit. Cauſa in eo: data inclinato jam die ferocientibus Senatus copia, & inſolentia Populi qui in periculis timidus, ore

exercitus; quoties in occasionem conviciandi incidisset, verbis à quoquam haud temperabat. Nec sine notabili dedecore illa dies transiisset: cùm iidem, qui nimii verbis erant, non pensatâ publicâ Reipublicæ egestate pari prodigalitate sine modo concessis largitionibus ultimas ærarii vires præcipitassent: nisi Illustrissimus Regni Pro Cancellarius obstitisset, graviter arguendo Constitutionem, quæ in absentia Sigilli Custodum, juxta Legum præscriptum sancienda non erat. Sed hæc magis dicebantur, quàm erant: tædium etiam temporis in occasionem ostentationis sumptum. nam orto statim à zelantibus pro Mareschalco fremitu, & quasi ob debita Virtutum præmia acri & justo studio; ludicræ confusioni solutione Sessionis subventum est.

Pridie Nonas Martias illustrium authoritate Virorum, Nuntiorum incerta rogantium flexi animi; ut abjectis tandem scrupulosis disceptationibus, Instrumentum Pacificationis internæ Subscriptionibus Ordinum Regni firmare permitterent. Multum tamen temporis tractum pervicaci eorum contentione, qui Malecontentos ad publicum Reipublicæ consilium admittendos non esse censebant, donec privatis civibus ante Curiam odia remisissent. Iudicia proditi Cameneci post diuturnum utrinque certamen, ad futura rejecta Comitia. multis Mareschalci Equestris Legis conceptus, qui Summario Processu ejusmodi expediri Judicia præscripserat, displicuit. Locciorum quoque Palatinatus Lecyciensis Incolarum gravis neglecta injuria, quasi tantæ oppressioni, militari jure & æquo subveniri non posset.

Sed

Sed sive vitio hominum, seu tædio temporis, quocunque modo per suas aut alienas injurias ad finem concordiæ Pacisque properantibus, maxima quæque negotia dissensu malorum, bonorum conniventiâ præcipitabantur. Proximâ die missi tam ex Senatu, quàm & Equestri Ordine Viazdoviam Deputati, qui languidæ ac tædiosæ internæ Pacis operæ manum imponerent. adjecta Declaratione, à qua recedere nefas esset: nimirùm ut inter Puncta Reconciliationis, per expressum Verbum, *ab utrinque* poneretur. In Conventibus Palatinatuum Lauda in rem Nobilitatis concluſa rata firmaque manerent. Militari licentiâ admissæ violentiæ ac injuriæ instantaneâ plecterentur satisfactione. Palatinus Syradiensis & Mareschalcus Equestris, beneficio Reconciliationis publicæ, privatorum pervicaciæ odiorum eximerentur. Mareschalcus Equestris eundem Ordinem militiæ, quo ipsius Antecessores potiebantur, retineret. Palatinus Witepscensis unus é numero Deputatorum addidit: prævidere adhuc sese difficultatem ratione Zamoiscianæ Ordinationis, quæ præsentem negotiationem retardare posset, semper antea ab illa parte acriter promotam, neque ad præsens facilè destituendam, nisi convenienti medio occurratur, proinde conduceret, si Serenissimus Princeps assecuratione Zamoiscii caveat, non ultra debitum tempus satisfactionem eorum morari velle. At Thesaurarius Regni, sumpto impetu ex levi occasione ab Illustrissimo Pro Cancellario injectorum ex arte Verborum suæ sententiæ, tenuitatem Thesauri latissimis Verborum documentis explanabat, quem non

modo

modo largitioni Mareſchalci Equeſtris non ſufficere, ſed ordinarias amplius Reipublicæ expenſas ob ſummam inopiam tollerare non poſſe. Honoraria Scytharum, tractamenta Legatorum, cæterasque extraordinarias expenſas, adeò Ordinarios Reipublicæ proventus ſuperare; ut ærarium aliquot centenorum millium neceſſe habuerit contrahere debitum. Tum rurſus refricati diſcurſus, multaque media à pluribus in ea materia juvandi aut nocendi ſtudio cumulabantur: Mareſchalcus Equeſtris facili fronte tulit impetum, præſentemque acerbitatem obtentæ Conſtitutionis commodis ſolabatur. Verum & ſecuritati ſuæ conſuluit, lecto conceptu Legis: ne quisquam privatorum ratione damnorum ab Equeſtribus Communis Motus copiis illatorum, præſumeret eum in Jus vocare, integroque ejus ſemper honori periculum facere.

Tertio Non. Martias lectum eſt in facie Senatus Conſilium Bellicum Supremi exercituum Ducis. *Initium modeſta excuſatio fecerat, quod in præteritis Comitiis infortunio Reipublicæ diremptis, ob adverſam valetudinem intereſſe magnæ de Bello deliberationi non potuiſſet. dediſſe nihilominus Conſilium & profectura in tantis periculis media; è quibus ſi vel unum publicus conſenſus approbaſſet, melius adpræſens Paci conſultum fuiſſet. at obſtitere publicæ fortunæ ſeu noſtra vitia, ſive implacabilia declinantis Reipublicæ Fata. Sed hæc damnata jam temporis arbitrio felicitas. ad præſens, an Reipublicæ expediat tam metuendi ſubire aleam Belli? proprii eſt ac ſingularis de Salute ſua Reipublicæ Judicii. Si tamen Bellum gerendum eſt, his inſtrui tantam Reipublicæ neceſſitatem præſidiis oportere. nimirum tan-*

tantum negotium à Legatione imprimis ad Principes Chriſtianos auſpicari conduceret. nam etſi tarda nonnullorum Principum videantur auxilia, nobis nihilominus profutura: quibus non unius anni aut ætatis anceps labor incumbit. Conjunctio armorum cum M. Duce Moſchorum apprimè neceſſaria, quæ ſi mutuâ Jurisjurandi firmetur religione, utriusque Principatus Populos tam bello offenſivo, quàm Defenſivo conjunctis ſibi viribus conſulturos. poſſe eo ipſo impelli M. Ducem, ut cum Clarigatione ad Portam Ottomanicam mittat: ſimulque alliciat pertrahatque Perſarum Regem, ad ſalutare contra communem hoſtem Fœderis Sacramentum. Auguſtum Chriſtianitatis Cæſarem promiſſis precibusque flectendum eſſe, ut in Ungaria contra Turcam Bellum movere velit. conſiderabilem illi motis rebus armorum facturus diverſionem. Doroszinkii animum placandum, conceſſo illi ad tempus Ukrainiæ Imperio, cæterosque Legionum Præfectos jam ad obſequium Reipublicæ pronos ſummâ alliciendos benevolentiâ. Scythis, qui per ſummam proditionem Dominia Reipublicæ deſeruerunt, nunc notabili in Rempublicam merito, regreſſum ad fortunas ſuas mereri volentibus, concedendam lege publicâ ſecuritatem. Coſacis Zaporovienſibus mittendam otius pecuniæ partem in Myoparones, & pannos in veſtitum, ad laceſſendum terrâ marique hoſtem. Ad Calmucenſes Scythas Legatio, cæteraque minora, nec ſine ingentibus ſumptibus peragenda cumulabantur. Inter Scytharum Gentes procurandam omni conatu diſcordiam: quam Reipublicæ ſolertiam præſentem ſuadere opportunitatem. Cum vera vota ſint Moldavorum reliquorumque Chriſtianorum populorum, qui fatali & tam acerba ſervitute cuperent aliquando liberari: Monendos quàm ſecretiſſimè Græci ritus Populos Epiſcoporum operâ, exemplo D. Vladislai Regis, qui adverſus Turcas magno apparatu moliens Bel-

lum, eorundem Ecclesiasticorum ministerio ac fide, sua ibi stabiliebat consilia. Extare adhuc ejus effigies, passim per Templa Bulgariæ, Bosniæ, reliquasque Provincias sparsas, sacrisque locis ob metum sub titulo S. Georgii dicatas. Vidisse seipsum non sine veneratione florentis olim Reipublicæ gloriosissimi Principis sacratos inter Numina Vultus. Iis proinde Reipublicæ necessitatibus applicari summam à Pontificia Majestate oblatam voveret, adhibitis subjectis ad ordinationem ejus capacissimis, ad dispensationem pecuniarum fidelissimis. Verum prolatas à se considerationes, ut tanti Belli præparamentis adhiberi posse, ita integrum earum judicium Reipublicæ relinquere. neque enim se ipsum tantum externis credere auxiliis, ut non plus in domesticis esse putet viribus reponendum. eas non nisi formato justi exercitus corpore haberi posse. Proinde à Provinciis Regni sexaginta millium copias, stipendiis Reipublicæ militaturas conduci expedire: quando sub Chocimensi Arce ære publico militantes copiæ, tàm Regni, quàm M. D. Lithuaniæ triginta quinque millium numerum excesserant. Princeps Vladislaus novem millia Castris induxerat. Lisowsciorum quinque millia advenerant. Russiæ Magnatum cum Cosacis, & ex Ordinatione militantium copiæ quinquies dena millia excedebant. Insuper Sigismundus Rex sub Leopoldi cum ultimo robore totius Equestris Ordinis, vasto illo agmine necessitatem casumque incertæ belli fortunæ opperiebatur: agente Zamoiscio cum aliquot millibus proprii militis primas ad Tarnopolim excubias. Et quod potissimum, Ukrainam eà tempestate nobis fidam fuisse, Camenecum & Chocimum validas Præfecturas Rempublicam suis præsidiis tenuisse: Tartaros in viliori potentia, Turcas apud minorem multò circa res bellicas & militarem artem experientiâ egisse. Causæ verò rationesque, cur tam numerosas vires Respublica ad sui Defensio-

fensionem requirat, in promptu haberi. Bellum enim tantis Reipublicæ viribus cum prævalido hoste ducere trahereve, non nisi exhaustæ Reipublicæ fatale esset. Nam si grandis exercitus retrò instante hyeme & in viscera Reipublicæ reducendus esset; non modo Spiritualia & Regalia, sed Terrestria quoque bona in ultimam ruinam traherentur. Paucioribus autem copiis instrui vires Reipublicæ non posse, sine vano de prosperà totius Belli fortunà augurio. Trifariam enim exercitum dividi oporteret: Una pars ut Camenecum Podoliæ obsidione premat, altera in Moldavia, aut saltem ad ripas Borysthenis, transitu hostiles arceat copias, reliquæ vires Tartarorum in Ukraina excursiones sistant reprimantque. Sed non minor respectus Leopolis aliorumque fortalitiorum, validis præsidiis adversus impendentia obsidionis pericula firmandorum. Huc etiam tempestivam commeatus curam referri: qui summa centum millium Leopoli provideri posset: additis ex Ordine Equestri Commissariis, qui prædictas copias cura Magistratus coemerent rectéque ac providè dispensarent. Quod autem ad formandum corpus exercitus attineret, & quali genere militiæ constare deberet, brevi id expedire consilio. Moris quippè esse apud præcipuas exterarum Nationum gentes, duabus aut tribus partibus pedestris militiæ, quartâ equestri gerere bella. Nos diversa usus & hostis docuit, cujus cum tota sit in equite vis, incumbit Reipublicæ, ut triginta millia equitum habeat, inter quos sex saltem millia Usarorum armet, triginta velitum turmas, loricatus & cum missilibus reliquus sit equitatus. Ad pedestrem militiam viginti quatuor Legionibus, equitantium Sclopetariorum sex millibus instruat. Gravis armatura inter cætera necessitatis tanti Belli requisita postrema non est, quæ centum tormenta, ad minimum triginta inter apparatum bellicum requireret Nam Ingeniarii & ignita-

rum

rum artium inventores, cæteraque necessitatēs, quibus impensis singulis mensibus expediri vellent, cùm Præfecti rei tormentariæ proprii sit officii, facilè eum Rempublicam informaturum. Militem ex mansis antiquo more Jureque deduci oporteret, ut tempestivè sine ullis exceptionibus in destinato compareat loco, cujus præsentia graviori armaturæ apprimè necessaria ad reparandos ranſitus, instruendos Pontes, viarum impedimenta amolienda. Jam verò conducendi militis promptiorem methodum reperiri in arcto temporis compendio non posse, quam per auctionem Vexillorum, veterum Legionum in obsequio Reipublicæ ad præsens manentium, quo modo ad viginti quatuor millia pedestris exercitus deveniret. Cum enim ad præsens Legiones non constent majoribus numeris, quàm semitrecentis Viris, quæ non modo duplo, sed triplo augeri possunt, adeoque hac ratione Veteris stipendii copiæ ad triginta millia attollerentur. Reliquus militaris dilectus Palatinatuum arbitrio concedendus, prout ex cujusque usu & ordo militiæ & genus Contributionis fuerit. Illud nihilominus justâ consideratione dignum omittendum esse non putavi; ut remoti longius Palatinatus à Sileſiæ, Pomeraniæ, Prusſiæ limitibus, pedestria agmina non conducant. nam illud esse extra omnem possibilitatem, in tam stricto tempore ex duro & pervicaci Rutheno, aut inassveto armis Masuro, Germanum formare, multo magis bonum & habilem Belli muniis reddere posse militem. Cùm omnes pedestres cohortes ad morem Theutonicæ, non Hungaricæ disciplinæ optet instruendas. Præfecti verò turmarum, Legionum, omnesque Officiales non nisi ex commendatione nostra admittantur, rei militaris periti; non quos respectus & popularis favor obtruserit. Cùm verò juxta antiquum militare scitum; nec exercitus sine stipendiis, nec stipendia sine tributis parari possint: Contributiones in Auctionalem triginta millium exercitum peti deberent ex Accisis, Capitali civium censu, argentearum Officinarum fructu Teloneo per universum Regnum constituendo; vel quidquid non dissonum antiquæ praxi & Statui suo Respublica inveniret. Quandoquidem autem omnia hæc Contributionum genera serotina & intempestiva, solida cujusque rationis solertia advertat: proinde veteri exercitui applicanda censeret: facilius enim esse, prout fertur, ad paratam lignorum struem ignem adjicere. Posse etiam reperiri, accedente Thesaurarii Regni curâ, qui paratas summas in fidem publicam prænumerent. Postremò supellectilem Regni & Clenodiorum partem dividendam potius sese svadere, quam oppignorandam: manifestâ utilitate perspectâ, quod magna pars in Regno & manere & dividi posset, si res justo pretio taxatæ sub hastam mitterentur. oppignoratas magnitudo usurarum corroderet consumeretque. In supplementum supremi Reipublicæ Subsidii Magnificos M. D. Lithuaniæ Incolas ex amore Patriæ & vinculo unionis seorsim constituisse Tributa, dum insuper Communibus motus copiis ad speciale tenentur erga Rempublicam subsidium charitatis. At Ecclesiasticum Ordinem molestiâ non gravando, notabilem in eorum bonis considerando ruinam: id tamen de eorum zelo in Patriam sese piè credere, alacri eos animo, moderato quamvis subsidio Defensioni publicæ subventuros: potissimum verò illos, quos amplior fortuna liberalitatis in Patriam, officii in Rempublicam monet. Tanto itaque exercitu, his ad Bellum præparamentis instructus; quilibet Strategus subire tutò poterit, salva gloria Nominis sui, militare Imperium.

Votum id semotis arbitris in Senatu lectum, deinde reclusus arbitris aditus, multumq; disceptatum sententiis,

tiis, poſtremò omnis vis conſilii ad præſentiam tantæ prudentiæ Ducis, quæ cunctorum animos juſtâ admiratione moverat, rejecta eſt. Sequens biduum magnis Provinciarum ſeſſionibus inſumptum, quas Respublica in materia Bellici Conſilii aſſignavit ad faciliorem adinventionem proportionis Tributorum, quæ ſexaginta millium formando exercitui ſufficerent. Difficultati & diſceptationi circa Ordinationem Zamoiscianam debitâ Princeps obviam iit facilitate, donando ſuam ſortem Reipublicæ, rurſumque Rempublicam ad par beneficium Zamoisciis præſtandum invitando, dummodo Magnificus Koniecpolſcius Palatinides Sendomirienſis de ſua quoque ſorte liberaliter vellet condescendere. Viazdoviæ interim Generalis Circulus celebrabatur, cui adeſſe volentes, Reverendiſſimus Epiſcopus Præmislienſis & Palatinus Witepscenſis, ex Senatu diceſſere: ſpe factâ Reipublicæ; non ultra Ordinationis Zamoisciorum prætenſionem, aut præconcepta ex diuturna diffidentia odia, deſideratam civium præſentiam negotia Reipublicæ moraturam, quin ſupremus exercituum Dux cum cæteris Magnatibus conſilio Bellico ſeſe ſiſtat, vaneſcente paulatim discordiâ, & coaleſcentibus civium animis. At in Senatu urgente Illuſtriſſimo Pro Cancellario Regni ſubſcriptionem Inſtrumenti Pacificationis, reclamavit Judex Wielunenſis Ratificationi, donec prius concluſa publicarentur, & per oblatam ad proximum Caſtrum à Mareſchalco Equeſtri offerrentur. Solertiores Procerum impedire id exquiſitis rationibus conabantur, ſed infractus in eo Equeſtris Ordinis zelus pervicit, ut ad eorun-

eorundem lectionem condescendere neceſſe fuerit. Ergò poſtquam deventum eſſet ad illa formalia: *ceſſante autem ab intra Conſœderatione (excepto Puncto in eodem Conventu circa officia Regni) ſaluâ per omnia ab extra remanente.* fervor & fremitus, & quidam ingenti zelo eò usque provecti ſunt, ut protulerint: Malle ſe irritum videre Mediationis Actum, quàm pati mutationem Puncti de Magiſtratibus non niſi ad biennium prorogandis. cùm id non modò ſacrum Confœderationis Votum ſit, ſed quisque Nuntiorum Inſtructione ſibi à Fratribus commiſſa fidem obligatam habeat, ad promovendum tam ſalutare depreſſæ per exundantem civium ambitum Reipublicæ negotium. Magnis ea res agitata controverſiis, tandem ſibi ipſis mutuis Contradictionibus Nuntii obſtantes; quæ res ſemper honeſtiſſimis quibusque Equeſtris Ordinis offecit officietque conatibus, rem in incerto reliquêre. & cùm Magnificum aliquid ſeſe effeciſſe arbitrarentur, magnum nihil præſtitêre.

Pridie Idus Martias M. Regni Mareſchalcus magno comitatu ſuffultus, ſalutato an viſo tantum Principe, ſtatim diceſſit ad Reginalem Majeſtatem, ubi plus datum eſt obſervantiæ & officii. regreſſus, Principem ad Senatum ſublato deduxit ſcipione. Ad ejus itaque inſtantiam conceſſum eſt jus perorandi Legatis exercitus Regni. Inſtructio eorum atrocem adverſus calumniatores acerbitatem, ac inſignes Ducis ſui laudes continebat. Sed potiſſimum petebant à Republica, *ut non Palatinatus Terræque, verum Theſaurus Regni uſitato ſemper ac ſalubri more cruentis eorum ſtipendiis provideret, urgebantque, ut*

ut Notarius Quartæ ob incuriam officio privaretur. Ergò Illustrissimus ProCancellarius Regni, nomine Principis, magnis encomiis Ducum providentiam, militumque audaciam & fortitudinem extollebat. idemque illis honor à Senatu & Equestri Ordine exhibitus, non modò securos, sed imposterum sibi magis fidentes reddidit. Insumpti deindè pauci dies tractandi per Deputatos à Republica & M. exercituum Ducem consilio Bellico. In Senatu circa Tributorum genus multiplex differentia, cùm passim ab ingeniosis multæ species obtruderentur, horrescente singulas publicâ egestate. Nuntii quoque M. D. Lithuaniæ intempestivo conatu, ut ex tertia Indictione Alternatæ servando in posterum Jure Comitia Regni in illorum Ducatu celebrarentur, consilia Reipublicæ graviter turbabant. asserendo, tertiæ sibi Vocis post Regnicolas Jus in Republica deberi, cur & Comitiis expediendis locus negaretur? monstrabant & veterem Statuti Legem, de æqualibus commodis & æquali onere perferendo. Sed Jaronowius SubJudex Brestensis: cùm, Libertatem Polonam & Jus vetandi & sentiendi antiquiora esse Statuto Lithuanico, protulisset: contumelioši motus & infamis in Republica discordiæ causa fuit. Nam posterâ die indictâ sibi Sessione, & M. Cancellarii acri Oratione in ultionem injuriæ Gentis suæ animati, misêre è medio sui Ablegatos ad Illustrissimum Episcopum Cracovienšem, in cujus Palatio Consilium Bellicum tractabatur, ut ab opere cessaretur. cùm amplius supra tollerentiam civium sit, consiliis juvare Rempublicam, & atrocibus contumeliis in honore plecti. Mitigabantur

tur tamen repetitis à Principe & Republica Legationibus: sed magis ex eo flagrantior eorum æstus, ad privati affectus magnitudinem, cupidinem quoque ad unius paucorumve commoda exigentes adjecerant; ut Respublica Comitia in Lithuania celebrari sineret: Trubecensem summam creditoribus exolveret. Insolentes sanè Nundinatores: cùm Activitatem Consiliorum Reipublicæ in juvanda publica salute ademissent, privatum utile juvandi, proscripto publico decore, licentiam concesšêre. Judicium postremò affectantibus in Jaronowscium, concessum est: verum cum restringeretur numerus Nuntiorum, tum solito major ex M. D. Lithuaniæ, ad veterem in ferendis sententiis consuetudinem; veriti ne votis vincerentur, ultrò recessere: solâ deprecatione contenti. tanquam privatas offensas bono publico largirentur, cùm ob impotentiam explendæ ultionis odia remitterent. Unitos Reipublicæ ac Senatum ingressos, Mareschalcus Curiæ Principis nomine allocutus, invitabat. ut à Judiciis abstinerent, quæ tantam temporis in consulendo de Republica jacturam ferrent. Temperaturum post hæc nimiæ loquacitati Jaronovium, quem vix à pœnis Reip. preces & interpositio protegere potuissent Majestatis, ac ne amplius in eandem impingat temeritatem, seriò vult eum monitum habere Regia Majestas. Eam vocem in contumeliam totius Libertatis trahens Judex Wielunensis, generosi Spiritus, & Antiquæ Reipublicæ alumnus, incusabat Principem arrogantiæ, proniorem dictitans, quàm ex usu Regni & Libero Reipublicæ Statu esset ad Absoluti Imperii Rationes.

nes. parabatque plura proferre, continuâ Libertate animosior & provectâ senectâ liberior; nisi ad Thronum vocatus & ægrè precibus Principis mitigatus fuisset. Sed M. D. Lithuaniæ Nuntii, quamvis submissâ Jaronovii deprecatione compositi viderentur: aliquot nihilominùs diebus, tanquam per otium in altissima pace ambitioso & inutili conatu consilia Reipublicæ frustrabantur. dum continuò urgent, perpetuum habendorum in suo Ducatu ex tertia Indictione Comitiorum ordinem, utque eorum Ducatus in Tributis cæterisque oneribus publicis ferendis ad tertiam solum partem teneretur. Princeps in altam protractæ noctem pertæsus confusionis, Sessionem ore Cancellarii M. D. Lithuaniæ sine requisitione Nuntiorum, an in ulteriorem Prolongationem concederent, solvit. Quæ res adeò commovit Succamerarium Calisiensem, ut altâ voce obtestaretur Principem, ne antiquam Libertatem liberæ Gentis per ejusmodi novitates subverteret. Itaque Princeps regressus ad Thronum, & à tumultu quiescentibus, declaravit. Procul à suo ingenio & amore in Rempublicam mentem esse, ut vel minimo præjudicio affligi Libertatem vellet: sed quod tacitum in Prolongationem omnium putaret consensum, sine qua, tanto temporis impendio æstimanda, evanescerent salutaria de Republica consilia. ergo quid de tota Republica statuere velint, integrum id eorum relinquere Libertati. Nullâ magis arte, quàm temperamento lenitatis turbidi Populorum mitigantur animi: & cùm se sperni non credunt, sæpe etiam adversus se suaque commoda Magistratibus insurgere permittunt.

tunt. Ita tum Principis moderatione flexi; ne uno quidem verbo prolato, uniformi consensu Solutionem Sessionis acceleravêre. Non tamen feliciora sequenti die Reipublicæ consilia fuêre, ob crescentem indies inordinatum ad intempestiva desideria M. D. Lithuaniæ appetitum. quippè cùm Mareschalcus Equestris facta Propositione ad sciscenda per Declarationes Tributa Palatinatus invitaret: prorupêre Podolienses Nuntii, qui acerbis & contentiosis precibus, pulsis ab hoste Fratribus suis, reclinatoria petebant, verum rejecti ad futura Comitia cum spe à Republica justis eorum Votis satisfactionis, quievêre. Nisi Nuntii M. D. Lithuaniæ tantò acriùs consilia Reipublicæ protraxissent, quantò in paucorum florentibus semper potentiâ & factionibus animis, dominandi affectus non modo amore in Patriam, observantiâ in Rempublicam, sed cunctis etiam cupidinibus flagrantior est. Tanto enim studio privatæ cupiditati indulgebant, ut non modo Provinciali Sessione consilia de Rep. morarentur, sed è medio sui ad Principem in Senatu cum summa totius Reip. indignitate eos præstolantem mitterent; ut Interpositione Majestatis suæ, quamvis incompetenti eorum Voto apud Remp. patrocinaretur. Favorabili refoti Declaratione, magno numero in Senatum venêre, ubi illorum præsentiam Illustrissimus Episcopus Cracovienſis non sine tædio, cum Relatione Tractatus in Consilio Bellico initi, expectaverat. Itaque orsus à laude & approbatione sententiæ Supremi exercituum Ducis, qui tam immani hosti & infenso bello non nisi sexaginta millibus stipendiarii militis exercitu occurren-

dum esse censuerat. Triginta porrò millia copiarum sine negotio Reip. contingere posse, per Auctionem nimirum duodecim millium antiquarum Reip. copiarum illiusque militis ad tria millia exundantis, qui ad solam Reip. Assecurationem à Summis in exercitu nominibus aleretur. qui triginta millium exercitus mediam partem pedestris, alteram Equestris militiæ contineret, quæ ad minimum sex millibus Hussarorum robore firmaretur. Hanc autem exercitus partem minoribus impensis ex informatione Illusttissimi Thesaurarii Regni, & prolatis militaribus Regestris haberi non posse, nisi novem millionum erogatione. Jam altera medietas terdenorum millium exercitus ex delectibus à Palatinatibus paranda est: ita ut Dominus fundi ex viginti domibus proprio sumptu benè armatum militem, alterum subditi suis impensis statuant. At ne vis consilii expers mole ruat suâ, firmari latus principis dignissimis ex Equestri Ordine Residentibus debere; Ducibus quoque Consiliarios à Rep. juxta antiquas Leges & Instituta Majorum addendos esse. Acta porrò consilii Bellici, cùm non typis mandari, non evulgari expediat, privato tantum scripto mandabuntur; quod subscriptum Primi Senatoris & Mareschalci Equestris manu in Archivum Regni deponetur. Factâ igitur Declaratione, postremo Remp. cohortatus est: ut auspicato consiliorum operi felicem imponeret coronidem, datis super Tributa per ordinem Palatinatuum Declarationibus. eoque potissima pars Nuntiorum propendebat; cùm Illustrissimus ProCancellarius à Throno Principis magnis laudibus Virtutes Mare-

Mareschalci Equestris attollens Reip. recommendavit, ut tantis pro Rep. meritis centum & quinquies dena millia, ex summa pro Clenodiis accepta in præmium cederent. eamque illi gratiam publico firmaret sancito. Ergò cæteri spirantibus occasionis Etesiis, ad privatos versi favores, plenis velis in Summa M. exercituum Ducis encomia provecti, *ejus pro Rep. labores, ingenti fortitudine lucratas victorias, uti omnibus gloriæ palmam bellicâ virtute præripuisse, ita & præmiorum necessitatem sibi ante alios jure meritò vindicasse. proinde aut nullius Virtus præmiis honoranda, aut ipsius clarissima in Patriam merita primo apud Remp. gratitudinis titulo esse illustranda.* Tum alii Vexilliferum Regni, cæteri Palatinum Syradiensem, alii alios ex utilitate propriâ & affectu Reip. commendabant. Generosissimi quique Nuntiorum agendas Illustrisimo Episcopo Cracovienſi gratias censebant: quod propriis sumptibus conducto milite Remp. juvaret, ac in pari cum multis civibus potentia, singulari amore in Remp. certaret. cùmque glisserent privatæ recommendationes, adeoque nimiæ largitiones publicæ obstarent liberalitati: Mareschalcus Equestris conquestus super iniquam sortem suam, quod ejus animus in Remp. merita in Patriam insolenti invidiâ & immerito livore gravarentur, Declarationes Palatinatuum urgebat; quas tardare rursùm privatâ cupiditate Nuntii M.D. Lithuaniæ conabantur, nisi facultas promovendorum desideriorum ad eorum Declarationes concessa rejectavè fuisset. Itaque postero die Palatinatus, amore erga Remp. ingentia in se ferebant Tributa. nisi quod Palatinatus Majoris Polo-

 niæ,

niæ, ita ſe exhauſtos atroci Hybernorum onere, querebantur, ut pro affectu ſuo juvare Remp. non poſſe iteratis Declarationibus teſtarentur. Ubi ad Magnum Ducatum Lith. ventum, ſtatim erupit ex privatæ utilitatis ſententina, indigna publicorum conſiliorum remora. Boratinius omni ævo culpabilis ſolidariæ monetæ repertor, reſpectui Reipublicæ obtrudebatur, utque minutorum nummorum Officina in Magno D. Lithuaniæ ad exolvenda ipſius debita recluderetur: quæ quaſi in rem Reipublicæ contraxiſſe, aſſerebatur; reverà in atrocem & extremam perniciem, effuſasque in ejus ruinam largitiones promanarant. cùm & externi & cives ingenio aut opibus potentes paſſim in exitum Reipublicæ & ſine modo emerentur: Comitia in ſuo Ducatu celebrari, Trubecenſem Summam in ſplendidiſſima Reipublicæ egeſtate, tanto ſtudio exolvi petebant, ut ſapientiſſimi quique non jam refellerent, ſed ſolum tantam in publicis malis ſecuritatem ſive malitiam Civium mirarentur. At minores Palatinatus, cùm meliorationem in ferendis Contributionibus à validioribus poſtularent, prolatum ſtudium, (Princeps interim digreſſus ad conclave ad expediendum Magni Moſcoviæ Ducis Subdelegatum) nec dirimi aut conciliari eâ die potuêre, niſi partitâ in Provinciales Seſſiones Reipublicâ, ut tantò facilius animi inter pauciores ac inter ſe notiores, Inſtitutorum, Virium & opum Provinciæ ſuæ peritiores, authoritate & prudentiâ Optimatum combinarentur.

Sexto Cal. Martias M.D. Lithuaniæ invincibilis evicit pertinacia; ut in Lithuania celebrari Comitia permitte-

mitterentur. & quamvis Illuſtriſſimus Epiſcopus Cracovienſis & Culmenſis inutili Voto obſtarent, juvit eorum conatum arte magis, quàm ex Uſu Reipublicæ Mareſchalcus Equeſtris, qui ſuper eo negotio, tanquam Nuntios M. D. Lithuaniæ ad favorabiles Declarationes invitaret, promiſcuè Conſtitutionem legit. Expletâ ambitione & amotis impedimentis, leniter Declarationes Palatinatuum circa Tributa expediebantur. iamque Capitalis civium cenſus à Nuntiis Regni approbatus, in Theſaurum inferendus deſtinabatur, ex nunc Auctioni exercitus applicandus: & quoniam ſine avulſis Provinciis duos milliones & aliquot centena millia importaret, ſufficeretque in trimeſtre novi & Veteris dilectus copiis. Generales interim Accizæ, Telonea & aliæ Daciæ currerent. Ex divenditis quoque ſuppellectili & Clenodiis Regni, Auctio ærarii ad tres milliones ſperabatur. At Illuſtriſsimus Regni ProCancellarius diuturnam fortè prævidens tanti Belli tempeſtatem, nec facilius ad priſcam Libertatem, poſitis privatis affectibus vile hucusque decus publicum, non niſi modeſtiâ & amore parendi, tum continuâ periculorum bellique meditatione in Republica reduci poſſe: illuſtri ſententiâ *perpetuum Bellicum conſilium ſuadebat, quo Principis prudentia fulciretur, gravibusque Imperii curis toto tempore belli moderaretur, tantaq; Poteſtas conſulendi agendiq; à conſiliis Magiſtratui eſſet, quanta olim Dictatorii Fasces potentiâ inſtruebantur.* Ea vox Illuſtriſsimum Epiſcopum Chelmenſem adeò offendit, ut ſtatim & acerrimè contra diſſereret, argueretque conſilium; quod publicam Libertatem perverte-

ret,

ret, & novi Status Abſoluti Dominii non ſine excidio & miſero civium ſanguine cruenta ſemina jaceret. Igitur prorupêre ad infeſta, & parabantur utrinque graves contumeliæ, interque magnos cives ſemper bono publico exitioſæ; ni Illuſtriſſimi Epiſcopi Cracovienſis authoritate præciſæ fuiſſent. Illuſtriſſimus Epiſcopus Culmenſis dum conſervationi Imperii ſtudet, Status fortè Reipublicæ haud diu duraturi non ex æquo meminerat: quod apud Chelmenſem, de præſentibus quàm futuris rebus magis ſollicitum, minus probabatur; quando in omni Statu res quæ converterentur, in deterius mutari, & ex cunctis novitatibus inſolentes ſemper in Reſpublicas provenire calamitates.

Proximâ die protracta ad Phoſphorum Seſſio magno conatu, inutili exitu. Plurimùm attulere certaminis Nuntii Palatinatus Podlachienſis, qui Confirmationem à Republica Privilegii Indigenatus anxiè petebant, ingenti circa unicum verbum Terrigenæ excitata controverſia. Sed arguebant multi contradicentium, grave id communi civium Libertati, inſolens in publicam æqualitatem: pares labores, eadem perferre incommoda, æqualia merita quandoque majora afferre, & viliori virtuti cedere, ſæpè ab ignavo cive excellentiori Privilegio & beneficio Reipublicæ vinci. Profitebantur & metum, ne per ejusmodi Approbationem, Indigenatus Terrarum Pruſſiæ firmaretur, contra cujus abuſum tot Palatinatuum Proteſtationes continuò intercesſiſſent. Nihilominùs tamen nemo dubitet, ſolido Juri & quod hucusque perpetuus in Prusſia defendit uſus, Verbis, & inani

inani privati cujusque invidiæ ſcripto, nihil in publicum poſſe derogari. At Nuntii M. D. Lithuaniæ integrum pænè conſiliorum tempus extraxêre, dum non jam de Comitiis, ſed in eis ſui Ducatus Officialium præcedentia præ Magiſtratibus Regni contra manifeſtum Reipublicæ uſum ambitioſè certant. acriter cum Nuntiis Regni digladiantes, qui generosè ab eis expoſtulabant: ut, quando inter illos honores partirentur, etiam ex æquo publica inter ſe onera dividerent, adeoque ad tertiam Tributorum partem, ſtipendio in neceſſitatem Reipublicæ vocandi militis in poſterum tenerentur. Verum illi ſua tantum, clamore & ingloriis Vocibus proponebant. Olim ſuperba, nunc avara etiam ambitio eſt; publicis damnis ſua commoda fulciens. Nec ſequens dies felicior, qui ex inanibus diſcurſuum, quamvis integram noctem adjiceret, eluctari non potuit; quin irrito labore conſumeretur. nihilque dignum eâ die accidit, quod referri in Acta mereretur: ſi fatalis rerum Ordo ſineret & Scriptoris fides non requireret. Magnum aliquid eſt, ſed ſummis tantum Viris myſteria noſſe conceſſum, ac in tanta calamitate & enervis Reipublicæ ſummo disordine, ſilentio potius transmittendum. Lodzinſcius Delator Generalis Podoliæ, ratione proditi Cameneci à M. Mareſchalco Ducatus Lithuaniæ ad Mareſchalcum Curiæ, à quo Supremi Regni Mareſchalci cuſtodiæ traditus. is inſtigante Pruſinowscio, ac inſtantaneam ob atrocem Magnorum Nominum infamiam petente ultionem, ſtatutus ante Magnum Regni Mareſchalcum, Additionem Patroni protectionemque ejus humillimis precibus implorabat.

Obtento beneficio Juris: graviter incusabat Jwanowscium, qui eum toties codicillis promissisque à Mareschalco Equestri ad subeundam Delationem impellebat. ad idem facinus ipsum Mareschalcum Equestrem dono aliquot subditorum, Palatinum Syradiensem & Episcopum Chelmensem largitionibus sese pellexisse arguebat. assecuratâ insuper sibi protectione. quando referrent; iam aliunde certis sibi constare documentis Cameneci Proditores proditionemque. Ita recepta ejus confessata, & ulteriori reservata Inquisitioni. Jwanowscius militari strictus sacramento, ne Inquisitionis terminum eluderet aut subterfugeret.

Tertio Cal. Martias insignis memoriâ Cœnæ Domini dies, eximiâ Principis & Reginalis Majestatis pietate non sine ingenti Populi ædificatione abiit. Rependent superi, ut subditi tam facilè non contemnant; cujus securitatem & Imperii dignitatem Supremo Numini esse curæ arbitrantur. Devotionem Principis secutum Senatus Consilium, in quo communis Defensio prospero Reipublicæ Sancito firmata est. Verum tam glorioſum adversus honesta Reipublicæ consensum, turbidis M. D. Lithuaniæ Nuntii rogationibus suis convellendo dehonestarunt: integræ noctis impendio ambitioni consecrato, non reveriti diem solemque & Judicium posteritatis, quod tantæ pervicaciæ dedecora illustraret. Comitiorum eâ die materies, cupiditas erat; quæ impotenti ambitu consilia de Republica morabatur. Hinc in proclivi Judicium est: facilem inter multos, & quamvis in corruptâ Republ. etiam malorum adversus recta bonaque

naque consensum; quoties nemini cupiditas, ambitus vel affectus obstiterit. Sed in Statu, ubi tantum cuique de Rep. licet; quantum velle in magnifico & subdolo pectore avaritia opum publicarum, ambitus dominandi, superbia æqualitatis omnium contemptrix, paraverit: non modò ejusmodi species beatitudinis evenire, sed nec spes ultra paucos soles supremi differendi excidii contingere potest. Viviturque in tali Republica tanquam in lacera Rate, decumanos inter fluctus sine remigio constituta.

Pridie Cal. Aprilis interceptum nuperâ die publico consensu Sancitum: ut ex bisdenis casis Ecclesiasticorum bonorum Possessores unum pedestrem militem ad castra deducerent; rursus improbante Judice Rauensi: multisque rationum momentis à Præsulibus convellebantur, in quæ nuper Reipublicæ causa consenserant: vicit tamen constantia Nuntiorum in asserenda Lege & reflexio Spiritualium: quorum ambitus tantò minor est, quantò pietas Religioni obnoxia in Rempublicam major videtur. M. D. Lithuaniæ Nuntii reciprocantes in affectibus ad suas contradictiones versi, non modo extraordinaria, sed solita Reipublicæ in suis Declarationibus denegabant subsidia, nisi illis non modo Comitia, verum etiam in Comitiis Ducatus eorum Sigilli Custodibus exercendi Magistratus prærogativa concederetur. Sed ubi eorum pervicatia, non Reip. amore, non rationum dexteritate frangi potuit: consurgens Illustrissimus Episcopus Cracovienſis, precibus Illustrissimum Pro Cancellarium cæterosque flectebat, ne ob eorum

repugnantiam, tanti Ducatus ſubſidiis Reſp. fruſtraretur. Pro Cancellarius itaque Regni ne contradictione ſuâ Reipublicæ vires imminueret, aut manifeſto aſſenſu diſordini ſubſcriberet: è Senatu diſcesſit. nimia & inhoneſta ſtudia arguens: quæ quia contra dignitatem Reip. eſſent, in ſuam quoque contumeliam pararentur, dum per oppreſsionem priſcorum Inſtitutorum circa prærogativas Magiſtratuum Regni exprimerentur. Lithuani importunâ inſtantiâ quidquid expreſsêre, pro gratiâ reputantes, neſcii ab invitis beneficium non dari, duodecim millia exercitus cum Amunitione & integro bellico apparatu in annum Reipublicæ conceſsêre: præter ſex Legiones, quas ſecuritatis limitum ſuorum cauſa retinerent. Alta nox jam dimidium ſui egreſſa erat, & Reſurgentis Domini Triumphalis hora venerationis lætitiæque admonebat: cùm tædio curarum feſſi Nuntii, Prolongationem Comitiorum nullatenus ultra admittere vellent, mallentque nimio periclitari labore, quàm tædioſâ trahi & langveſcere morâ. Sed poſtquam Illuſtriſsimus Epiſcopus Cracovienſis demonſtravit, quod anguſtiæ temporis tantorum Reip. negotiorum debitam concluſionem non admitterent, ipſaque Religio & Divinæ Majeſtatis, zeloſa olim in Sarmatarum pectoribus, veneratio dignam à laboribus requiem poſtularet: pietas & ratio valuit, itumque in Sententias, quibus Prolongatio concedebatur. Igitur Comitiorum dies à Throno Principis ad Nonas April. rejecta. Attamen Princeps omnem conſiliorum moram expediendo, Scythico Legato Audientiam conceſsit, & donativum nomi-

nomine Reipublicæ firmandæ amicitiæ promiſit. Eâdem die Illuſtriſsimi Regni Primas ad fatalem ortus ſui feſtinans periodum, nec jam de vita, ſed fama & judicio poſteritatis ſollicitus, ſupremæ voluntatis Teſtatorias Literas conſignavit. *in quibus teſtem DEUM invocabat, quod quidquid anteactis temporibus, & ſub Imperio præſentis Principis attentaſſet, non alio fine, niſi Libertatis amore feciſſet: ut Leges & glorioſa Majorum Inſtituta, quæ priſcam rectitudinis orbitam effugiſſent, ad ſalutarem Statum reducerentur.* Prudentem tamen politiei Magiſtrum decuit decebitque, converſos in corrupta Repub. civium mores leniter in melius flectere, aut ſi non poſsit, tamen eousque id placida manu, dummodo vulnus non inferat, attentare. nocuit enim nocebitque, ſi quis gravior remediis eſſe voluerit, quam delicta ſunt. nec ſolertis eſſe Conſiliarii, velle Majorum ſeveritatem in corrigendis vitiis aſſequi, cui jam pares non ſumus. Porrò auſteritas remedendi, contumacia delinquentium irritata facilè tranſit ad violenta: hinc mutuæ gravesque offenſæ: proniorque de tali cive apud æquales, hoſtis quàm amici opinio. Inſtans dies ſpeciem juſtitiæ tulit; ſed in Remp. validis, partim propter merita, majori ex parte ob neceſſitatem temporum largitionibus gratificabatur. Magnis deindè inſtantiis & ferventibus Vocibus actum à Nuntiis, ne Reſp. Judicium proditionis Cameneci fatali circa ſuam ſecuritatem ignavia moraretur: tunc primum deciſum, ut in futuris Regni Comitiis non diſpari Proceſſu ob traditum olim Moſco Smolenſcum præſens cauſa judicaretur. Diploma ſub Golebio Reipublicæ datũ ſemotis arbitris lectum

ctum est. In rationibus quoque bellicis non ingrata Reipublicæ circumspectio: quippe Scriptum Bellici consilii in Archivum Regni inferendum, non modò circumfusæ ad quæque consilia multitudini, sed ne ipsis quidem concreditum Nuntiis: selectis è tota Rep. Viris, dum quaterni è Senatu, totidem ex singulis Gentibus Equestres Deputati assignantur, in quorum præsentia & paucitate legeretur. Prolongatio post hæc magnis agitata controversiis, ægrè ad sequentem concessa diem. Sub eodem etiam sole Inquisitio de Zodrinscio apud magnum Lithuaniæ Mareschalcum, ob absentiam Mareschalci Curiæ criminaliter acta est. Sequenti luce ex seorsiva Deputatione, cui & Supremus militiæ Dux assidebat, desideria exercitus dignam retulêre satisfactionem. At in Senatu Constitutiones circa minora Imperii promiscuo facilique consensu ferebantur.

Sexto Idus Aprilis Constitutiones M. D. Lithuaniæ, quamvis in privatis sessionibus pleno omnium assensu formatæ ac conclusæ essent, atamen paucorum solitâ ex more Gentis certandi pertinatiâ, vano & inutili studio turbabantur. Actum deinde de Jure Nobilitatis & Privilegio Indigenatus, ob merita in Toga aut Sago Reipublicæ præstita, concedendo. tum placuit, ut, qui ad tantam prærogativam aspirarent, certos numeros militares, Legiones aut turmas equestres in obsequium Reip. conducerent, ne beneficii Remp. splendidis vitiis & opulentæ ignaviæ, ipsos gratiæ Reip. degeneri à tanto Privilegio imbecillitati concessæ pæniteret. Verum obstitit postea suffragiis recenti Nobilitati nimium commen-

mendantium ex favore studium, aut ob invidiam ingratos deprimentium. ita dum multi creationi confusum impendunt laborem, insignem Reip. partum impedivêre. At Princeps exactâ inter torpentes vigilias nocte, paucis horis ad quietem sumptis, honoratâque festâ die cultus Divini frequentatione; senatum adiit, & publici consilii copiam fecit (ut Populo ostenderet, quo loco apud ipsum publica salus esset, & quanto labore ejus ac vigiliis Respublica niteretur) quamvis ob infrequentem Consulentium confluxum haberi Comitia non potuêre. Postera die acribus Exulum Podolienſium subventum querimoniis liberalitate Reipublicæ, quæ illorum inopiam viginti millibus ex Thesauro Regni numerandis sublevavit: dum modo nobilitatis tanti Palatinatus militiæ sueta armis, in tam ancipiti tempore, Remp. juvaret. Sed ne ignavia obsolescerent animi, & publicarum opum expectatione labor transiret in otium, lata Lege similes in posterum largitiones vetabantur.

Pridie Idus Aprilis exundantes nimiumque graves Reip. largitiones, parca in subeundis pro Republica privatorum offensis Magnorum civium prudentia repressit. Tum Mareschalcus Equestris Reipublicæ proposuit: an Prætorias Principis cohortes in numero exercitus Regni haberi vellet, earumque stipendio à Palatinatibus provideri. Disputatum bis ternis horis magnis super eo negotio disceptationibus, sed maximè obstabant Cracovienſis, Sendomirienſis, Masovienſis Palatinatus Nuntii, qui id sanciri sinè Fratrum suorum consensu pati non possent. Juvit eorum contradictionem Illustrissimus

mus Episcopus Cracovienſis, qui discedens è Senatu protestatus est coram Mareschalco Equestri: id sibi quoque displicere. Princeps accepta relatione, quamvis multi obsequio in principem certantes Nuntii acclamarent, nullam ejusmodi Manifestationi vim inesse, quæ privatim, non in facie Reipublicæ facta esset, Declarationem à Throno dedit: *Nolle se non modò de Jure tanti Senatoris, verum & de authoritate quidquam detrahere. proindè in quantum de Protestatione non condescensum fuerit, remittere id se non gravatim ad Conventus Relationis.* Tum lectæ Constitutiones, quibus permittebatur Nobilitatis prærogativa: vile jam & promiscuum donum, quod non sanguine aut ingentibus in Rempublicam meritis, sed Potentiorum recommendatione & pecunia, abjecta fædaque etiam mancipia assequebantnr. At Mareschalcus Equestris, dedecus Reipublicæ & infamiam omnia volentis audentisque in Rep. privatorum potentiæ leniendo palam professus est: *Nemini id Dissidentium concedendum Privilegium, nisi qui reali documento sese orthodoxæ Religionis civem probaverit.* Publicam deindè Princeps à Throno tulit in causa Regni Referendarii instantiam, ut ratione administrationis Thesauri Parentis sui, Quietationem à Rep. obtineret. contradixêre firmiter Nuntii Palatinatus Sendomirienſis. Referendarius ubi nihil vim Principis suasq; preces sensit proficere, ultro sese justô quamvis desiderio quietis Reipublicæ causa cedere affirmavit. asserens: Nemini se injuriam facturum, si Regestra Calculationis Parentis sui in Castro Varsavienſi actitari fecerit, addita cum suis Collegis ob denegatam Quie-

Quietationem manifestatione, quod ei statim permissum. Sive quod illud studium vexationis magis causa, quàm ulciscendæ Reip. injuriæ processisset, sive prævisa ipsius manifestatio nihil ei profutura: contra dignitatem tamen Reip. concedebatur. Undè celebre in Republica magni disordinis vitium; minari tantum magnis delictis. quod ubi longo Reip. disordine edocti cives; irrupit flagrans avaritia, periculosus ambitus, frequens proditio, violentissimis postremo sceleribus recluſa arena: inde factionum disidiorumque Euripus. quia cùm nihil ultra in corruptissimo Statu Cives ex honesto cuperent, nihil etiam per metum, nisi inanem, vetabantur. Tandem salutante lucubratos labores recentis diei luce, assignatis tam ex Senatu, quàm Equestri ordine magno numero ad latus Principis Residentibus, Mareschalcus Tribunitius nomine Equestris Ordinis tersâ oratione Principi fausta precatus, valedixit. Princeps à Throno pari usus erga Populum benevolentiâ, id quoq; adjicere jusit: in causa gravis necessitatis servato Alterno Jure, circa Tribunitiæ Potestatis Regimen Majoris Poloniæ, Comitia biseptimanalia Varsaviæ, sine derogatione Jurium de Comitiis Ordinariis, Regni Ordinibus indulturum. Periculosa Reip. tempora & necessitas in occasionem abbreviandorum consiliorum trahebantur: sed Solennitates Ordinariorum Regni Comitiorum justum subdiderant metum, ex quibus ambitiosa pessimorum civium Potentia, velut mensuram modumque suæ licentiæ formare assveviſſet; quid cuique aut quantum in Remp. liceret: in biseptimanalibus Co-

 mitiis

mitiis non tam latus lætusque malignitati campus, & quamvis impio deteriorum conatu, ſine eventu trahi conſilia contingeret, ex Prolongatione tamen conſiliis rebusque ſubſidium dari poſſet. Eum exitum Comitia Trimeſtria & quindecendialia habuêre. quæ ſi ad initia referas, ob metum factionum, & verſa campeſtribus ſub Lublino Comitiis Republica, *Magni Conſilii* titulo vocabantur, cùm promere quidem cuique ſenſus ſuos pro Rep. ut olim liceret; indecora in Conſiliis controvertendi garrulitas, aut ob malitiam ſuperbiamque diſturbandorum Comitiorum licentia magnâ Severitate Legum, & præſenti pœna vetaretur. Eo ſubſidio firmata Respublica conſiliis ſuis robur dedit, eoque adegit Diſſonos, ut de ſuprema arte, cujus omnem vim in turbandis Reip. conſiliis poſuerant, penitùs deſperarent. Hinc militaris illius Conſiderationis plauſibilis Promulgatio: Omnia ſe Reip. ſolius amore, & antiquæ Libertatis aſſerendæ cauſa tentare: Eædem in Tractatu concordiæ Declarationes; & nihil poſtea tam ſonans in auribus Civium, externorumque, quàm palliata Reip. reverentia & Libertatis amor. Illuſtris ergò & Salutaris nova Status facies conſervationi Reip. fuit: attamen ſi ferociſſimi civium Libertatem præſeferentes in acie cecidiſſent, præceps ad ſervitutem deſcenſus, & ingens contra ad Deſpoticum dominiũ, acrioribus jam tum remotis à Rep. Domina, ſigniferis & magiſtris novis, uno velut ictu à Sumã Libertate deciſæ Reip. gradus expectabatur; ſi in excitati tumentisque Principis mentem, ac opportunè inſidiantium manus lento prona ſervitio Reſp. incidiſſet. nam cæte-

cæteri facilioresque in obſequium cives præmiis & honoribus illecti, utilia & præſentia potiùs cum Securitate, quàm vetera & periculoſa maluiſſent. Malecontenti velut libramentum ac temperamentum fuêre: ut *Magni Conſilii* facies in Comitiorum corpus abiret & ſui Juris Statusque Respublica maneret. Nemo tamen id eâ tempeſtate, ob excellentem pravitatem hominibus prudentèr cautèque ſatis aſſignaverit: quando datis in tempore æmulis, primum conſilia de Dominatione impedita ſunt; dein tot caſibus, tam vario nexu cauſarum, etiam ab iis qui noluerant, Libertas, reſtituto Veteri Comitiorum uſu defenſa ac ſervata eſt. Fatis igitur propitioque Numini tribuendum: aut ſi quid humanæ operæ concedendum ſit: omnem laudem ſummæ moderationi & rariori prudentiæ Magni Regni Mareſchalci adſcribendam eſſe, quod Reſp. priſcâ Libertate gaudeat, Sarmatæ intaminatam civilis Belli rabie ſalutem poſt ſuprema pericula retinuerint.

Lento interim molimine militares parabantur dilectus, & mille Conſiliis meliora agendi tempora, repetitis de bello Senatus Conſultis trahebantur. Quaſi debellatum foret; ita ob reſtitutam inter Cives confidentiam Respublica lætabatur. celebrabaturque per ora Populi publica inter Ordines Regni concordia, ſed apud peritos eâ tempeſtate morum animorumque, altiùs operta odiorum & inimicitiarum malè tecta vis veneni metuebantur. Donec triſti famâ transmiſſi ab hoſte, Boryſthenis, & irrumpentium Ditiones Regni tam infeſtarum Nationum colluvie cuncta feſtinarentur. Tum

primùm formata Caſtra, & Duces Exercitus firmandis ſuâ præſentia Militum animis properavêre. Rex quoque relicta ſede ſua movit Leopolim, ſpeculaturus è proximo Belli fortunam, vel ſi quid ſubitum ingrueret, aut ex compoſito in deterius ſtrueretur; præſenti curâ & conſilio ſaluti publicæ ſubveniret. Magna deindè Militis alacritate invitatus, quamvis ægro corpore fatigaretur, luſtravit Exercitum, & expenſis Belli conſiliis; fauſta, mox cum hoſte ſigna collaturus, Principalis fortunæ ſuæ reliquit auſpicia. Vix Principia Caſtrorum rediturus Leopolim Princeps prætervectus erat, cum fatalis malignitas morbi cœpit invaleſcere. feſtinatis tamen Nunciis belli eventum urgebat, quando Reipublicæ copiæ numero & robore valentiores, adverſus torpentem in Caſtris hoſtem, & cui conſtantia ad fortitudinem, non ſufficeret, malè ſuis munimentis defenſum: magnâ inſuper commeatuum penuriâ ad ferociam animarentur. Inter tam anxias pro Republica ſollicitudines & valetudinis adverſa, pridie ſolennitatem Sancti, dividentis pallii ſpolia pauperibus, mortalitati ſupremum diem dixit Princeps: conſcius Victoriæ, quam ſequens dies magnâ ſpecie fortunæ publicæ, perruptis ad Chocimum hoſtium munimentis, validiſſimo cæſo equitatu, obtritis pedeſtribus Janizarorum copiis, profligato ſupra triginta millia Nobiliſſimo Turcarum, non ita pridem in Candia domitarum velut totius Chriſtianitatis virium Victore exercitu, illuſtravit. Felix ſanè Princeps, quem nec naſcentem, nec morientem Fortuna fefellit: ut meritò hic illud Poetæ uſurpari poſſit: *Par ille ſuperis, cui pariter*

riter dies & fortuna fuit. Evulgata mors ejus, variis animorum motibus excepta eſt. Multis mira comitas admirationi fuerat, quâ ignoti quoque ad officium amoremque ejus trahebantur. Quidam inſignem pacis artibus Principem, ſed belli inexpertum culpabant: quodque tædio curarum feſſus; id ipſum ad præcipuas mortis ejus cauſas referebant. at conſtans in hanc usque diem populi rumor Veneno reliquit interceptum. Verùm id, an falſo creditum ſit? cuncta acriter rimantium ſagacitati relinquimus. Mortem certè Regis tali tempore Reipublicæ luctuoſam fuiſſe proculdubiò eſt: cum accincta in publicum exitium immenſa Civium diffidentia, ad extremum qualicunque Principis reverentiâ ſive operta ſeu compoſita eſſet; tum grandi prælio profligato hoſte, intus & ab extra ſatis ad præſens ſecuritati Reipublicæ, in poſterum felicitati jam proſpectum eſſe videbatur. infelici fato Principis à ſummis ad ima dejecta repente ſpes Reipublicæ; non vanos rurſum ab externa Vi in Remp. motus, & erupturas tanto acrius in publicas clades ægrè olim maleque coercitas inimicitias & odia Civium afferebat. Cum his pavoribus conflictabatur Reſp. & inter tantas diſtrahebatur curas; cum præciſa omni mora uti exitioſa, cunctis Reipublicæ Ordinibus placuit Vota Electionis maturare. Igitur trigeſimâ die ab inchoatis in Campo Electorali Comitiis ad Jus Suffragii ventum eſt, extractisque in altam noctem Palatinatuum Terrarumque Declarationibus, Supremus Regni Mareſchalcus & exercituum Dux in Regem renunciatus eſt. Princeps ſane ob manſvetudinem animi

& fortitudinem hoſtibus haud ingratus, Civibus quoq; ſi boni eſſent, non timendus. Huic Electionis Actui, quomodo adverſa molientium fatali plane ſecordiâ ad florem pervenire conceſſum ſit? & rurſum ne matureſceret, quantâ arte, & quam difficili in re ardua conſilio ingenioſa in damna publica ſolertia obſtiterit? referre non gravarer: ſi perinde fido Scriptori corruptis omnium in aſſentationem auribus animisque, tam facilè eſſet Verba accommodare, quam in referendo, veritati cui ſemper officit adulatio, ex æquo conſulere. nam atrox quamvis periculum, ob paucorum iram invidiamque utcunque beneficio temporis ſuperari poſſe, ſiniſtra tradentium malignæ temeritatis ipſa Populi conſcientia æternum manſuræ pœnæ, quæ per famæ ac bonæ æſtimationis ſupplicium agitur, rigida exactrix eſt. cum tamen ad prodendam Virtutis memoriam non gratiâ, non ambitione, bonæ tantùm conſcientiæ pretio duci ingenuis laudabile ſit, aliquid delibare non pigebit: ut grande illud Arcanum contationis Principis circa Coronam aperiatur, & quam lubrico ſtatu illo tempore Respublica egerit, manifeſtetur. Incuſabatur imprimis in facie Comitiorum validis multorum queſtibus, quod contrario & nocivo more à majorum inſtituto dignitas in ludibrium abiret Reipublicæ, ſalus & libertas in exitii ſervitiique publici ſcandalum verteretur. *Quando Propoſitiones à Republica, quæ ſolenni Pactorum Conventorum Titulo inſigniuntur, non niſi poſt Nominationem primum ad Principem deferri irrepſerit: cum olim probi moris fuerit; Pacta Conventa ante Nominationis Actum ad proponendum Principi expediri: ut*

ut hocce velut Contractu Sponſaliorum, Ordines ad amorem & obedientiam Principi præſtandam, Princeps ad continuam obſervationem Legum & tuitionem Ordinum eo arctius ſanctiusque teneretur. Tum nulla Reip. cura; majora contemptim, maxima quæque Arcana Imperii pari dedecore & ignavia transmittebantur. à nemine enim amplius quærebatur, quid Reip. conduceret, ſed in familiis privata tantum cuique ſtimulatio: corruptiſſimus quisque libertatis abuſu per licentiam inhoneſto officio ſervituti gratificabatur. ita antiquis Legibus & Inſtitutis, firmiſſimis olim libertatis munimentis, Rempublicam orbantes, ſalutem Patriæ caſui & fortunæ, libertatem communem in ancipiti poſitam, audenti & animosè occupanti proſtituebant: ut non modo Externos, priſcam Polonorum Virtutem & animi magnitudinem cum præſenti abjectione per contemptum noſtri comparantes, verum etiam honeſtiſſimum quemque Civem, in libero adhuc Reipublicæ Statu tam projectæ ad ſervitium promptitudinis tæderet. Quaſi tamen injurioſis hisce in Leges Patrias & majorum inſtituta præjudiciis, in quæ ultro ipſi paucis ante diebus conſenſerant, ſubveniretur: infelix tela à Summis M. Ducatus Lithuaniæ Motoribus, novorum tumultuum ordiri cœpta eſt; cum ſpecioſo inſuper per Palatinum Culmenſem (acrem ubique Dominationis Proviſorem) Promiſſorum titulo Reipublicæ Principis nomine, ad deſtinata Conſiliorum ſuorum accenderentur. Igitur continuationem Pactorum Conventorum, velut multum Electo de Jure Regnandi detracturi, Proteſtationibus Nunciorum Ducatus Samogitiæ, interrupê-

rupêre. Sed vanitatem consilii, ex eventu: supremam infelicitatem Reipublicæ ex immensa Civium licentia, in quâ quoties expediret, toties insolens libido publicis damnis ambitioni consveverat gratificari, deprehendere licebit: *si quis rectè in deliberationem adhibeat Recessus Comitiorum Electionis Stephani Bathorei & Sigismundi tertii; in quibus contradicentes Actui Electionis post factam Nominationem Principis pro absentibus habendi, & Sententiæ communem Consensum convellentes, pro seditiosis Vocibus declarantur.* Fortè Majores nostri inter probos agentes mores (quando mali rectum vitiant Judicium) solerti præviderant prudentiâ, ejusmodi Contradictionum naturam ad abusum vergere libertatis; quando ad jus vetandi, in quo consistit liberæ Vocis Arcanum, post Nominationem Principis protestantis Contradictio referri non possit: cum Pacta Conventa in munimentum Reip. & libertatis, jam velut peracto post Nominationem Principis Comitiorum Actu, à tertio Ordine tantùm, quasi instar Propositionum & seorsivi cum Principe Tractatus, conscensuræ Thronum Majestati deferantur. Sed quamvis legitime quoque usurpari posset Contradictio, Majorum tamen instituto sapienter prohibita est: qui altius adhuc metuebant. manifestam scilicet ex eo Reipublicæ læsionem, nullo Majestatis incommodo, minori Juris ad Coronam Electi Principis damno. Nam per ejusmodi Contradictionem, non modo nihil de Jure Regnantis detrahi, sed nec ullam invidiam Regimini conciliari posse. cum tales Conatus prudens Princeps Veterum Pactorum Conventorum cum Antecessoribus suis initorum,

torum, & paucas conditiones levioresque in favorem Populi additas jurisjurandi religione firmando, nullo negotio evitare possit. at insolenti turbidâ molientium licentiâ interceptæ gravissimæ quæque pro Republica Propositiones: utilissima omnium, Circumscriptio Domus Regiæ, adempta scilicet facultas Reipublicæ sese & libertatem communem contra Artes Dominationis tuendi (seu colore recti verique fallant, seu non fucato dolore talia molimina provocentur) Reipublicæ semper gravissimorum sunt causæ damnorum, nec sufferre sese amplius valenti suomet improbitatis merito libertati; præcipitem ad casum & ruinam parant descensum; at ingentem & à Regnantibus inter lucra non affectatæ Dominationis delicatè æstimandum, mansurum struunt gradum in Civium cervicibus ad fastigium servitutis. His meditationibus multum exercitus Princeps, magna insuper anteactorum temporum subnixus experientia; pares iterum artes turbandi Regiminis sui & vim factionum metuens, Magnatum quoque ingenia ut optimè callens, ita meritò suspiciens, quodque prudentissimæ cognitionis & altioris consilii indicium erat, secreto suo satiatus; cum universus ferè Senatus accelerandam Coronationis solennitatem censuisset; ipse distulit: necessitatem Expeditionis obtentui sumens, & monstratâ insigni moderatione animi; ut meruisse potius Imperium, quam quæsivisse videretur, defensione Reipublicæ & amore Patriæ cunctas sibi curas leviores dictitans: animum

ſuum gloria implebat, ſimul favore vulgi ſatiabatur. cum interim ſecurè ſub hoc velo ex dilatis Comitiis commoda delitescerent. Prævidebat quippè in Comitiis Coronationis deponendi Militaris Magſtratus necesſitatem (quæ præcipua in Sarmatia poteſtas, jam ad ſummam potentiam unicum iter eſt) vel ſi retinere omninò vellet cuperetque, ex ſpretis ad initia Regiminis Legibus, atrox Populi invidia & recrudeſcens odii malignitas timebantur. iam ex certamine, magno ambitu petentium vacantes ea tempeſtate validisſimas Regni præfecturas & ſumma Officiorum Nomina, multorum disguſtus & invidia, & ex eo laborioſi ſatis initii Regiminis ſui, quando majus impedimentum ſperaretur; maluit inſigni ſapientiâ inter omnes integrum judicium retinere. Ergo ſpretis inanibus, intendit verâ potentiâ Nomen augere. nimirum dum alterâ manu clavam, alterâ Sceptrum gerit: hoſtibus fortitudine, ſeditioſis Civibus ſapientiâ conſilii, dum ubique viribus & prudentiâ prævaleret, factus eſt metuendus. Sic pacem dum magnâ fortitudine & mirâ Fortunâ Belli; Bellum internum & externum inſigni pacis ſapientiâ componit: glorioſus utrobique Victor. quia, ſi optimis aſpiret Fortuna conſiliis, vincere Magnis ſemper & ubique ludus eſt. Non tamen hæc adeò favorabilis rerum facies, more humanæ naturæ, quæ corruptionis vitio ſub Legem calamitatis ac vicisſitudinis redacta, ſincera ſub ſole non ſinit eſſe bona, Magnis carebat incommodis. quando Militi

Militi indies fatiscenti ſine Conſenſu Ordinum non poſſent ſtipendia provideri: Vel ſi privato Principis ærario univerſi Exercitus neceſsitas juvaretur: admiratione opum & ſtudio principis, oculi ſuſpicacis in libertate Populi, quamvis ab ipſa mutuati Aquila, perſtringerentur. Jam aſsiduis laboribus, inopiâ commeatuum, penuriâ ſtipendii exhauſtis viribus Exercitus, & reliquis ab hoſte obtritis, Bellorum labor & periculorum magnitudo in Equeſtrem Ordinem recidebat. Hujus robur quam facilè unius prælii adverſis ſuccidi poſſet: ſtupore & ſilentio tam ferax malorum ſtrategema transmittendum eſt. Imminuta Potentia Equeſtris Ordinis: dum ferociores in acie cadunt, reliqui improviſo malorum terrore vincuntur, indicta tum primum Comitia, nemo, qui antiquam Status faciem vidiſſet, cum veteri Reip. forma comparare vellet, aut ex Majorum Inſtituto agenda ſapienter quisquam apud ſe præſumere poſſet, vel ob metum auderet. Satis occultioris prudentiæ Civibus monſtravit uſus: non ingenium, ſed Fortunam mores Populi ad ferociam accendere libertatis. quando attritorum nuper ab hoſte Palatinatuum Nobilitas, manifeſtè ad ſervitutem prona, tot ruptis Comitiis & impiis auſibus, Dominationi ad exitium usque Reipublicæ gratificabatur. Vetandi Jure toties turpiter nunciis eorum abuſis, quippe ad defenſionem liberæ vocis; cujus apud degeneres, quibus vile decus publicum, & nulla ſemel proſtitutæ ſincera amplius æſtimatio, ſed tantùm inter impedimenta libertatis numerabantur. Fœda oſtenta Reipubl. quæ ſuis malis &

turpi abjectione animi detestandum cæteris in pari sorte monstrabant exemplum. Vidimus profecto grande documentum in depravata corruptis moribus & antiquis Institutis Republica; quid ultimum esset in libertate. Et sanè vitium hoc est eritq; supremæ calamitatis in natura Populorũ, ut cum Conversione Publicæ Fortunæ, privatorum quoq; magni spiritus de magnitudine suâ remittant ac minuantur. Vilescere quoq; omne magnificentiæ studiũ,&consumi in generosis quibusq; pectoribus libertatis desiderium necesse est: si magnorum Civium excelsos pro Republica animos, à dominantibus jam securè, & quidquid sublime est tutò despicientibus, contemni aut eludendo illudi eveniat: dum contra, quanto quis servitio promptior,opibus & honoribus extollitur; magisque in patiente servitutis favor amorque præsentis Status, quam immensa in Rempublicam merita honorantur.

Hæc tua Sors est Patria.
Non te juvabit Austria!
Non refloresces,
Quamvis tuam Coronam vallaverint Lilia.
Uno suffragio
Felix:
Si tui esse potes compos & libera.
En,
Lamentatur casum Patriæ suæ Propheta
Domini,& terribilis Vox in auribus nostris!
Jeremiæ Lamentatio c.4.

Cum adhuc subsisteremus; defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrum vanum: cum respiceremus attenti ad Gentem, quæ salvare non poterat.

Ad explendum paginarum vacuum, seq. Schedam, non ubivis obviam, subjungere visum est.

Summa Relationis Nuncii

Illustriss. DN. ADAMI, Ducis Wisviocensis,

Ad Sereniss. Regem Poloniæ,

de negotio

Demetrii Filii Joannis M. Principis Moscoviæ.

A. clɔ Iɔc VI.

Docet inprimis, Johannem, Basilii filium, Ducem Magnum Moscoviæ, peracta coronatione junxisse sibi connubio Anastasiam è familia Romanoviorum; exque ea suscepisse primogenitum Demetrium: sed eum mirabili quodam casu in cunabulis adhuc existentem, cum nutrice, cum Pater devictis Cassavensibus triumphum ageret, in lacu Albo submersum esse. Non infœcunda tamen postea, memorata uxor illius ex hac vita discesit, quia Johannem & Theodorum filios post se reliquit. Cujus funere peracto, Magnus Dux Joannis Mariam gente Cereasiam in matrimonium duxit. Verum, non multo post, illi, uti cæteris ex familiis Illustribus Sobalunorum & Tiollioviorum (quarum, præter morem Ecclesiæ, pudicitia abusus est) nuncium remisit. Nec difficilè sanè pleras q; cum libuisset, repudiabat, quamcunq; verò repudiasset, eam monasterii claustris includi jubebat. Ad extremum Maria, Theodori Nagi viri ex ordine senatorio filia desponsata illi est. Ex qua cum, uti è reliquis, nullam prolem suscepisset, misericordiæ DEI diffidens, acriq illum bello prosequente Rege Stephano in Tyrannidem conversus, filium Johannem natu majorem, è medio sustulit. Quod scelus à se patratum dum pœnitentia expiat, ex eadem uxore Nagina filius hìc Demetrius, qui jure naturali deberi sibi principatum ostendit,

natus

natus illi est. Interea gravi adversa valetudine correptus, dum extremum vitæ diem sibi imminere sentit, utrique filio & Theodoro & Demetrio tutores constituit. Theodoro quidem, licet is uxorem jam duxisset, ut in administrando principatu, quippe ad eam rem minus idoneo, consilio, & prudentia operam illi suam navarent. Demetrio verò infanti adhuc una cum matre, ut educandi ejus, donec adolevisset, curam gererent: Tres autem eidem assignat provincias, Usliciou, Dimitrouceu, & Hecodoceu, quarũ administrationem eisdẽ committit, quoad infans annos pueritiæ egressus consilio polleret.

Igitur parente defuncto, Theodoro, tanquam natu majori, Principatus obvenit, qui Borisium Hadunovium, uxore pro eo uti germano fratre, supplicante, in ordinem senatorium statim adscivit. Borisius vir acri & callido ingenio, gratiam Principis & senatorũ locum adeptus, mox de obtinendo ipso principatu, cogitare cœpit: ab eo tempore Principi perniciem, infantique necem struere ac moliri non destitit. Idque eo acrius, quod consortem Principis, sororem suam, ob sterilitatem, ordines ad monasterium detrudendam censebant. Itaq; consilii sui eam init rationem, facile Theodoro Principi suapte ad res sacras & cultum divinum propenso persuadet, ut is abdicata cura Principatus, Religiosam in Cœnobio S. Cyrilli vitam ageret. Quod cum Princeps curatoribus insciis fecisset, Borisius ad rem agendam curatores principis impedimento sibi esse ratus, eisdem necem infert. Quibus de medio sublatis, Brina consors Principis, haud difficulter administrandi Principatus potestatem Borisio fratri suo impetrat. His itaque ex animi sententia peractis, non aliud homini imperium affectanti supereſſe videbatur, quam ut Demetrio (quem conatibus suis uti hæredem, cui jus dominandi defuncto patre debebatur, obviam iturum aliquando, intelligebat) interitum afferret. Sperabat enim hac ratione faciliorem sibi aditũ, ad ea, quæ jam animo destinarat, patere posse. Itaq; tutores primũ infantis

infantis clàm veneno aggreditur, deinde infanti necem parat. Et quo sibi expeditior via ad patrandum scelus foret, tutores novos, prioribus extinctis, Theodori Principis Nomine subjecit, quorum opera Demetrio, uti sperabat, incauto, toxicum præberetur. Et ausi quidem fuissent ii tam execrandum facinus, nisi, qui teneram ætatem pueri optimis imbuebat institutis, consiliorum Borissii non ignarus, prospexisset, ne quidpiam detrimenti vita & incolumitas Demetrii pateretur: unde sæpe puero, quæ pericula imminerent, nunciabat: quoque in statu res illius essent: quam acerbum, ni caveret, vitæ finem habiturus esset, admonebat. quæ Demetrius acri ingenio puer cum animo sæpius reputabat suo. Ubi Borissius clandestino scelere non proficit, promissis onerat, impellitq; profligatos quosdam homines, qui vim puero inferrent, noctuq; in lecto deprehensum jugularent. Non impigre homines facinorosi mandata suscipiunt, atq; uti edocti erant, facinus aggrediuntur. Et facile dubio procul puerum incautum, nihil tale expectantem, intempesta nocte in lecto oppressissent, nisi præceptor rei, quæ agebatur, non ignarus alium in locum Demetrii, nihil minus quam fraudem suspicantem, ætate Demetrio parem, & hunc eundem cognatum, subjeciſſet. Itaq; ea fraus, quæ Demetrio parabatur, in puerum subjectum, à sceleratis hominibus conversa est. Demetrius incolumis opera præceptoris evasit. Dum hæc in ædibus geruntur, domestici, ut plerumq; fit, ad repentinum tumultum excíti, Demetrium occisum putantes, alius alium perquirere, homicidas insequi, deprehensos obtruncare. Ferunt in illo tumultu triginta plures esse suffocatos, quorum in numero credebatur is esse, qui machinatam Demetrio mortem in lecto decumbens corpore suo excepit. Cæterum fama tanti facinoris brevi in omnes partes divulgatur. Mater ipsa Demetrii nunciũ mittit, qui cruentam filii sui necem cognosceret, mœstissima ob tam acerbũ casum parens, filium unicum sibi nefanda morte ereptum esse. Dum

nim

nim livore obductum lacrymabunda intueretur, suus ne an alterius esset, non internoscebat. Porrò Borissius in eam rem toto animo intentus, ut suspicionem facti, qua posset ratione vitaret, acceptis à tabellario literis Principi rem totam, secus quam peracta est, exponit, docet, Demetrium morbo comitiali laborantem, manus sibi intulisse, jugulum petiisse ferro, in lecto sanguinolentum repertum fuisse. Graviter sanè tam acerbum fratris sui, uti putabat, casum Princeps tulit. Cæterum ad funus obeundum adjicit animum, jubetque in sepulchro majorum suorum cadaver recondi. Verum Patriarcha à Borissio ad eam rem instructus, ajebat, non convenire eum in monumento unctorum Dei sepeliri, qui sibi necem conscivisset. Non defuisset tamen Princeps in fratrem vita defunctum pietati, nisi à Borissio miris quibusdam artibus ex itinere, quod Velliciam ad humandum eum instruxerat, revocatus fuisset. Cavebat enim Borissius, ne tam atrox facinus ad aures Principis perferretur. Itaq; Metropolitam Tiruliciou Helasium & Andream Celestinum ad obeundum mittit, qui munere sibi demandato perfuncti, matrem Demetrii in monasterium sub arcta custodia tenendam ablegant, famulos verò aut morti destinant, aut è principatu proscribunt, Oppidanos ducentos, tanquam ii inscio Principe in famulos pueri sævissent, capite plectunt. Interea Præceptor, uti caute à Demetrio periculum vitæ amoverat, ita deinceps omnem curam, ne à quopiam cognosceretur, adhibuit. In quo asservando cum sedulam navat operam, ægritudine, quam brevi mors consecuta est, affectus, puero consulendum censuit. Igitur hominem fidum ex equestri ordine curat ad se accersi: rem ei totam exponit, Demetrium quam maximè potest commendat. Prompte mandata fidus ad eam rem amicus exequitur, puerumque curæ suæ concreditum domi continet. Ad extremum, cum è vita esset discessurus, persuadet jam adolescentulo Demetrio, ut is monasticam, evitandorum periculorum causa vitam professurus, cœnobium ingrederetur. Paret lubens voluntati optimè consulentis amici Demetrius, habitum monasticum induit, ibique multo exacto tempore per agrataque tota ferè Moscovia, cum á quodam ordinis illius fratre ex incessu, moribusque heroicis esset cognitus, non commorandum sibi diutius ob periculum imminens ratus; in Poloniam profugit, apud illustrissimum ducem Ostrogiæ Palatinum Toroneu, tum apud generosum Dominum Gabrielem Hoiistii tacitè commoratus est. Postea quam verò ad Illustriss. Ducem Wisiociensem veniisset, tum demum, se Principem esse Moscobiæ, professus est.

100 p.